Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/neoconfessarius0000ioan

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
Rome.

IOANNIS REUTER S.J.

NEO-CONFESSARIUS

PRACTICE INSTRUCTUS

TEXTUM, QUEM EMENDATUM ET AUCTUM EDIDERAT
AUGUSTINUS LEHMKUHL S.J.

ITERUM DIVULGANDUM CURAVIT
IOANNES BAPT. UMBERG S.J.

EDITIO QUARTA.

Property of
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

FRIBURGI BRISGOVIAE
HERDER & Co. TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII
BEROLINI, CAROLSRUHAE, COLONIAE, MONACHII, VINDOBONAE
LONDINI, S. LUDOVICI MO.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 8 Maii 1919

Fritz, Vic. gen.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 15 Ianuarii 1919

Ludov. Kösters S. J.
Praep. Prov. Germ.

Omnia iura reservantur

Typis Herderianis Friburgi Brisgoviae 1922

PRAEFATIO PRIS LEHMKUHL AD EDITIONEM SUAM PRIMAM.

Quoniam merito cum S. Gregorio Magno ars artium dicitur regimen animarum, neque uspiam periculosius erratur quam in hoc regimine, quando in foro sacramentali exercetur: summi momenti est atque plane necessarium, ut, qui ad hoc munus vocantur, statim ab initio hanc artem bene teneant, neque per usum atque per errores commissos discant errores vitare. Quapropter dexteritas quaedam, quae alioquin ex usu hauritur et augetur, a nondum expertis diligentiore institutione iam antea comparanda est.

Ad quam promovendam egregie contulit suo tempore P. *Ioannes Reuter* volumine, quod inscribitur «Neo-confessarius practice instructus»: neque nunc, post elapsum saeculum cum dimidio, opus illud utilitate sua caret. Multi quidem post eum scripserunt; immo circa idem fere tempus aureus ille libellus S. Alphonsi Liguori, cui titulus «Praxis confessarii», in linguam latinam versus, in lucem prodiit. Et revera duo illi libri in multis conveniunt. Neque tamen plane eadem eodem modo tractant, atque lectori gratissimum est, res similes dissimili modo tractatas videre. Quantopere autem ipse ille Patris Reuter «Neo-confessarius» etiam nunc confessariis acceptus sit, ex hoc uno colligere licet, quod liber ille plane quidem retractatus et germanico idiomate editus (Der Beichtvater . . . gänzlich umgearbeitet und den heutigen Verhältnissen angepaßt von P. *Julius Müllendorff* S. J., Regensburg, vorm. G. J. Manz) brevi tempore compluries debebat recudi.

3382

Quare confessariis, imprimis novellis, plenius instituendis atque Christi fidelium, qui ad eorum sacramentale tribunal accedunt, spirituali bono uberius procurando me bene consulere putavi, si etiam ipsius latini operis novam editionem pararem. In qua perficienda satius esse duxi ipsius auctoris textum servare, si leviores, imprimis stili, emendationes excipias. Quia vero, sive propter quasdam doctrinas decursu temporis magis dilucidatas, sive propter tempora conditionesque sociales non parum mutatas, nonnulla aliter explicanda, augenda, resecanda erant: si quid expunxi, id adnotavi; si quid praeter notas in fine paginarum adiectas addidi, id asteriscis, quibus additamenta inclusi, distingendum curavi. Ita factum est, ut haec quidem editio revera sit aucta nostrisque temporibus accommodata, lector autem facile intelligat, quae habeat veteris auctoris auctoritate commendata, quae novo editori sint adscribenda.

Superest, ut Deum deprecer, quo largius opello hoc utatur ut instrumento gratiae suae, qua confessarios in munere difficillimo illustret et eorum ope permultos ad aeternam salutem eiusque augmentum perducat.

Scribebam die 6 Aprilis 1905 in collegio *Valkenburg* in Hollandia.

Aug. Lehmkuhl S. J.

PRAEFATIO AD EDITIONEM TERTIAM.

Iamiam tertiam huius operis editionem P. Lehmkuhl anno 1916 paraverat. At quoniam postea, publicato Codice iuris canonici, plura retractare necesse fuit, quam tamen operam ipse Nestor Theologiae moralis, morte (die 23 Iunii 1918) nobis abreptus, praestare non potuit, hae curae infrascripto editori commissae sunt.

Atque partes meas esse duxi, eo spiritu, quo P. Lehmkuhl hoc opus ediderat, potius practicae utilitati lectoris consulere, quam criticam textus primigenii editionem parare. Unde textui, quem iam P. Lehmkuhl emendaverat, non ita parcendum esse visum est, ut, quae in eo, praesertim quoad auctorum allegationes, aut falsa aut minus certa erant, non expungerem. Imprimis autem id mihi curae fuit, ut P^ris^ Reuter doctrinam in haud paucis illis locis, ubi id necessarium fuit, ad normas novi iuris revocarem. Ut tamen lector, quae P^ri^ Reuter, quae vero auctoritati P^ris^ Lehmkuhl, quae demum mihi tribuenda sint, facile dignoscat, partes a P. Lehmkuhl adiectas, ut in prioribus ita in hac quoque editione asteriscis (*) inclusae exhibentur; partes vero a me additae initio et fine cruce (†) distinguuntur. Notas tamen ad calcem omnes, iis exceptis, quibus in fine asteriscus additus est, ego apposui.

Concedat Deus misericordissimus, ut ex hoc opere eadem qua hucusque ubertate abhinc quoque fructus ad Eiusdem gloriam animarumque salutem proveniant!

Scribebam die 1 Ianuarii 1919 in collegio *Valkenburg* in Hollandia.

Ioannes Bapt. Umberg S. J.

INDEX ANALYTICUS.

PARS I.

De iis, quae generatim in praxi confessario sunt observanda.

Pag.

Caput I. Quae confessarius, priusquam confessiones excipiat, observare convenienter debeat 1
Caput II. Quae observanda sint confessario in decursu confessionis 3
Caput III. Quae observari debeant circa examen poenitentis . . 5
Caput IV. Quomodo instruendus et admonendus poenitens . . 9
Caput V. Quomodo poenitentes ad dolorem et propositum disponendi 12
Caput VI. Quae satisfactio poenitentibus imponenda . . 18
Caput VII. Quomodo et quando sit danda absolutio 26
Caput VIII. Quando et quomodo neganda vel differenda absolutio 40
Caput IX. Quomodo poenitentes sint generatim dirigendi ad vitam devotam sive vere christianam 48
Caput X. Num, quando, quomodo errores et defectus in sacro tribunali a confessario admissi sint corrigendi 56

PARS II.

De iis, quae confessario observanda sunt tum in genere circa peccata magis obvia, tum in specie circa personas aetate, sexu, statu vel conditione diversas.

Caput I. Quae in confessione sint confessario observanda in genere circa peccata magis obvia et quae media contra ea suggerenda 64
Quaestio I. Quid de superbia et praecipuis eius partibus et remediis observandum 64
Quaestio II. Quid de avaritia eiusque partibus notandum . . 70
Quaestio III. Quae confessario de materia luxuriae sint specialiter observanda 74
Quaestio IV. De invidia et eius partubus quid notandum . . 88
Quaestio V. Quid de gula et ebrietate observandum . . 92
Quaestio VI. Quid de ira et ex ea consequente maledictione et blasphemia 104
Quaestio VII. Quid in confessione circa acediam sit advertendum 111

Pag.

Caput II. Quae in confessione puerorum et utriusque sexus adulescentium et iuvenum confessario sint observanda . . . 113
Quaestio I. Quae circa pueros et puellulas observanda . . 114
Quaestio II. Quomodo procedendum cum adulescentibus et iuvenibus 125
Quaestio III. Ad quae sit attendendum in confessione sexus feminei 130
Caput III. De confessario rusticorum aliorumque plebeiorum et rudium 135
Quaestio I. Quomodo sint examinandi 135
Quaestio II. Quomodo instruendi rudes et consolandi pauperes . 136
Quaestio III. Quomodo rudes specialiter disponendi ad dolorem . 137
Quaestio IV. Quid agendum, si homo rudis nullum in particulari peccatum confiteatur 140
Quaestio V. Quae poenitentia rudibus iniungenda, praesertim assuetis maledicendo vel iurando 142
Caput addititium. Observanda in confessionibus virorum . . 144
Caput IV. De confessario coniugum, parentum, patrum matrumque familias 148
Quaestio I. Quae sint obligationes coniugum 148
Quaestio II. Quae sint bona coniugibus communia et quae cuique ex illis propria 157
Quaestio III. Quae sint obligationes parentum 164
Quaestio IV. Quae sint praedictorum tentationes propriae et quomodo in iis ipsi sint dirigendi 170
Quaestio V. Quomodo generatim instruendi parentes etc. . . 174
Caput V. De confessario liberorum seu filiorum familias . . 176
Quaestio I. Quae sint obligationes liberorum erga parentes eorumque peccata specialia contra pietatem 176
Quaestio II. Quae sint filiorum bona et iura eorumque peccata contra iustitiam 178
Caput VI. De confessario superiorum et subditorum . . . 186
Quaestio I. Quae sint speciales obligationes et peccata herorum seu dominorum 186
Quaestio II. Quae sint obligationes famulantium . . . 189
Quaestio III. Quae sint obligationes pastorum aut parochorum et specialia illorum peccata 201
Quaestio IV. Quae sint obligationes paedagogi, praeceptoris, ludimagistri, discipulorum 208
Quaestio V. Quae sint obligationes tutoris, curatoris, pupilli et minorennis 211
Caput addititium. De dominis seu patronis et de opificibus conductis 211
Caput VII. De confessario mercatorum, opificum, militum . . 216
Quaestio I. Quae sint obligationes et peccata mercatorum specialia 216

Pag.
Quaestio II. Quae sint obligationes et specialia peccata opificum 230
Quaestio III. Quae sint obligationes et peccata specialia militum, belli ducum seu officialium 236

PARS III.

De iis, quae confessario specialiter sunt observanda circa personas diversis vitiis, peccatis, defectibus tum physicis tum moralibus obnoxias.

Caput I. De confessario hominis constituti in occasione proxima graviter peccandi et consuetudinarii 242
Quaestio I. Quid et quotuplex sit occasio peccandi et quomodo differat a periculo 242
Quaestio II. Quomodo procedendum sit confessario cum constitutis in occasione peccandi proxima 246
Quaestio III. Quis dicendus sit consuetudinarius et recidivus . 251
Quaestio IV. Quomodo practice procedendum cum consuetudinario extra occasionem proximam 252
Quaestio V. Quid praeterea notandum circa consuetudinarium in blasphemando, iurando, imprecando mala 259
Quaestio VI. Quid observandum, si poenitens frequenter relabatur in eadem peccata venialia sitque iis assuetus 263
Quaestio VII. Quae sint remedia spiritualia constitutis in occasione proxima et consuetudinariis in materia venerea 265
Caput addititium. De modo agendi cum consuetudinariis et recidivis 268
Caput II. De confessario poenitentis, qui longo tempore confessus est invalide, vel de eo anxius est aut generalem confessionem facere desiderat 286
Quaestio I. Quomodo agendum cum eo, qui sacrilege diu confessus est 286
Quaestio II. Quomodo agendum sit cum eo, qui vult generalem confessionem facere 290
Caput III. De confessario fatui, surdastri, muti, eius qui sit ignotae linguae 291
Quaestio I. Quomodo sit agendum cum fatuo 291
Quaestio II. Quomodo cum surdastro, surdo et muto agendum sit 292
Quaestio III. Quomodo cum poenitente ignotae linguae sit agendum 295
Caput IV. De confessario haeretici convertendi vel conversi . . 298
Quaestio I. Quomodo agendum cum haeretico ad Ecclesiam volente admitti vel admisso 298
Quaestio II. Quomodo agendum cum haeretico, qui invitat ad disputandum 307

Pag.

Caput V. De confessario poenitentis indurati, aut volentis differre seriam poenitentiam ad finem vitae, vel ostendentis exiguum dolorem de peccatis 312
Quaestio I. Quomodo agendum cum peccatore indurato . . 312
Quaestio II. Quomodo agendum cum peccatore volente differre poenitentiam 315
Quaestio III. Quomodo sit agendum cum ostendente exiguum dolorem de peccatis 316
Caput VI. Quomodo confessario agendum cum infirmis et moribundis 317
Quaestio I. Quid praestandum confessario in accessu ad infirmos 317
Quaestio II. Quomodo infirmus volens confiteri disponendus sit 319
Quaestio III. Quae sint praestanda confessario in confessione infirmi vel moribundi 322
Quaestio IV. Quomodo infirmus in visitatione sit excitandus ad coniunctionem cum Deo, resignationem, patientiam etc. . . 328
Quaestio V. Quid agendum confessario, si vocetur ad infirmum loquela et sensibus destitutum 335
Quaestio VI. Quando et quoties infirmis danda Communio et extrema unctio et quomodo ad illa disponendi sint, quomodo ungendi 339
Quaestio VII. Quae praeterea in visitatione infirmorum observanda 351
Caput VII. Quomodo tractandus homo odio vel inimicitiis implicitus, qui condonare nolit 354
Caput VIII. Quomodo procedendum cum obligato ad restitutionem 360
Caput IX. Quomodo confessario agendum cum poenitente pudibundo, pusillanimi vel desperabundo 366
Caput X. Quae confessario observanda et agenda cum reis captivis vel condemnatis ad mortem 372
Caput XI. Quid confessario observandum circa poenitentes variis tentationibus exagitatos 380
Caput XII. De iis, quae observare debet confessarius eorum, qui specialiter profitentur devotionem aut perfectionem . . . 385
Quaestio I. Quae universim sint observanda circa eiusmodi poenitentes 385
Quaestio II. Quae sint observanda circa eorum, qui perfectionem sectantur, tentationes occultas 391
Quaestio III. Quid sit notandum circa diversos animi motus inspirationesque boni et illusiones mali spiritus 398
Quaestio IV. Ex quibus discerni possit, utrum visiones, suggestiones, illustrationes, motus animae sint a bono an a malo spiritu 399
Quaestio V. Quomodo devotus homo se gerere debeat tempore sive consolationis generatim sive devotionis sensibilis . . 403

Pag.

Quaestio VI. Quid circa desolationes observandum et quae regulae in iis sint tenendae 405
Quaestio VII. Quomodo confessarius dirigere debeat poenitentem circa frequentem vel quotidianam Communionem . . . 409
Caput XIII. De confessario hominis scrupulosi 415
Quaestio I. Ex quibus indiciis cognoscatur aliquis esse scrupulosus 416
Quaestio II. Quae sint causae scrupulorum 417
Quaestio III. Unde cognoscatur scrupulos esse a Deo, a naturali complexione vel a daemone 419
Quaestio IV. Quae damna sint scrupulorum 421
Quaestio V. Quomodo agendum sit confessario cum scrupuloso 423
Quaestio VI. Quae media generatim praescribenda scrupuloso . 425
Quaestio VII. Quomodo dirigendus sit, qui scrupulose semper timet, ne cum dubio operetur 434
Quaestio VIII. Quomodo dirigendus sit, qui scrupulose angitur, ne internis tentationibus consentiat 437
Quaestio IX. Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa vitam praeteritam et factas confessiones 438
Quaestio X. Quomodo dirigendus sit scrupulosus, qui variis tentationibus agitatur 439
Quaestio XI. Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa horas canonicas recitandas 443
Quaestio XII. Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa Missam legendam 446
Quaestio XIII. Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa Missam rite audiendam 450
Quaestio XIV. Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa fraternam correctionem seu monitionem, qua proximus revocetur a peccato 452
Quaestio XV. Quae sint regulae praecipuae, quibus se ipsum dirigat scrupulosus 453
Quaestio XVI. Quibus poenitens ad perfectionem tendens, inordinate tamen anxius de statu gratiae, sit erigendus . . 454

Index alphabeticus 457

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

PARS I.

DE IIS, QUAE GENERATIM IN PRAXI CONFESSARIO SUNT OBSERVANDA.

CAPUT I.

Quae confessarius, priusquam confessiones excipiat, observare convenienter debeat.

Consideranda summa muneris confessarii excellentia; recte disponendus animus.

1. Resp. I. Magnam sui officii aestimationem concipiat studiumque accendat illud rite administrandi, quod ut assequatur, expendat imprimis sublimem dignitatem et honorem; inter munia enim huius mundi unum de dignissimis est. Nam confessarius iudex in tali causa est, quae ex natura sua ad forum Dei pertinet. Offensus est Deus; confessarius offensam, non, ut olim putarunt aliqui, solum remissam declarat, sed nomine Dei vere remittit seu tollit reatum culpae et poenae aeternae, condonat benigne debitum, pro quo naturae viribus satisfieri non possit umquam; et cui aliquando iudicum facta est potestas, qua ex misero et reo faceret innocentem? Falso accusatum iudices alii innocentem declarare possunt, facere ex reo innocentem non possunt. Sed quid reliquos iudices commemoro? Cui angelorum similis collata potestas? Cui aliquando dictum: «Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt?» (Io 20, 23.) Ad destruenda peccata, quae quanto odio persequatur Deus, nemo verbis exprimere, nemo cogitando assequi potest, non solum Deus ordinavit omnia opera gratiae, sed necesse quoque fuit, ut vitam suam profunderet Homo Deus. Et tamen eorum

destructio penes confessarium est. Attollit hic manum et dicit: *Absolvo te a peccatis,* et ecce destructa sunt; reviviscit qui erat mortuus; fit ex inimico amicus Dei, ex mancipio diaboli filius Altissimi, ex reo inferni heres coeli. Sacerdotibus omnibus, qui in medio sunt positi Deum inter et homines, cum Deo homines, cum hominibus dii, magna collata potestas est, magna dignitas. At eadem in confessario in altiorem elata est gradum, ut de iis imprimis dictum intelligatur illud Ps. 81, 6: «Ego dixi: dii estis.» Merentur quidem et hunc titulum praelati, sacri doctores, contionatores; at speciali ratione confessarii. Hi enim ad vitam spiritualem non solum, ut illi, disponunt consiliis, doctione, adhortatione, correctione; sed eandem quoque conferunt. Inde ponderet confessarius, quantus in muneris sui functione pandat se meritorum campus; nam opera misericordiae tam corporalis quam spiritualis in hac exercentur: docet enim confessarius ignorantes, errantes in viam revocat, offensas remittit, maerentes consolatur, dubitantibus bene consulit, pro periclitantibus de salute efficaciter Deum deprecatur, dirae servituti mancipatos redimit, vinctos peccatorum catenis exsolvit, nudos stola gratiae cooperit, egenos et languidos cibo potuque spirituali reficit, ut merito a Deo misericordiam exspectare possit dicente: «Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur» (Mt 5, 7). Accedit meritum insignis patientiae, mansuetudinis, abnegationis sui in gravibus saepe molestiis et difficultatibus, quae a poenitentibus rudibus, induratis, refractariis et obscenis peccatoribus saepe afferuntur; quae omnia, si ex sincero zelo divinae gloriae et caritate fiant, ingens meritum necessario proferent.

2. Resp. II. Confessarius, ne suae et alienae periculum salutis incurrat, accessurus ad sacrum tribunal magnam concipiat in Deum fiduciam, suae sapientiae et prudentiae diffidens, lumen dirigendi animas, quas Salvator noster acquisivit sanguine suo, et auxilium difficultates sine offensione superandi imploret, obarmet se firmo proposito leges patientiae et

mansuetudinis observandi, formet intentionem absolvendi poenitentes, prout cuiusque exiget dispositio, nempe absolute vel conditionate, prout ipsa postulabit.

Accedat ad sacrum tribunal prompto animo et cum gaudio, quod Deus ipso dignetur uti adiutore ad opus tam praecellens, memor se patris officio fungi, sibique missurum Deum esse animas, quas cupiat per ipsum dirigi, instrui, ex servitute peccatorum extrahi.

Poenitenti iam flectenti[1] ex animo bene precari poterit his verbis: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis, ut rite confitearis peccata tua, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.*

CAPUT II.

Quae observanda sint confessario in decursu confessionis.

Poenitens benigne excipiendus, iuvandus in *examinandis* et *enarrandis* peccatis, non terrendus ullo impatientiae signo.

3. Resp. I. Si poenitens, praesertim rudior, non dicat, *a quo tempore sit confessus,* quaerat id confessarius; uti etiam, num poenitentiam iniunctam expleverit; si non, num sciens et volens.

Resp. II. Non videtur expedire universim statim interrogare sub initium, *cuius status sit poenitens,* ne curiositate videatur duci confessarius aut molestiam inde ferat poenitens; sed ubi occasio erit ratione alicuius peccati, aut ubi pro examine supplendo id vel necessarium vel expediens esse videbitur. Verum interroget eum benigne, quid mali ab ultima confessione admiserit; si notet timorem, animet eum, ut pro anima sua non erubescat dicere verum, permittatque primo exponere, quae post examen ei occurrerunt. Si satis se non possit explicare, aut notetur eum non, prout oportuit, conscientiam suam examinasse: non facile ideo rudem sine ab-

[1] Vel ad sese accedenti.

solutione dimittat, sed excitet suaviter, iuvet variis interrogationibus, percurrendo materias, in quibus labuntur fere eiusmodi. Deinde suggerat modum se recte examinandi, v. gr. quid cogitatione, verbo, opere, omissione, domi, in templo, clam, palam in hac illave occasione contra Deum, se ipsum, suos aliosque proximos mali admiserit; rudes enim sine absolutione ideo dimissi aut non revertentur aut statim adibunt alium exacerbati et minime correcti, cum multi non sint capaces, prout par est, se examinandi; si quis tamen inveniretur in diversis materiis gravium peccatorum reus et numerum tantum coniectando diceret, admonendus is esset obligationis se diligenter examinandi, et suggesto modo id faciendi dimitti utiliter posset et quandoque deberet, ut examinet rite conscientiam et mox redeat, nisi forte circumstantiae aliud exigant.

Resp. III. Si *omittat* poenitens *aliquid necessario addendum* et confiteatur ex scripto, statim id interrogetur; si autem confiteatur de memoria, putetque prudenter confessarius se satis illius recordaturum, interrogationem ad finem confessionis differat; si vero prudenter timeat, ne id obliviscatur, sinat adhuc unum alterumve peccatum addere et tum interroget, ne postea cum confusione et nova molestia teneatur peccata repetere poenitens; ubi interrogationi satisfecerit, confessarius peccatum ultimo dictum in mentem revocet et iubeat ab illo pergere; sic enim reducetur ad narrationem antea mente conceptam.

Resp. IV. Si poenitens in confessione *incipiat aliorum peccata detegere*, mox moneatur, ut sua confiteatur, de alienis autem, ne detrahat, sileat, ut confessio, quemadmodum oportet, sit humilis sui, non aliorum accusatio. Si adferat impertinentia aut velut historiam contexat, dicatur ei satis esse, si sua peccata quoad speciem et numerum confiteatur, sine mentione occasionis et causae; iuvabit quandoque, si intelligetur, ad cuius peccati confessionem narratio tendat, interrogare, an in hac illave materia se reum inveniat peccati.

Demum, si nimis crasse vel impudice exprimat quaedam, doceatur ea honestius eloqui, ita tamen, ut species exprimatur.

Resp. V. Caveat confessarius, *ne ulla umquam signa* det manibus, pedibus, oculis vel quocumque motu corporis, quo circumstantes in suspicionem veniant aliquid singulare in confessione referri; quidquid audierit, nullum det signum admirationis vel indignationis, quod solus etiam poenitens possit advertere; alias enim hic deterrebitur ab enarrandis reliquis. Ob eandem causam ne increpet ante confessionem et examen absolutum; sed potius, quo graviora detexerit, eo suavius agat cum eo, magisque animet, ut totum virus evomat paceque fruatur.

CAPUT III.

Quae observari debeant circa examen poenitentis.

Examen sit diversum pro diversa poenitentis conditione; sit moderatum.

4. Resp. I. *Necesse non est examinare eos, qui sacpe confitentur* raroque peccant graviter, et quos constat nosse omnia, quae spectant ad confessionis integritatem: unde regulariter interrogandi non sunt religiosi, ecclesiastici, aliique in theologia versati, nisi tamen certum videatur ab iis omitti aliquid necessario explicandum; tum enim et non alias prudenter praesumitur eos aut nescire suam obligationem aut ad eam non advertere.

Resp. II. *Si examine opus sit,* fiat id convenienter ad aetatem, naturam, conditionem, sexum et negotia, et *de illis tantum, quae probabiliter ab illo poenitente videntur forte admissa.* In materia castitatis procedendum est caute, ne forte poenitens doceatur, quod ignorat et quod eum scire non convenit. Si neget cogitationes, non interrogetur de operibus, nisi forte poenitens sit admodum rudis[1]; eiusmodi

[1] Immo idem observa non solum apud rudes, sed etiam apud eos, qui videantur non admodum sinceri; quos non raro etiam post negatas cogitationes urgendo et porro interrogando de pravis sermonibus vel male gestis,

enim saepe non apprehendunt cogitationes velut peccata, saltem nisi voluerint progredi ad opera; unde ordinarie tales examinandi sunt primum de operibus, deinde de verbis, demum de cogitationibus. Si poenitens cogitationes voluntarie habitas fateatur, interrogetur de colloquiis, aspectibus, tactibus; si haec fateatur, interrogetur, num forte opus aliquod peius admiserit vel saltem concupierit aut voluisset admittere, nisi pudor aut metus retraxisset; sunt enim rudes, qui, nisi ita interrogentur, tacent, rati sat esse, quod aliquid insinuando confessario occasionem dederint interrogandi. Demum species et numerus interroganda.

Resp. III. Etsi confessarius poenitentem, si conscientiam suam vel non aperiat vel non excusserit, ut par est, teneatur examinare, ut habet communis et in praxi tenenda sententia: attamen *in examinando nec curiosus sit nec nimius confessarius,* ne vel sibi vel poenitentibus sacramentum reddat odiosum, quod Christus cautum voluit, aut occasionem praebeat ruinae spiritualis. Praestat autem confessarium aliquando minus perfecte peccata intelligere, quam se vel poenitentem scandalo aut sacramentum odio exponere[1]. Unde:

1. Non facile interroget circumstantias illas, quas et poenitens sine maximo rubore suo non potest dicere et confes-

---

simulque ad sinceritatem fervide excitando a sacrilega taciturnitate ad candidam confessionem poteris perducere. Sic v. gr. iuvenes et puellas, qui in ea aetate, ubi concupiscentia fervere solet, constituti sunt atque alias in religiosis exercitiis nedum pii et diligentes, sed valde negligentes reperiuntur, non sine ulteriore examine dimittere potes, si tacent, immo interrogati negent quaslibet pravas cogitationes et tentationes omnemque in iis negligentiam. Quos si porro urges, invenies aliquando ipsis pravis operibus foedatos. Magis etiam quod auctor mox addit de ulteriore examine eorum, qui cogitationes pravas confitentur, non quoad solos rudes observa, sed etiam quoad alios, qui in negotio aeternae salutis incuriosi videntur. Interrogandi munere confessarii confisi multi satis esse putant ulteriorum interrogationum ansam dedisse; quae si omittantur, pudor ora confitentium non raro occludit. *

[1] Si umquam alias, in hac materia maxime studendum est brevitati; nihil superfluum, sed sola necessaria interroganda sunt; in necessariis loquendi modus sit quam decentissimus. Optime ad rem monet Ballerini in notis ad

sarius ex aliis adiunctis vel dictis potest intelligere. Hinc confitentem incestum non interroget, in quo gradu fuerit, quia raro est in primo gradu, et in aliis gradibus probabiliter specie non differt [1]. Nec coniuges interroget de debito coniugali, nisi prudenter dubitet grave contra illud esse peccatum commissum. Et in hoc casu interroget, utrum inter se sint unanimes, an vir servet fidem uxori, an uxor in omnibus honestis et licitis viro oboediat: et sic facile deprehendet, si forte negatum sit debitum coniugale. *Interrogatio aliqua vaga, a longinquo quasi indagans, num gravia exstiterint peccata, v. g. «num omnia in matrimonio bene procedant vel agantur», nostra aetate non raro conveniens est. Nam cum libelli obscenissimi in omnes mundi angulos, etiam ruri, spargantur, atque impudentissima quaeque ibi doceantur atque defendantur: ignorantia rerum obscenarum rarissima est; expedit igitur, ut innocua quadam et vaga interrogatione ansa detur confitendi ea, si quae forte contra iura matrimonialia fuerint commissa, i. e. non solum si denegatum debitum coniugale, sed etiam si aliter actum sit contra coniugum iura et obligationes.* Si uxor confiteatur se cognitam a viro modo non convenienti, non interroget per se particularia; sed in genere, num generatio sit impedita; num eo modo convenerint, ut generatio potuisset sequi, etc.

Gury II 912, 3: inopportunum et inverecundum modum loquendi aliquando dedisse ansam non solum male suspicandi de confessario, sed etiam eum apud ecclesiasticos iudices denuntiandi quasi *de sollicitatione* seu de inhonestis sermonibus in confessione habitis; et iudices quidem tum in eos qui ex malitia, tum in eos qui ex imprudentia sic deliquerint, animadvertere consuevisse.*

[1] Probabiliter in solo *primo* gradu *eoque lineae rectae* incestus malitiam specifice diversam ab incestu in reliquis gradibus habet, in eoque distinguendum est, utrum seducens fuerit in linea ascendente an descendente; etiam probabiliter in reliquis gradibus incestus cum consanguineis specie non differt ab incestu cum affinibus; specie tamen differt hic incestus ab eo, qui habetur inter cognatos spirituales et legales. Cf. S. Alph. IV 449 450; VI 469 470. Hinc patet, raro quidem esse rationem interrogandi de gradu, posse tamen esse in certis circumstantiis.*

2. Benignius examinet aegrotum minus capacem aut minus dispositum ad attendendum quam sanum; item, qui pluribus peccatis se gravatum sentit quam qui paucioribus, quia examen debet esse accommodatum poenitenti. *Lugo,* De poen. disp. 16, sect. 14, n. 594.

3. Nec ordinarie interrogandus poenitens, qua conscientia in hoc illove processerit; id enim nimis grave esset confessario, et per se loquendo praesumi potest poenitentem obiectum apprehendisse, ut secundum se malum est. Excipe, nisi aliud circumstantiae suadeant; quia, ut dixi, rudes saepe non apprehendunt malitiam delectationis morosae in obiecto turpi, et idem est de colloquiis turpibus, quos iocos vocant. Caveat demum confessarius, ne de fabulis et nescio quibus impertinentibus loquendo risui aliorum et dicteriis confessionem obiciat.

Resp. IV. Sicut poenitens in examinanda conscientia sua non tenetur ad maximam *diligentiam,* sed ad mediocrem tantum, seu qualem prudentes in magni momenti negotiis iuxta capacitatem suam adhibere solent; sic confessarius in examinando poenitente tenetur tantum ad *mediocrem* et *moralem* proportionatam poenitentibus temporique ab ultima confessione elapso: quod addo, quia, ubi poenitens diu non confessus est, maiore opus est diligentia, quam si a tempore breviore. Ratio responsionis est, quia poenitens tenetur per se, et primo loco, cum in poenitentiae tribunali sit sui accusator et testis; confessarius autem, utpote iudex, tantum in defectu poenitentis, cuius obligationem subit, ut integritas iudicii procuretur. Hinc *Lugo* [1], alii inferunt confessarium non teneri ad maiorem diligentiam quam per se loquendo poenitentem, si nimirum modum se examinandi sciat. Ratio utriusque est, quia, si aut poenitens aut confessarius teneretur ad maiorem diligentiam quam moralem et in magni momenti negotiis a diligentibus adhiberi solitam, sacramentum poeni-

[1] De poen. disp. 16, sect. 14, n. 590.

tentiae fieret illis nimis grave et odiosum, exponeretque illos continuis et innumeris anxietatibus. Ne terreatur tamen confessarius ullius poenitentis auctoritate; sed, ubi necessarium esse iudicarit, examinet etiam magnates; poenitentes enim omnes in sacro hoc tribunali rei sunt, confessarius iudex loco Dei, neque Christus aliam legem condidit pro rusticis et plebeiis, aliam pro nobilibus et magnatibus, sed eadem voluit omnes teneri.

CAPUT IV.

Quomodo instruendus et admonendus poenitens.

Qui nescit necessaria, aut instruendus aut ad tempus remittendus. Qui ex ignorantia peccat, instruendus; aliquando relinquendus in bona fide. Apte exhortandus est poenitens ad vitam christianam.

5. Resp. I. Quae poenitentes aut debent aut utiliter saltem doceri et moneri possunt, sunt 1. necessaria scitu necessitate medii, 2. requisita ad dignam sacramenti poenitentiae et eucharistiae susceptionem, 3. quae faciunt ad deponendos errores, quibus quandoque laborant, 4. obligationes, quas forte contraxerunt, v. gr. restituendi famam, compensandi damna, corrigendi proximum etc.

6. Resp. II. Si confessarius notet etiam cum dubio poenitentem ignorare *scitu necessaria necessitate medii* vel *ad sacramenti poenitentiae* aut *eucharistiae* susceptionem, remittat eum ad alium diem, donec curaverit se melius instruendum. Si vero eum sine absolutione dimitti non expediat, auditis necessario audiendis, quoad poterit, spectatis circumstantiis eum doceat magis necessaria, ita ut prudenter iudicare possit eum satis iam apprehendere, ut fidem habeat circa necessaria; dein eliciat cum eo actum fidei, spei, caritatis et contritionis, postea monitum, ut magis se curet instruendum, absolvat.

7. Resp. III. Si notet aliquid *haberi a poenitente pro peccato, quod peccatum non est*, aut *pro mortali, quod ve-*

niale: doceat eum veritatem, ne pergat peccare ex conscientia erronea.

Similiter si poenitens *ex ignorantia vincibili* putet aliquid non esse peccatum, quod revera peccatum est, sine dubio dedocendus est. Ita etiam, si id putet ex ignorantia *invincibili sitque spes fructus:* excipe casum, in quo alteri grave inde immineret damnum, ob quod materiale peccatum poenitentis permitti posset. Si autem modo prudenter non speretur fructus, relinquatur tantisper in errore inculpabili, ne a materiali peccato ducatur in formale. Ceterum recte monentur vix non semper de turpitudine pollutionis, qui eam videntur ignorare, quia saepe ignorantia non est invincibilis, sed iuncta cum formidine vel dubio, quod imprudenter excutiunt aut retinent; saepe etiam contrahunt habitum tam vitiosum, ut agnita dein malitia difficillime emendentur, immo et alios seducunt, persuadentes peccatum non esse. In dubio, utrum ignorantia invincibili laboranti profutura sit monitio, an illi vel alteri obfutura, conferenda est spes fructus cum metu damni, sique spes sit maior, monendus est. Si talis interroget confessarium de re aliqua, circa quam illum inquietat conscientia, aperienda est illi per se loquendo veritas; quia, cum ea de re sit dubius vel anxius ideoque teneatur inquirere et nunc confessarium interroget, tenetur hic veritatem aperire, ne tacite errorem videatur approbare. Cavendum tamen confessario, ne, si fructus non speretur, plus dicat, quam necesse sit; v. g. obstrictus voto simplici castitatis inivit matrimonium valide, interrogat deinde, num possit licite uxori debitum reddere: respondendum illi affirmative, et tacenda obligatio non petendi, quia alias de peccato materiali adduceretur in praesens periculum peccati formalis. Dixi: per se loquendo, quia, si veritatis cognitio esset gravius obfutura, dissimulandum foret a confessario, ac si non audivisset, aut dicendum opus non esse iam de hoc agere; interim posse eum facere id, quo iudicat Deum non offendi. Nam in tali casu veritatem illi aperire esset ei porrigere gladium, quo se

vel proximum gravius laederet. Demum, si poenitens, in praesenti non dispositus ad suscipiendam cum fructu instructionem, speratur dispositus fore alio tempore, differenda esset instructio, dicique illi posset: Cave peccata, ceterum operari poteris, quod licitum tibi dictabit conscientia; erit alias occasio tibi uberius loquendi. Ratio horum omnium est, quia lumen naturae dictat et offensam Dei esse vitandam, ubi potest, et non esse facienda bona vel malum minus avertendum, si inde praevideantur secutura graviora; hoc enim non esset consulere honori Dei et saluti animarum, sed magis officere.

8. Resp. IV. *Excitandi sunt poenitentes ad agendam vitam christianam,* secundum suam quisque capacitatem et dispositionem. Convenit adhortari omnes, 1. ut ante omnia pugnent contra peccatum suum maxime scandalosum et periculosum, radicem aliorum, seu in quod frequentior est lapsus, quod magis officit profectui, magis animam inquietat: si quid contra eveniat, eius emendationem mane et vespere proponant, frequenter eliciant actus contritionis, implorent a Deo frequens auxilium, suam infirmitatem et inconstantiam confitentes; 2. ut operibus suis mane praefigant rectam Deo placendi intentionem, hanc per diem quandoque renovent, praesertim ante actiones nobiliores aut graviores; 3. ad pulsum horologii vel saepius per diem meminerint praesentis Dei, eum adorando, laudando, amando, pro beneficiis gratias agendo, in eum confidendo. 4. Utile etiam quandoque erit suam vitam conferre cum vita Christi, eumque exemplar proponere in actionibus suis, in prosperis et adversis. Sic Beatus Petrus Faber, primus sancti P. Ignatii socius, quendam ex primatibus Hispaniae, qui ab eo instructionem quandam petierat, admonuit, ut haec pauca secum perpenderet: «Christus vixit in summa inopia, et ego vivo in summa opulentia; Christus in fame et siti, et ego in exquisitis cupediis; Christus nudus, et ego pretiose vestitus; Christus in doloribus, et ego in deliciis.» Atque haec apud eum tantum valuerunt, ut

paulo post lauto adhibitus convivio, uno ex quatuor punctis animum subeunte, in lacrimas effusus, a mensa discedere, solitudinem quaerere, in qua liberius sibi Deoque vacaret, coactus fuerit. Iuvat quoque ex vita Sancti, cuius festum colitur, aliquid desumere, quod imitandum poenitentibus proponatur. De his plura infra.

9. Resp. V. *Admonitio* talis sit plerumque, ut *non* potius *videatur reprehensio,* maxime si poenitentes sint seniores vel magnae auctoritatis, aut timidiores vel pusillanimes vel genii exulcerati; hi enim vel abicient facile animum aut exasperabuntur et reprehensionem vix sine impatientia et contemptu excipient. Hinc confessarius in reprehensionibus sit potius parcus quam prolixus, benignus magis quam severus; gravior tamen quandoque potest aut debet adhiberi admonitio illis, qui sunt naturae durioris, parum de salute solliciti, praesertim si benigna admonitio fructum non habuit, modo fiat post exposita peccata, sitque talis, ut poenitens intelligat admonitionem procedere ex amore salutis ipsius.

CAPUT V.

Quomodo poenitentes ad dolorem et propositum disponendi.

Signa doloris. — Quibus quae motiva doloris proponenda; poenae peccati, eius turpitudines multae atque diversae; Dei maxima et innumera beneficia; eius bonitas summa.

10. Resp. I. Etsi plerique poenitentes, maxime pueri, rudes, et magni peccatores, excitandi sint a confessario ad dolorem supernaturalem seriumque propositum, attamen, *quando adsunt signa eorum sufficientia,* ad id *non tenentur confessarii.* Signa autem sunt sequentia: *Primum,* si poenitens dicat: Post commissum peccatum statim dolui, vel: multum mecum sum luctatus, ut hoc peccatum confiterer, vel: ah! sum miser et magnus peccator. *Secundum,* si in initio se accuset de gravioribus aut de omissis voluntarie antehac in confessione, vel

conetur omnia bene explicare anxius circa numerum et speciem. *Tertium,* si sponte dicat: Volo vitare occasiones, vel: volo ablata restituere aliisque obligationibus satisfacere, vel: iniunge mihi magnam poenitentiam etc. Ratio horum est, quia, cum pudor naturalis hominem retrahat a sui confusione, si adsit sollicitudo singularis, merito praesumitur, nisi aliud constet, talem sincere dolere ex motivo supernaturali velleque se emendare; nec universim sufficiens doloris deficientis signum est, si poenitens, dum subit confessionale, subrideat; qui enim sunt animi hilaris, passim subrident in actionibus etiam seriis.

11. Resp. II. Quamvis de adultis, qui apparent bene instructi, ordinarie praesumere prudenter possit confessarius eos esse bene dispositos dolorisque signum esse seriam peccatorum confessionem, *expedit tamen* eos excitare, ut dolorem renovent, immo et, pueros praesertim et rudiores, interrogare, num, antequam ingressi sint confessionale, dolorem et propositum elicuerint, quia quidam, ut experientia docet, interrogati respondent se id esse oblitos aut putasse satis esse, si in confessionali elicerent: quod etsi verum sit, vix tamen fiet, ut dolorem et propositum sincerum statim concipiant. Unde si poenitens inveniatur non elicuisse antea dolorem cum proposito, monendus est, ut deinceps post conscientiam discussam ante ingressum in confessionale id praestet, proponendaque illi motiva doloris, et ad eum excitandus, dandumque tempus, ut eliciat clam ipse, quia, si confessarius tantum verbis praeeat, facile fiet, ut ea simul recitet sine interno sincero dolore serioque proposito. Ubi dispositus videbitur, iubeatur denuo se accusare in genere, quamquam hoc absolute non requiritur; quia, dum poenitens exspectat absolutionem, eam reipsa petit, continuatque se reum confiteri, sicque satis dolor praecedit confessionem. Si poenitens dicat se ante confessionem elicuisse dolorem cum proposito, potest confessarius acquiescere, nisi aliud circumstantiae suadeant; optime tamen iubebit eum breviter repetere dolorem. Praeterea hortetur et instruat praesertim rudiores vel gravis pec-

cati reos aut in eadem venialia saepius et plene deliberate relapsos, quae media emendationis sint adhibenda.

12. Resp. III. *Motiva doloris* proponenda sunt poenitentibus *accommoda magis cuiusvis capacitati:* non enim omnes iisdem aeque moventur. Proinde diversa in promptu habere debet confessarius. Sunt autem motiva haec: *Primum* iactura gratiae et vitae aeternae; aut, si peccatum est veniale, retardatio a beatitudine demeritumque maioris gratiae, et hinc consequens periculum labendi graviter; nam: «Qui spernit modica, paulatim decidet» (Eccli 19, 1). Per iacturam illam fit homo ex filio inimicus Dei et mancipium diaboli, ex herede coeli miser, nudus, bustum inferni.

Motivum *secundum:* poena inferni et purgatorii gravissima, quibus Deus, ut est iudex iustissimus, punit peccata, et mortale quidem poenis aeternis; quae autem stultitia maior cogitari potest, quam quod homo ob lucrum temporaneum, glebam terrae, voluptatulam turpem, cum bestiis communem, punctum honoris mundani tantis se bonis privet et addicat poenis aeternis, aeternae Dei irae, aeternae confusioni apud Deum, beatos, damnatos; se addicat aeternae cuidam necessitati, Deo, parentibus, diei, quo natus est, maledicendi. Unde merito dicitur duos tantum in mundo carceres esse necessarios, unum haereticorum, in quem mittendi sint qui non credunt; stultorum alterum, in quem coniciendi qui credunt per peccatum se alienari a Deo, unico suo et summo bono, et aeternis addici miseriis et cruciatibus, et qui tamen peccare non horrent.

Motivum *tertium* est turpitudo peccati, sita in eo primo, quod peccatum, praesertim grave, summa sit creaturae in Deum, creatorem suum et benefactorem unicum, ingratitudo; secundo grandis in patrem amantissimum impietas et rebellio; tertio enormis in supremum dominum irreverentia et inoboedientia; quarto vilipensio et contemptus Dei, qui negligitur et vilissimae creaturae postponitur; quinto iniuria Dei, quia abusus rerum Dei Domini contra voluntatem eius; sexto dehonoratio

Dei negans supremae maiestati cultum et subiectionem debitam, dicente apostolo Rom 2, 23: «Per praevaricationem legis Deum inhonoras»; septimo superbia, qua peccans recusat subesse, reipsa dicens: «Non serviam»; octavo recessus ab amabili Salvatore, et accessus ad diabolum, hostem eius. Crescit autem turpitudo illa ex eo, 1) quod peccatum fiat in conspectu Dei, fiat eo tempore, quo Deus peccatorem conservat eique dat Esse, fovet, beneficiis circumdat, ad se paterne invitat, promittit, vult dare salutem; 2) quod peccans concursum Dei detorqueat in eius contemptum suamque perditionem, et Deum faciat servire in peccatis suis; 3) quod Christo, qui tanto pretio redemit animam eius, sit opprobrio, exsultante quodammodo diabolo: ipsum tam parvi pendi ab iis, quos annumeravit Ecclesiae suae et membra esse voluit corporis sui mystici. Atque haec turpitudo, ut abominabilis est Deo, ita abominabilem, quem inficit, reddit peccatorem, iuxta illud Os 9, 10: «Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt.»

Quartum motivum sunt beneficia Dei, ut sunt creatio seu translatio ad Esse de nihilo, in quo alii tot relicti sunt et aeternum relinquentur; conservatio seu omni momento continuata productio, qua cessante in nihilum relaberetur homo; redemptio per sanguinem et ignominiosam Filii Dei mortem; collatio baptismi, quo homo in amicitiam Dei admittitur et filius fit Dei, quo tot alii carent et ideo aeternum perituri; educatio a catholicis parentibus, cuius defectu millies milleni pereunt, qui melius, eo beneficio donati, Deo fuissent servituri; toties repetita peccatorum remissio, constans Dei amor, quo aberrantem revocavit, reduxit, prodigum suscepit, stola gratiae vestivit, hactenus sustinuit et fovit; toties repetita ad mensam eucharisticam admissio; et innumera alia beneficia, quibus Deus hominem ita circumcinxit, ut, quoquo respiciat, in oculos incurrant. Iuvat poenitentem quandoque interrogare: Quid ab homine utilitatis habet Deus? Nihil. Quid a Deo homo? Omnia. An tibi aliquando aliquid mali fecit Deus?

Numquam. An non ergo indecens, quod sic Deum inhonoras, ei tam ingratus es? Iuvat quoque, si confessarius recenseat beneficia poenitenti in particulari facta, sicut Nathan propheta recensuit David lapso (2 Reg 12, 7 9), ubi volens ostendere illi turpitudinem peccatorum suorum dixit: «Tu es ille vir. Haec dicit Dominus Deus Israel: Ego unxi te in regem super Israel, et erui te de manu Saul. . . . Quare ergo contempsisti verbum Domini, ut faceres malum in conspectu meo?» Porro beneficia Dei augentur ex infinita conferentis dignitate, ex amore infinito, quo conferuntur, ex indignitate creaturae, cui conferuntur, et ex magnitudine donorum, et ex iisdem capitibuscrescit ingratitudo.

Quintum motivum est Deus ipse propter se dignissimus qui non offendatur, dignissimus omni cultu, honore, amore; cuius vilipensio, contemptus, malum unicum est peccatum, atque malum eo gravius, quo maior est dignitas offensi. Cuius proinde gravitas, etsi humanum excedens intellectum, ut magis appareat, expendatur serio, quis offendatur, vilipendatur, contemnatur, a quo, propter quid, quibus auxiliis, ubi, quando. Quid pro eius satisfactione Pater a Filio suo incarnato, qui peccatum non fecerat, sed nostra suscepit destruenda, exegerit; quas poenas in hoc et futuro saeculo impoenitentibus infligat Deus, cuius natura bonitas.

13. Resp. IV. Ex his motivis id primum confessarius proponat, quod poenitentis capacitati et dispositioni magis videtur congruere; *alii* enim *timore, amore alii* magis *ducuntur*. Provectiores in virtute, et qui conantur proficere, facile excitantur considerando immensa Dei in nos beneficia eiusque nfinitam maiestatem; rudiores et duriores concutiendi sunt primum timore poenarum et excitandi ad dolorem propter illas peccatoribus a Deo praeparatas; deinde adducendi ad amorem ingenuum doloremque ob offensum tantum benefactorem; demum ad amorem Dei propter se doloremque propter ipsum offensum et contemptum, cum proposito propter ipsum non peccandi de cetero; sic enim securius, si contri-

tionem perfectam non assequantur, saltem attritionem concipient. Expedit omnibus proponere labores, sudores, passionem et mortem Christi. Quae, quanta, quo fine, quo amore ista fecerit, passus sit. Ecce, quae fecit et tulit pro te Salvator tuus, tui non egens, et quid tu rependisti? Captari etiam potest occasio excitandi ad dolorem ex circumstantiis, v. gr. festi, praesertim, quo recoluntur specialia Dei beneficia; vel ex obiecto, propter quod quis peccavit, ut, si quis peccavit propter bonum utile vel iucundum vel respectum humanum, dici potest: Potuisti amare bonum tam exiguum, tam inane, tam inconstans et brevis temporis; quanto magis amare debebas Deum, qui est omne bonum, respectu cuius reliqua umbra sunt. Fidem consule: An quid cogitari potest Deo melius, et hunc tu non ames? Quidquid amas, ideo amas, ut sit tibi bene; at cogita, num tibi quidquam melius esse possit quam habere Deum omne bonum. «Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum» (1 Cor 2, 9); et tu Deum tam benignum, tam liberalem etc. non diligas doleasque a te offensum etc. — Notandum autem necesse esse, ut dolorem praecedat fides saltem virtualis et spes, quia nemo actu supernaturali de peccatis dolere potest, nisi credat Deum peccatis offendi esseque vindicem malorum, bonorum remuneratorem, speretque veniam; de quo n. 104 116. *Videlicet haec eo fine notanda sunt, ut inculcetur motiva doloris esse ex fide sumenda seu ex iis, quae christiana revelatio nos docet circa peccata, eorum malitiam, poenas, detestabilitatem. Quodsi quis ex iis, quae fide novit et tenet, de peccatis dolet, de alio vel explicitiore fidei actu sollicitus esse non debet, nisi forte peccando fidem abiecerit: in quo casu fides explicite elicienda est circa veritates necessarias, siquidem de virtuali fide in eo homine sermo esse non potest, qui fidem amplius non habet; virtualis enim fides supponit fidem formalem et explicitam, quae praecesserit.*

CAPUT VI.

Quae satisfactio poenitentibus imponenda.

Poenitentia aliqua iniungenda est — cum qua proportione et cuius generis opera. — Poenitentia non conveniens. — Causae minuendae poenitentiae; facultas mutandae.

14. Certum est confessarium teneri sub culpa peccatis proportionatam poenitenti absolvendo aliquam satisfactionem imponere, quia ad illum ut iudicem pertinet procurare satisfactionem parti laesae. Ut minister autem sacramenti debet eius integritati consulere. De hac obligatione Trid. sess. XIV, cap. 8 loquens ait: «Debent autem sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et poenitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones iniungere, ne forte, si peccatis coniveant et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur: habeant autem prae oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam ac infirmitatis medicamentum, sed etiam ad praeteritorum peccatorum vindictam.» Hactenus Tridentinum[1]. At difficultas superest, quae sit huic illive poenitenti, his illisve peccatis proportionata. Pro qua minuenda ad quaestionem propositam

15. Resp. I. Confessarius impositurus satisfactionem *attendat* 1) ad qualitatem peccatorum, non ut iis aequalem, sed ut proportionatam, convenientem, non nimis levem iniungat; 2) ad conditionem, facultates, vires poenitentis, ne nimis gravem, et facile omittendam ideoque inconvenientem imponat; 3) ad qualitatem operis, ut satisfactio sit vindicativa simul et correctiva vitae prioris et praeservativa a relapsu. Confessarius enim ut iudex debet punire delicta, ut medicus vero mederi infirmo et a relapsu, quantum in ipso est, eum prohibere. Optime in hac parte fungetur officio suo, si in-

[1] Similiter can. 887.

iungat poenitentias discrete afflictivas et efficaciter correctivas vitae prioris; et quamvis spectanda sit qualitas criminum, magis tamen attendenda est natura, conditio, utilitas poenitentis[1].

16. Resp. II. *Pro satisfactione imponi possunt:* 1. opera quaevis poenalia, ut ieiunium, abstinentia a certo cibo vel potu, et quaevis carnis mortificatio; 2. oratio et quivis cultus Dei; 3. eleemosyna et quivis actus proximo salutaris. Unde imponi possunt orationes aliaque pia opera pro defunctis obeunda, et sic exercetur caritas, fitque eleemosyna acceptissima: neque sic poenitens privatur omni vi satisfactoria, quia intentio applicandi et vis satisfactoria operis, ut per claves elevati, ad satisfaciendum ex opere operato manet poenitenti. *Suffragia pro defunctis a catechismo Tridentini Conc. (p. 2, c. 5, q. 74) habentur pro satisfactionis genere maxime convenienti. — Immo optimum est iniungere pro sacramentali poenitentia pia exercitia vel preces pro defunctis, quibus indulgentiae annexae sunt. Nam sacramentalem poenitentiam peragere et simul indulgentias lucrari christifideles posse nunc extra dubium est. S. C. Indulg., approbante Leone XIII, d. 11 resp. 14 Iunii 1901 ad *Quaest.:* «Utrum poenitens precem aut pium opus indulgentiis ditatum explens possit simul et poenitentiae [sacramentali] satisfacere et indulgentias lucrari» *resp.* «Affirmative, facto verbo cum SS^mo» (*Anal. eccl.* 9, 300).* †Ita etiam can. 932.† 4. Iniungi possunt actus mere interni fidei, spei, caritatis; meditatio de morte, inferno, iudicio etc., quia et hi valde meritorii et satisfactorii sunt. *Consentit *S. Alph.* VI 514. Rationes contrariae afferuntur: 1) quod sacramentalis satisfactio *ut pars sacramenti* debeat

[1] Attende, quaeso, ipsum Conc. Trid. dicere iniungendas satisfactiones, convenientes non solum pro qualitate criminum, sed etiam *pro poenitentium facultate.* S. Alph. VI 509 monet per accidens minui posse poenitentias, «quia, tametsi iuxta divinae iustitiae rationem exigatur satisfactio peccatis adaequata, tamen ex divina clementia habenda est ratio virium poenitentium tam corporis quam animi». *

esse sensibilis; 2) quod humana potestas non possit praecipere actus mere internos. Sed haec nihil valent. Nam 1) actus illi interni evadunt ut sacramentalis satisfactio seu pars sacramenti satis sensibiles per acceptationem externe manifestatam, non minus quam dolor, qui est pars sacramenti magis etiam essentialis; 2) quidquid est de potestate humana circa actus mere internos, potestas sacramentalis non tam est humana quam divina, latius igitur est extendenda.* Cum enim actus caritatis in peccatore vim habeat delendi reatum culpae mortalis et reatum poenae aeternae, multo magis valebit ad delendum reatum poenae temporalis in iusto. 5. Opera etiam praecepta, quia et haec sunt satisfactoria et elevari possunt ad rationem satisfactionis sacramentalis suntque tunc sub duplici obligatione praestanda. Sic, si quis accusaret se de negligentia in audiendo sacro vel persolvendis horis canonicis, posset illi iniungi, ut ea aliquot vicibus devotius praestaret. Ceterum expedit semper aliquid non praeceptum addere, ut sit poenitentia magis vindicativa[1]. 6. Cum valde salutares sint poenitentiae peccatis directe oppositae, divitibus, avaris, iniustis utiliter imponuntur eleemosynae, quia pecunia est illis nutrimentum et anima affectus inordinati; caveat tamen confessarius, ne sibi aut suis velit eleemosynam applicari. Similiter obnoxiis vitio carnis, ebrietatis, gulae recte imponuntur macerationes corporis per ieiunia, cilicia, flagellationes, subtractionem commoditatum in lecto, diuturniore somno, delicatiore victu. Invidis, iracundis, odio proximi laborantibus opera caritatis erga proximum, a quo est aversio, v. gr. ut pro eo orent, honore eum praeveniant, iuvent, quantum commode possunt: quod tamen caute suadendum vel iniungendum est. Contraria enim contrariis curantur; estque generale et utile remedium adversus omne peccatum, ut in materia, in qua quis commisit illicita, abstineat etiam a licitis. 7. Qui non habent vel vix habent tempus orandi, aut qui

[1] Consentit in omnibus S. Alph. VI 513.*

aliunde tenentur ad multam orationem, iis ne imponantur longae orationes, utpote vix illis utiles, sed pauca potius opera cum fervore et in statu gratiae facienda; his enim iuvantur magis quam multis tepide et in statu peccati peractis. Unde talibus parvae potius, sed efficaces poenitentiae iniungendae sunt, v. gr. ut certis festis confiteantur, quotidie legant libellum pium, aut meditentur, si capaces sint, per horae quadrantem aut diutius de certo mysterio, quo magis afficiuntur, aut de materia, qua maxime terrentur, ut de passione Domini, de iudicio, morte, inferno, gravitate peccati, amore Salvatoris in humanum genus etc., vel usque ad proximam confessionem mane proponant cavere illo die certum peccatum in honorem v. gr. sanctissimae Trinitatis, crucifixi Domini, beatissimae Virginis, Angeli Custodis etc., prout ipsis dictabit pietas; vespere examinent conscientiam, de lapsu doleant, proponant emendationem, gratiam petant; vel post decubitum in lecto cogitent se morituros et e lecto amplius non surrecturos; quae sententia post mortem exspectanda malis, in quem locum mittendi, quid ibi in aeternum passuri; vel iniungatur, ut mane surgentes sibi dicant: Hanc diem incipio, quam mihi dat Deus, ut operer salutem meam, forte crastinam non habebo, et finis erit vitae, at quando aeternitatis? Ex his poenitentiis iniungat confessarius, quae videbuntur poenitenti magis accommodatae, attamen uni non valde diversas; experietur eas, si serio obeantur, esse admodum utiles, ut experientia docet, monstrantque exempla. Sic puellae vanae, cui ex variis poenitentiis a confessario oblatis nulla sapiebat, profuit ad vitae emendationem haec exigua: Quoties mane laveris manus, hoc tibi tacite dices: «Haec caro erit aliquando esca vermium.» Iuvenem carnis voluptatibus implicitum correxit haec: Vespere decumbens in lecto animo resolve: «Vellesne pro totius mundi imperio iacere per 30 annos immotus in hoc lecto etiam rosis strato?» Si non, quae ergo insania pro modica voluptate aeternis se addicere ignibus? Militem induratum emollivit haec: Dono, inquiebat Alexander Pontifex, hunc tibi ex manu

mea anulum, ut illum gestes, et quoties eum aspexeris, recorderis aeternitatis. Alium correxit haec a sacerdote ex ordine Sancti Dominici iuncta: Per noctem unam iace immotus in lecto. Mane enim accurrens ad confessarium dixit id sibi visum esse impossibile; cui confessarius: Quomodo ergo iacebis in aeternum in inferno compactus? 8. Iniungi etiam potest idoneis, ut per diem mente versent aliquam ex Scriptura sententiam, ut: «Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?» (Mt 16, 26.) Vel: «Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt» (Iob 21, 13). Vel: «Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante, . . . ardoribus sempiternis?» (Is 33, 14.) Vel: «O vos omnes, qui transitis . . . attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus» (Thren 1, 12). Vel: «Vocavi, et renuistis . . . ego quoque in interitu vestro ridebo» (Prv 1, 24 sq), alia eiusmodi, quae et servient pro admonitione.

17. Resp. III. *Poenitentia minor,* quam alias iniungenda fuisset, imponi potest: 1. Si poenitens videatur valde contritus. 2. Si lucrandae sint indulgentiae, quia, quamvis tunc poenitentia medicinalis non sit imminuenda, minui tamen potest vindicativa; nam per indulgentias quidem applicatur satisfactio Christi et remittitur poena, non cavetur tamen relapsus [1]. 3. Si poenitens sit infirmus vel ita debilis, ut gravior sit ipsi valde difficilis. Unde luctanti cum morte sufficit iniungere, ut sacra nomina ore aut saltem corde proferat; potest infirmo gravior iniungi sub conditione: si convalescat; item, ut acceptet et statuat pro satisfactione perferre morbi molestias. 4. Si poenitens merito timeatur graviorem omissurus aut a sacramento poenitentiae avertendus vel aditurus confessarios minus idoneos aut ruiturus in desperationem; quibus in casibus tutius est, inquit Gerson, poenitentem cum

[1] Aliquam semper satisfactionem sacramentalem iniungendam esse monuit Benedictus XIV etiam in iubilaeo. Cf. Lehmkuhl, Theologia moralis II[12] 690.*

parva poenitentia implenda permittere purgatorio, quam cum magna, quae vel omittatur vel inutiliter impleatur, mittere in infernum [1]. 5. Si ex minore poenitentia speretur specialis utilitas; ut si credatur poenitens sic alliciendus ad frequentem usum sacramentorum. 6. Si constet poenitentem multa opera satisfactoria facere consuevisse. 7. Aliquando, ubi opus est reprehensione, quae tamen moderata esse debet, si dicat confessarius, priusquam reprehendat, ut se patienter audiat pro poenitentia. 8. Si poenitenti suas obligationes ostendat, v. g. se reconciliandi cum proximo, restituendi aliena, vitandi occasionem proximam, quas potest pro poenitentia iniungere, ut iis satisfaciat. In hoc casu, inquit *Lacroix* [2], non debet confessarius multum angi circa peccatorem gravem, ne ita disposito non sat gravem poenitentiam iniungat, quia illae obligationes per se sunt satis graves. 9. Si aliqua per modum consilii iniungat, et ad illa poenitens se paratum ostendat, v. g. ut opera quotidiana exactius ad tempus peragat. Etsi enim poenitentia non sit tota iniungenda sub puro consilio, cum non appareat, quomodo confessarius sicut iudex puniat, et alias sine peccato posset sacramentum poenitentiae sua frustrare integritate: pars tamen poenitentiae imponi potest sub puro consilio, ut habet sententia communis. 10. Si confessarius exemplo S. Francisci Xaverii partem poenitentiae in se suscipiat; sic enim movebitur poenitens ad dolorem, confusionem, ad frequentanda sacramenta vitamque christianam, consequenter ad maiorem satisfactionem. Ceterum, si iusto minor poenitentia iniungatur, monendus poenitens id iustis ex causis fieri, ut sic animetur ad spontaneam satisfactionem studeatque diligentius emendationi et ad confessionem alliciatur; secus enim gravitatem peccatorum suorum non aestimabit, quae advertit a confessario tam leviter puniri.

---

[1] Idem valde inculcat S. Alph. VI 510.*

[2] Theologia moralis l. 6, p. 2, n. 1260.*

18. Resp. IV. *Poenitentia inconveniens* est 1. Ea quae conflatur ex nimis multis diversis, v. g. ieiunio, orationibus variis etc., quia poenitens facile obliviscetur aut eas perfunctorie peraget. 2. Quae est ad rigorem antiquorum canonum, iuxta quos olim pro mortali dictabatur septennis poenitentia, nempe ut singulis hebdomadis ieiunaret poenitens in pane et aqua feria quarta, sexta, sabbato. Ratio est, quia rigor ille modo non est conveniens, eumque temperavit Ecclesia; tum ne confessio ab haereticis traduceretur velut carnificina fieretque odiosa poenitentibus; tum ut homines magis allicerentur ad sacramentorum frequentem usum et per hunc a relapsu praeservarentur; tum denique quia postremis temporibus frequentior concessio et participatio indulgentiarum invaluit[1]. 3. Si poenitenti imponatur, ne certum peccatum amplius committatur; quia exponitur periculo gravius labendi. 4. Si sit perpetua; quia esset immoderata. 5. Si iniungatur publica gravis, ordinarie est inconveniens; quia repugnat praxi Ecclesiae, et facile ingereret suspicionem gravis peccati vel causaret dissidia. Dixi: ordinarie; quia ob peccata publice commissa saepe utile, immo quandoque necessarium est imponere publicam, ut scandalum amoveatur; estque potestas confessario puniendi peccata, ubi necessarium; neque ideo violatur sigillum, quia obligatio tollendi scandalum aliunde est, neque, ubi poenitens debet consentire, deest consensus eius. Sic salvo sigillo calumniatori publico imponitur, ut ab offenso petat veniam. *Ita quidem *salvo sigillo* fieri *potest.* Verum veniae petendae obligatio non est per se calumniatori, sed *reparandae famae.* Qui laesit *honorem,* ille utique per petitionem veniae vel similem actum reparationem facere debet *coram* laeso.* 6. Si multum occupato imponerentur longae orationes, delicatis rigidae corporis castigationes, coniugibus longae peregrinationes; tales enim poenitentiae non

[1] Cf. Lehmkuhl, Cas. consc. II[4], n. 398 sq., ubi habes severam reprehensionem, qua S. C. de Pr. Fide excessivas poenitentias reprobavit.*

sunt proportionatae viribus, statui, conditioni poenitentium talium; neque aliud efficient, nisi ut fideles ab usu sacramentorum absterreantur.

19. Resp. V. Si *poenitens absolutus redeat* egeatque *nova absolutione*, nova iniungenda est poenitentia, nisi forte prior videretur sufficiens, velletque eam de novo confessarius in iungere, uti potest, sicut aliud opus aliunde debitum. Si poenitens petat sibi iniungi aliam poenitentiam loco iniunctae ab alio confessario, illi annuendum non est, nisi status antecedens illius ex confessione saltem confuse cognoscatur; quia iudex nequit iudicare incognita causa. Putat quidem *Illsung*[1] statum poenitentis antecedentem satis cognosci ex poenitentia illi iniuncta, ideoque opus non esse, ut peccata, ob quae iniuncta fuit, denuo exponantur; at licet hoc forte aliquando verum esse possit, non tamen semper; quia confessarii non sunt uniformes, nec omnes aeque solliciti de poenitentia praesertim medicinali imponenda. Unde, per se loquendo, poenitens debet peccata saltem praecipua iterum confiteri. *Practice id utique tenendum est, ut confessarius ille novus eam recipiat confessionem, ex qua confusam saltem notitiam status poenitentis hauriat; ceteroquin *absolute* sufficere potest cognitio prioris poenitentiae, ut possit novus confessarius mutationem in aequalem vel paulo minorem facere, cum *S. Alph.* (VI 509) id satis probabile esse reputet.* Quodsi redeat poenitens ad eundem confessarium, hic, modo adhuc in confuso recordetur status prioris poenitentis, aut eum ex praesenti confessione intelligat, iuxta omnes aliam poenitentiam potest substituere, et iuxta aliquos etiam extra confessionem, quia iudex potestatem habet quoad poenitentiae impletionem, ergo etiam quoad illius mutationem. *Sed cum extra controversiam sit poenitentiae mutationem fieri debere (ne desinat esse *sacramentalis* poenitentia) *vi sacramenti* eiusque aut conferendi aut collati necdum plene

[1] Theol. pract. univ. tract. 6, disp. 6, q. 5, a. 2, n. 164.

absoluti: sequitur ut, si confessarius extra actum quidem confessionis mutat poenitentiam, at propter confessionem antea auditam, id fieri debeat intra illud tempus, intra quod iudicium sacramentale protrahi atque moraliter perseverare tamquam unum idemque iudicium valeat. Quod aliquot dies non debet excedere. Cf. *S. Alph.* l. c. n. 529, dub. 3*[1]. Demum, etsi poenitentia ordinarie imponatur ante absolutionem, potest tamen etiam eam sequi illius impositio, tuncque adhuc procedit a potestate clavium, quia iudicium necdum est finitum, utpote ad quod spectat punire delicta.

20. Resp. VI. In *dubio de sufficienti* poenitentia inclinandum in partem benigniorem, quia in ea minus periculi; et «sapientis medici est», inquit *S. Thom.* 4, d. 18, q. 2, a. 1, q^cula 3, «a levioribus et minus periculosis medicinis incipere», et d. 19, q. 2, a. 3, q^cula 2, «paulatim procedendum est, ut, quam minus potest fieri, gravetur ille, cui medicari volumus». Iuvat quandoque interrogare poenitentem, quam poenitentiam putet se melius implere posse; si promptus inveniatur, expedit quandoque, quae diutius duret, per dies v. g. 15 aut etiam per mensem, ut non dentur oblivioni peccata, ut consuetudo aboleatur, studium eam exstirpandi nutriatur.

CAPUT VII.

Quomodo et quando sit danda absolutio.

Forma absolutionis — quae verba necessaria; auctoritative proferenda, non sub conditione futura. — Cui et quando danda; disposito et integre confesso, etiam ante praestitam satisfactionem, relapsum timenti, non vero absenti.

21. Resp. I. Ut confessarius *certo licite* procedat, regulariter tenetur in absolvendo uti saltem his verbis: «Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus

[1] Si vero agitur de poenitentia imposita a superiore pro casu aliquo reservato, confessarius eam poenitentiam non poterit mutare, nisi adsit *gravis causa* neque facilis sit accessus ad ipsum superiorem (S. Alph. l. c. dub. 2). *

Sancti, Amen.» Rituale Romanum sic habet: «Cum igitur poenitentem absolvere voluerit iniuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit: Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam aeternam. Amen. Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis) et interdicti, in quantum possum, et tu indiges; deinde ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita B. Mariae Virginis et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.»

22. Circa hanc formam observandum: 1. Dum dicitur: *Indulgentiam* etc., vel si verba illa omittantur, dum dicitur: *Dominus noster* etc., confessarius elevat dexteram versus poenitentem. 2. Si poenitens sit laicus aut, ut tenet *Gobat,* in minoribus tantum[1], omittitur vox *suspensionis.* 3. In confessionibus frequentioribus vel brevioribus, aut quando magnus poenitentium concursus aliave rationabilis causa est, confessario licet incipere ab his verbis: «Dominus noster Iesus Christus» etc. et omittere verba: «Passio Domini nostri» etc., immo in gravi necessitate, v. g. periculo mortis, sufficit dicere: «Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.» Extra illos casus reliqua verba prudenter[2] adduntur, et per ultima illa: «Passio Domini nostri» etc., iuxta aliquos, quod tamen

---

[1] In absolutione clerici in minoribus constituti *non necesse est* omittatur vox «suspensionis»; sed omitti *potest,* quia, ut notat Gobat (tr. 7, n. 163), horum officia nostra aetate etiam laici obeunt*.

[2] Strictius tamen can. 885 statuitur: «Etsi preces, ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae, ad ipsam absolutionem obtinendam non sint necessariae, nihilominus, *nisi iusta de causa, ne omittantur.*»

alii probabilius negant, elevantur omnia opera bona poenitentis ad satisfactionem sacramentalem ex opere operato, et suppletur defectus impositae nimis parvae fortassis poenitentiae. Putant quoque aliqui veniale peccatum fore, si sine rationabili causa omittantur verba: «Dominus noster Iesus Christus» etc., eo quod uti ordinarie adhibenda ex usu Ecclesiae sint recepta; sed *Gobat* tract. 7, n. 160 aliique id negant, satisque esse censent, si dicatur: «Ego te absolvo a peccatis tuis»; vel, si timeatur, ne adsit censura: «Ego te absolvo a censuris et peccatis tuis.» 4. Verba absolutionis convenit pronuntiare submisse, ne, si confessarius assuescat pronuntiare altius, circumstantes advertant, si forte neganda sit absolutio. An autem haec danda sit aperto vel tecto capite, spectanda est consuetudo et praxis regionis. In his Germaniae partibus datur aperto capite in reverentiam Christi, cuius auctoritate impenditur; in aliis vero quibusdam datur tecto capite, ut ostendatur confessarii qua iudicis auctoritas. Ut servetur uniformitas, quae ad decorem confert, quisque accommodet se consuetudini loci, in quo confessarium agit.

23. Resp. II. *Forma essentialis absolutionis* proferenda est non deprecatorie, sed *auctoritative,* quia est actus iudicialis, ut constat ex Trid. sess. XIV, can. 9 dicente: «Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, anathema sit.» Deprecatio autem est actus supplicantis, non vero iudicis. Constat quoque ex Scriptura. Nam Christus (Io 20, 23) non dixit: «Quorum oraveritis dimitti peccata», sed: «Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis» [1].

24. Resp. III. Absolutio *non* est danda *sub conditione de futuro,* v. g.: Ego te absolvo, si intra triduum aliena re-

[1] Etsi *verba* deprecatoria non ita obstant valori sacramenti, ut Ecclesia ea approbare atque adhibere non possit, *sensus* tamen et *intentio* debet in mera deprecatione non sisti, sed proferri verba debent sensu et intentione actus iudicialis, quo ipse sacerdos nomine Christi et Dei peccata remittat. *

stitueris. Ratio, quia effectus sacramenti non est suspendendus; sic volente Christo, ut nobis declarat communis Doctorum sensus. Unde sic absolvens peccaret graviter; dari tamen quandoque potest sub conditione de praesenti, ut mox dicetur.

25. Resp. IV. Confessarius *tenetur* sub culpa gravi *absolvere* poenitentem *rite confessum et dispositum*, uti et in dubio de dispositione, si prudenter possit se resolvere in favorem poenitentis [1]. Ratio est, quia poenitens per confessionem acquisivit ius ad absolutionem, neque in dubio, quod in eius favorem resolvi potest, illa est privandus, cum eius possessionem fundet confessio rite peracta; hac enim lege confessus est poenitens, ut absolveretur, nisi constaret eum esse indispositum [2].

26. Resp. V. Ubi rationabile dubium non est de requisitis ad absolutionem, *absolvendus* est poenitens, per se loquendo, absolute; *sub conditione* vero [3], si dubium sit, quod non possit solvi, adsitque vel necessitas vel magna poenitentis utilitas. Ratio primae partis est, quia ad id ius tunc habet poenitens; ratio secundae partis est, quia sic consulitur reverentiae sacramenti et saluti poenitentis. Hinc conditionate absolvendus est: 1. generatim si dubitetur a) de usu rationis aut b) suf-

---

[1] Ipse Concina, alias valde rigidus, concedit ministrum poenitentiae non debere iudicium evidens de valore sacramenti sibi formare, sed sufficere, ut *prudenter* iudicet poenitentis dolorem et propositum adesse (Apparatus l. 3, diss. 10, c. 2, § 3, XIII). S. Alph. VI 461 haec habet: «Sufficit, quod confessarius habeat prudentem probabilitatem de dispositione poenitentis, et non obstet ex alia parte prudens suspicio indispositionis; alias vix ullus posset absolvi, dum quaecumque signa poenitentium non praestant nisi probabilitatem dispositionis.» *

[2] Idem nunc sancitum est lege positiva: «Si confessarius dubitare nequeat [i. e. si habet eam certitudinem, quam modo a S. Alphonso vidimus descriptam] de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem *petat, absolutio nec deneganda nec differenda est*» (can. 886).

[3] *Conditionatam* absolutionem non obstare formae iudiciali, sub qua hoc sacramentum a Christo institutum est, v. Lehmkuhl, Theol. mor. II[12] 370. Proin in conditionata collatione absolutionis communes regulae circa sacramenta conditionate conferenda valent. *

ficientia dispositionis vel c) materiae, nec certitudo de eis haberi possit, adsit tamen necessitas vel prudens ratio absolvendi. *Circa tria haec attende doctrinam S. Alphonsi. Qui de dubio usu rationis loquens in pueris et semifatuis, de quorum sufficienti usu rationis et necessaria dispositione rationabiliter dubitatur, haec habet: «Si urgeat periculum mortis vel praeceptum paschale, communissime dicunt Doctores . . . tales absolvendos esse sub conditione, si dubie sint dispositi, maxime si confessi sint aliquod dubium mortale, quo casu ait *Lugo*[1] non videri de hoc dubitandum. Idque puto dicendum . . . etiam extra tempus mortis vel praecepti . . .; in eo enim casu non solum adest iusta causa utilitatis, ne poenitens privetur gratia sacramentali, sed etiam necessitatis, ne ille forte maneat in mortali. . . . Quoad hos semifatuos et pueros nondum perfecte rationis compotes deest . . . spes fore, ut brevi afferant certam dispositionem. Immo non improbabiliter dicunt aliqui posse absolvi sub conditione huiusmodi pueros, etiamsi afferant peccata tantum levia, ne diu priventur gratia sacramentali neve maneant in mortali, si forte habeant» (*S. Alph.* VI 432). — Si agitur de *dubia dispositione,* quando ita est *ex culpa poenitentis,* adverte haec verba *S. Alph.* l. c.: «non posse absolvi sub conditione peccatorem recidivum in culpas letales, qui non *probetur* dispositus . . . *nisi prudenter timeatur, quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit et in peccatis tabescet*». — Circa dubiam materiam idem *S. Alph.* l. c. dicit: «probabiliter posse sub conditione absolvi poenitentem pium, qui aliquas tantum imperfectiones fatetur, de quibus dubitatur, an pertingant ad venialia; hoc tamen non admitterem saepe (in H. Ap. tr. 16, n. 6: *nisi semel in mense*), neque si ille posset materiam certam de vita ante acta praebere».* 2. Si moribundus dederit signa dubia poenitentiae. 3. Si prudens sit dubium de dolore aut proposito efficaci

[1] De sacr. poenit. disp. 17, n. 22.

eius, qui confessus est mera venialia aut mera mortalia dubia, ita ut certum non sit peccasse eum saltem venialiter. Quodsi afferret poenitens sola venialia dubia, neque gravior alia ratio aliud suaderet, absolutio ne sub conditione quidem videtur danda, ne, cum non sit necessitas, fiat irreverentia sacramento. Neque tunc poenitens habet ius ad absolutionem, quia non affert materiam certam, consulendumque etiam est reverentiae sacramenti. Si tamen adesset prudens metus, ne fortassis sit in statu peccati mortalis, sub conditione esset absolvendus, cessaretque tunc periculum irreverentiae. Posset fortassis etiam sub conditione absolvi, si lucrandae essent indulgentiae; *neque tamen tum requiritur *absolutio* ad lucrandas indulgentias, sed sufficit *confessio*.* Verum in omnibus istis casibus ordinarie difficile non erit elicere peccatum certum ex vita praeterita, id quod tentandum est. — Porro conditio potest quidem verbis exprimi, sed tamen necesse non est ex sententia communi, sed sufficit, ut adsit intentio saltem virtualis, cui ut verba consentiant, faciunt praesentes circumstantiae; virtualem autem intentionem habet, qui ante statuit absolvere poenitentes ad mentem Christi et Ecclesiae, et ex ea intentione tenuiter perseverante operatur.

27. Resp. VI. Si *poenitens absolutus afferat novum peccatum* mortale, ex oblivione omissum, renovato, si cessaverit, dolore [1], iterum absolvendus est. Si mortale dubium foret, iubeatur iterum se accusare in communi de ante dictis aut addere iterum veniale certum; nisi tamen mortale dubium certo fuisset veniale. Si autem afferret tantum venialia, sine

---

[1] Si agitur de peccato certo mortali, ad quod dolor ex universali motivo antea elicitus extendebatur: cum iudicium sacramentale nondum fuerit plene absolutum, novo dolore, si severe loquimur, opus non est. — Aliter, si propter dubium de gravi istius peccati malitia et de sufficienti doloris ad illud extensione renovatur accusatio peccatorum iam accusatorum ad cautelam; in eo scil. casu ad cautelam non minus renovari debet dolor, ut certo valeat iterata eorundem peccatorum absolutio. Cf. Lehmkuhl, Theologia moralis II [12] 382.*

absolutione nova dimittendus esset, quia videtur contra reverentiam sacramenti esse sine necessitate illud ilico iterare; unde nec poenitens potest esse rationabiliter invitus. Hoc autem in iterata illa absolutione observandum, ne confessarius absolvat elevata manu et palam formata cruce, sed clam ad poenitentem inclinatus, ne, si adstantes advertant iterum dari absolutionem, suspicentur eum reum fuisse peccati mortalis. Aliud foret, si praesentes essent nunc omnes alii, nullus ex iis, qui antea adfuerant, aut si adesset solus poenitens.

28. Resp. VII. Si peracta confessione aut adhortatione *confessarius* esset *peccatorum in particulari oblitus,* ita ut nullius in specie meminisset (quod fit quandoque, si afferuntur tantum venialia), potest absolvere, modo adhuc ita mente teneat statum poenitentis, ut possit poenitentiam imponere, de qua inter confitendum iam incohatur iudicium. Sufficit enim ad absolutionem aliquando fuisse distinctam cognitionem peccatorum in confessario; nunc autem esse adhuc confusam de statu poenitentis; quae consistit in eo, ut meminerit plura vel pauca specie distincta peccata esse exposita, aut non nisi venialia; attamen facile etiam dici posset, ut repeteretur ultimum veniale. Aliud esset, si confessarius sub enarratione peccatorum dormivisset aut fuisset distractus; hoc enim casu, si non sit certus talem poenitentem non retulisse nisi venialia, quaerat graviores peccatorum species, praesertim in quas talis conditionis homines solent labi; non tamen sit nimius, ne sacramentum fiat odiosum; quod ut mitigaret, posset confessarius benigne dicere humani se quid passum et fuisse abreptum vel somnolentum. *Ceterum quando putari potest *pleraque* peccata fuisse venialia tantum, potest expedire, ut confessarius interroget poenitentem, in quibusnam peccatis *putet se Deum offendisse graviter.** Si sciat conscientiam poenitentis bonam, intellecto uno veniali, de quo poenitens *certo* doleat, vel accusatione de totius vitae peccatis facta, potest absolvere. Ubi hoc notandum, peccare per se graviter confessarium, qui per somnum aut alio modo est distractus

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

culpabiliter, ita ut non intelligat peccata poenitentis sicque causa sit, ut poenitens cum gravi sua molestia teneatur peccata repetere.

29. Resp. VIII. Etsi absolutioni a peccatis *praemittenda* sit *absolutio a censuris,* saltem, ubi prudens timor est, ne aliqua subsit v. g. excommunicatio ob peccata graviora, quae poenitens confitetur, *non tamen* necessario praecedere debet *impletio poenitentiae* aut emendatio vitae confessario probata. Ratio primae partis est, quia Ecclesia graviter prohibet, ne excommunicatus ullum sacramentum suscipiat. Absolvitur tamen poenitens, si confessarius censuram ignoret vel eam non advertat, modo verba proferat; †nam sic habet can. 2247, § 2: «Si confessarius, *ignorans* reservationem, poenitentem a censura et peccato absolvat, absolutio censurae valet, dummodo ne sit censura ab homine aut censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata.» [1]

---

[1] Severam illam excommunicationem ipso facto incurrit: 1. «Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit» (can. 2320).

2. «Qui violentas manus in personam R. Pontificis iniecerit» (can. 2343, § 1).

3. «Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi; . . . idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo possit excipere morientis confessionem, excepto casu, quo moribundus recuset alii confiteri.

Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est» (can. 2367, § 1 et 2).

NB. Secundum can. 884 absolutio complicis in peccato turpi est *invalida;* recipitur periculum mortis, in quo valida quidem, at extra casum necessitatis illicita est absolutio complicis.

4. «Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata» (can. 2369). Quae poena forte videri posset non latae, sed ferendae esse sententiae eo, quod expressio «manet excommunicatio» videatur esse ambigua neque eiusdem valoris atque termini «latae sententiae», «ipso facto», «ipso iure» (can. 2217, § 2). Cf. Creusen-Vermeersch, Summa novi iuris canonici, Mechliniae 1918, n. 673 682. At quoniam poena post sententiam condemnatoriam non consideratur tamquam *a iure,* sed tamquam *ab homine*

†Si autem confessarius, facultate in reservata non solum habitualiter sed etiam in praesenti destitutus, *scienter* absolvat a censuris et peccatis, vel facultate instructus prius absolvat a peccatis et postea ab excommunicatione et interdicto personali (quae solae censurae impediunt usum sacramentorum passivum), absolutionem a peccatis non reservatis invalidam esse†, negant *Lugo,* De poenit. d. 16, n. 614, et alii, si poenitens bona fide procedat et excommunicationem ignoret, eo quod nullibi legatur Ecclesiam iurisdictionem sustulisse nec id praesumi possit, cum non sit in bonum fidelium, quia sic ignari suae excommunicationis possent tota vita suscipere bona fide sacramenta sine fructu. *Quae sententia non solum probabilis, sed *practice tuta est.* *S. Alph.* (l. 7, n. 159) eam veriorem vocat, eo quod in iure ecclesiastico nullibi ista absolutionis nullitas reperiatur expressa: «Ratio potissima, quia Ecclesia non irritat sacramentum poenitentiae, neque ex parte ministri auferendo illi potestatem . . . neque ex parte poenitentis, cum hoc nullibi habeatur sancitum, nec Ecclesia sancire potest, dum Ecclesia nequit directe inhabiles reddere ad sacramentum eos, qui ex iure divino habiles sunt.»*

Ratio secundae partis, contra quam docuerunt quidam rigoristae apud *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1230 necessitatem satisfactionis praeviae, est, quia sic differendo absolutionem plures exponerentur periculo multiplicandi peccata et aeternae damnationis; manerent enim in statu mortali ideoque minus armati contra tentationes, et si in eo statu morerentur, quod fieri pronum est, in aeternum perirent. Deinde poenitentia ante absolutionem non est sacramentalis[1] seu deletiva poenae

---

(can. 2217, § 1, n. 3), censura autem *ab homine* est reservata ei, qui sententiam tulit eiusve Superiori competenti vel successori aut delegato (can. 2245, § 2), non apparet, quomodo censura post sententiam condemnatoriam ab *Ordinario* latam possit *specialissime* reservari *Sedi Apostolicae.*

[1] Haec sola ratio non est adeo urgenda. Nam, utut poenitentiae impositae ante absolutionem nihil efficiunt ex opere operato, hunc tamen effectum

ex opere operato, nec deficiente gratia remissiva poenarum, utpote quae non remittantur prius, quam remissa sit culpa. Sicque poenitentes sine absolutione dimissi nihil de condigno mererentur et magna subirent damna: unde *Alexander VIII* damnavit hanc propositionem inter damnatas 17: «Per illam praxin mox absolvendi ordo poenitentiae est inversus.» Et hanc 16: «Ordinem praemittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia aut institutio Ecclesiae, sed ipsa Christi lex et praescriptio, natura rei id ipsum quodam modo dictante.» Ratio tertiae partis est eadem, quae prioris, cui accedit constans praxis Ecclesiae et finis sacramenti, per quod gratia ad emendationem confertur. Dicunt adversarii, ex probatione iudicandum esse, num poenitens verum dolorem et emendationis propositum habeat; at id aliunde satis intelligi potest.

30. Resp. IX. Absolutio danda non est *propter magnum concursum* poenitentium illi, qui non est confessus omnia mortalia. Ratio est, quia ex eo non est moralis necessitas iis, qui confessi non sint integre peccata mortalia, impendendi absolutionem, etsi aliqui non sint redituri, quia alibi vel alio die confiteri poterunt. Unde *Innocentius XI* damnavit thesin 59: «Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni concursus poenitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnae alicuius festivitatis vel indulgentiae.» Ob eandem rationem non licet dimidiate confessos absolvere, si inveniantur multae confessiones invalidae emendandae, quae tam cito repeti non possunt, quod a se factitatum ait *Sporer* [1]. Idem est de peregrino, qui accedit bona fide non satis discussa conscientia et ob copiam poenitentium non potest examinari. Regulariter melius est pauciores audire bene instructos ac dispositos quam multos tumultuarie

recipere possunt post et per absolutionem, cum intuitu absolutionis secuturae et impositae et acceptatae atque impletae sint. De cetero circa reprobationem rigorismi istius cf. Pii VI, Const. *Auctorem fidei* § 34 35*.

[1] Theologia moralis tom. III, tract. 9, n. 466.

et minus dispositos cum exigua spe emendationis absolvere. Quando vero adest moralis vel physica impossibilitas integre confitendi et necessaria absolutio, v. g. si moribundus videretur moriturus, antequam integre confiteretur, aut si ad eum veniens confessarius invenerit opus esse confessione generali et, habens apud se sacrum viaticum et extremam unctionem, non posset confessionem protrahere sine scandalo populi exspectantis et gravi infamia poenitentis, non integre confessum licet absolvere; postea tamen procuranda esset integritas confessionis.

31. Resp. X. Absolutio nec licite nec valide dari potest *absenti*, sed tantum saltem moraliter praesenti. Ratio est, quia haec fuit voluntas Christi, quae nobis innotescit ex praxi perpetua Ecclesiae et ex conciliis. Nam ex Florentino et Tridentino forma absolutionis sunt verba formalia, quibus sacerdos alloquitur poenitentem dicendo: «Ego te absolvo» etc. Verba vero formalia nemo adhibet ad absentem, sed humano modo loquimur praesenti; unde *Clemens VIII* damnavit hanc propositionem: «Licet per literas seu internuntium confessario absenti sacramentaliter confiteri et ab eo absente absolutionem obtinere.» Insuper sub poena excommunicationis prohibuit, ne illa doceretur vel in praxin deduceretur tamquam in aliquo casu probabilis. *Porro illam sententiam damnatam esse eo sensu, ut saltem non posset fieri absolutio in absentem, nemo umquam in dubium vocavit; damnationem comprehendere etiam ullo modo confessionem absenti factam, si modo absolutio fieret praesentis, aliquibus non videbatur, eo quod thesis damnata sumi posset sensu composito seu complexive. Verum hanc explicationem reprobavit S. Officium, idemque declaravit, imprimis decretis d. 14 Iulii 1605 et 24 Ian. 1622, decretum Clementis VIII *non solum complexive, sed etiam divisive* intelligendum esse[1].* Aliud est de absolutione a cen-

[1] Nimirum decretum illud Clementis VIII cum publicaretur, Suarezio, doctori eximio, videbatur intelligi debere sensu *complexivo*, ne reprobata censeretur praxis totius Ecclesiae a S. Leone I sollemniter commendata, se-

suris, quae, quia scripto, etiam absenti impertiri potest[1]. Dixi: «praesenti moraliter saltem», quia, cum verba formalia ad praesentem moraliter usurpari possint, nihil obstat, quin is absolvi possit. Consistit autem praesentia moralis in ea conubicatione sacerdotis et poenitentis, ut se invicem audire possint, ea voce loquentes, qua homines in communi colloquio uti solent; satis foret tamen, etsi aliquanto altiore voce utendum esset. Hinc quamvis poenitens iam exivisset ex sede confessionali, si tamen adhuc sit in morali praesentia, absolvi potest et debet, idque iuxta *Tamb.*[2], alios, etsi iam immixtus aliis, ut videri non posset, quia nihilominus est moraliter prae-

---

cundum quam absolutio danda esset moribundo sensibus destituto, etiamsi per solos testes constaret eum sacerdotem vocasse et peccatorum suorum poenitudinem absolutionisque desiderium ostendisse, eo quod in isto casu sola confessio generica absenti facta haberetur. — Nihilominus res quidem, quam Suarez volebat, sc. absolutio ista moribundi, in tuto posita est, atque praxis illa a doctore eximio propugnata in praeceptum transiit Ritualis Romani; verum illius explicandi modus circa decretum Clementis VIII a S. Officio et S. Pontifice omnino reprobatus est die 7 Iunii 1603, 31 Iulii 1603, 14 Iulii 1605, 24 Ian. 1622. Ceteroquin ex ea explicatione concludi poterat reprobatam non esse absolutionem sive eam, quae daretur praesenti post confessionem ab absente factam, sive quae absenti daretur, postquam praesens esset confessus, dummodo ne fieret utraque et confessio et absolutio per absentem. Error igitur Suarezii, ex religione profectus, sane venia erat dignus, atque potius quam in doctrina in eo erravit, quod putabat Clementem VIII prohibuisse rem, quam non prohibuerat, eumque loqui in isto decreto etiam de confessione illa generica, qua moribundus coram testibus se profiteatur peccatorum et absolutionis cupidum, quaque fretus sacerdos quilibet in extrema necessitate possit et debeat sacramentaliter absolvere. Sed re ipsa Clemens VIII non de hac, sed *de ea sola confessione* locutus est, quae divino iure *per se* necessaria est ad recipiendam sacramentalem absolutionem, i. e. *de peccatorum distincta accusatione* ad reconciliationem cum Deo habendam iure divino per se necessaria. Vide hac de re doctam dissertationem D. Palmieri in libro period. Anal. eccl. III 264 sqq. Prohibitione autem illa etiam non agi de confessione, quam quis praesens faciat per scripturam, legenti patet*.

[1] Immo *hanc* absolutionem etiam clam ad hominem eius rei inscium dirigi in casu necessitatis posse docent inter alios Suarez, De poenitentia dist. 32, sect. 6; Lugo, De poenitentia dist. 22, n. 51; cf. etiam S. Alph. VI 618*

[2] Lib. 5, De sacr. poenit. c. 2, § 1, n. 11.

sens, retinetque voluntatem absolutionis accipiendae, quamdiu eam non accepit. **S. Alph.* VI 429 non videtur satis tuta absolutio, si poenitens circa 20 passibus et ultra distat a confessario.* Quod autem *Moya* q. 5, n. 32 dicat manere moraliter praesentem, quamdiu videri aut sensu percipi potest, videtur nimium, quia longius libero oculo homo videri potest, quam ad eum fieri possit humana locutio. *Sane absolutio in tanta distantia data *dubia* est, non tamen certo invalida. Quapropter in casu necessitatis, quando aliquis videretur mergi in aquas vel ruere e tecto, absolutio conditionate tentanda esset, attamen ilico conandum, ut, si fieri possit, certius periclitanti subveniretur. Maior distantia longe minus obest probabili valori, immo ne certo quidem valori absolutionis, quando in necessitate pronuntietur non in singulos homines sed in totam aliquam multitudinem, v. g. copias militares ante pugnam instantem. Accurate quidem scire non possumus, quousque absolutio se extendat, sed cognitioni Dei id debemus relinquere; at si sacerdos elata voce multitudinem exhortatur ad dolorem et ad signum doloris: quotquot adhortationem audierint, signumque, v. g. elevationem manus, exhibuerint, ad hos certe etiam vis sacramenti potest pertingere; esse enim talem absolutionem revera sacramentalem, nullum est dubium. — Similiter nostris temporibus quaeri potest de absolutione per telephonium: quam equidem habeo pro absolutione absentis, proin *invalida;* nolim tamen damnare eum, qui in casu extremae necessitatis, putans non plane de nullitate constare, tentet absolvere.* Multo minus sufficit, ut confessarius domum videat, in qua decumbit poenitens; quia pronomen «te» satis demonstrare non potest poenitentem, cum is nullo sensu percipiatur a loquente nec sacerdotis verba humano modo percipere possit.

32. Resp. XI. Dari quoque debet absolutio poenitenti disposito, sola licet *venialia* confesso. Ratio est, quia venialia sunt materia sufficiens sacramenti poenitentiae, et poenitens per eorum confessionem acquisivit ius ad absolu-

tionem et augmentum gratiae, quod confertur, quoties sacramentum illud digne suscipitur. Unde Trid. sess. XIV, c. 5 docet venialia recte et utiliter citra omnem praesumptionem in confessione dici. Probat quoque id piorum et sanctorum usus et praxis totius Ecclesiae[1]. Sapienter tamen suadent doctores, ut tales ad sincerum dolorem et propositum sese sedulo excitent, relapsique saepius in eadem venialia addant ex vita praeterita saltem veniale gravius aut magis deliberate commissum, quod iam emendaverint magisque detestentur et cavere statuant, ut sic magis consulatur reverentiae et fructui sacramenti.

33. Resp. XII. Neque indispositus ad absolutionem quis censeri statim debet ex eo, quod merito *timeatur relapsurus,* aut etiam id ipse existimet; quia timor ille et iudicium possunt esse de praesenti voluntate, quae bona sit, at fortasse mutetur, non de vero defectu praesentis dispositionis. Unde iudicium illud, utpote actus intellectus, stare potest cum sincero dolore praesenti et proposito. Itaque examinet confessarius: unde iudicium illud poenitentis proveniat, utrum forte ex actuali affectu ad peccatum an ex desperatione vel pusillanimitate aut potius ex cognitione fragilitatis auctae per actus frequentatos. Undecumque proveniat, conetur confessarius mederi, media suggerat, animet ad fiduciam, excitet poenitentem ad se humiliandum coram Deo, ut ambulet in conspectu eius, ferventioribus precibus auxilium imploret, fiducialiter recurrat ad B. Virginem, peccatorum refugium. Ceterum caveat confessarius, ne cuiquam periculosas hypotheses proponat, v. gr.: Numquid nolles peccare, etsi hoc illudve malum deberes tolerare, si in hac illave esses occasione? Sufficit constare poenitentem iam sincere dolere et nolle peccare de cetero.

---

[1] Can. 902: «Peccata post Baptismum commissa, sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive venialia, sunt materia sufficiens, sed non necessaria, sacramenti poenitentiae.»

CAPUT VIII.

Quando et quomodo neganda vel differenda absolutio.

Quando differenda absolutio; absolutio neganda indisposito — signa indispositionis Quid, si poenitens reticeat peccatum notum confessario ex confessione complicis. Numquam absolutio neganda aspere.

34. Resp. I. *Differenda* est absolutio, 1. si afferatur *reservatum*, a quo confessarius nequeat absolvere, nec sit urgens ratio nunc absolvendi.

†a) Quando confessarius a peccatis et censuris quae *Episcopi* sibi *reservarunt* absolvere (directe) possint, a iure canonico ita determinatum est:

†*Ipso iure* absolvendi facultas competit canonico poenitentiario (can. 401, § 1). Habitualiter *impertiatur* saltem vicariis foraneis, addita, praesertim in locis dioecesis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad eos recurrant (can. 899, § 2).

†*Ipso iure* absolvere possunt 1) *parochi* aliive, qui parochorum nomine in iure censentur, toto *tempore ad praeceptum paschale* adimplendum utili; 2) tum singuli *missionarii* quo *tempore missiones* ad populum haberi contingat; 3) confessarii, apud quos confitentur aegroti, qui domo egredi non valent; 4) apud quos confitentur sponsi matrimonii ineundi causa; 5) quoties legitimus Superior pro aliquo determinato casu petitam facultatem denegaverit, aut 6) quoties prudenti confessarii iudicio facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis.

†Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit, absolvitur valide et licite (cf. can. 899, § 3 et can. 900).

†In *religione clericali exempta* omnes confessarii a Superiore legitime designati et etiam illi sacerdotes, qui ab Ordinario loci ad confessiones audiendas (saecularium vel regularium)

approbati sunt, religiosos absolvere valent a casibus in religione reservatis (can. 518, § 1 et can. 519). — Quodsi agatur de *aliis* sacerdotibus, apud quos religiosus exemptus v. g. itinerans peccata reservata confitetur, vel si agatur de absolvendis *religiosis non exemptis*, normae supra relatae, congrua congruis referendo, servandae sunt. Quae normae etiam valent pro absolutione a peccato falsae denuntiationis sollicitationis, quod unum peccatum ratione sui Apostolica Sedes sibi (non amplius «specialissime») reservavit, postquam vel ab hoc peccato forte (extra confessionem) ablata est excommunicatio specialiter Sanctae Sedi reservata, vel si haec poena ex aliqua ratione non sit contracta (cf. can. 894 sqq.).

†b) Peccata ratione censurae *Apostolicae Sedi* reservata remitti possunt iuxta canones sequentes:

†Can. 2252: «Qui *in periculo mortis* constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata: tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum, qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure, eorumque mandatis parendi.»

†Can. 2253: «*Extra mortis periculum* absolvere possunt:

1) a censura non reservata in foro sacramentali quilibet confessarius; extra forum sacramentale quicumque iurisdictionem in foro externo habeat in reum;

2) a censura *ab homine* ille, cui reservata est ad normam can. 2245, § 2; ipse autem potest absolutionem concedere, etiamsi reus alio domicilium vel quasi-domicilium transtulerit;

3) a censura *a iure reservata* ille, qui censuram constituit vel cui reservata est, eorum successores aut competentes Superiores aut delegati. Quare a censura *reservata Episcopo vel Ordinario* quilibet Ordinarius absolvere potest suos subditos, loci vero Ordinarius etiam peregrinos; a reservata *Sedi*

Apostolicae haec aliique, qui absolvendi potestatem ab ea impetraverint sive generalem, si censura simpliciter reservata est, sive specialem, si reservata speciali modo, sive denique specialissimam, si reservata specialissimo modo, salvo praescripto can. 2254.»

† Can. 2254, § 1. «*In casibus urgentioribus,* si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium, ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistulam et per confessarium, si fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate, et standi eius mandatis.»

§ 2. «Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus.»

§ 3. «Quodsi in *casu aliquo extraordinario* hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu, quo agatur de absolutione censurae, de qua in can. 2367 [de absol. complicis in peccato turpi data], potest absolutionem concedere sine onere, de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum poenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram.» †

*De recursu faciendo notetur, quod, si «neque confessarius neque poenitens epistulam ad S. Poenitentiariam mittere potest, et durum sit poenitenti adire alium confessarium, in

hoc casu liceat confessario poenitentem absolvere absque onere mittendi epistulam» (*S. Offic.* d. d. 9 Nov. 1898) — id quod tamen numquam licet applicare ad casum et censuram attentatae absolutionis erga complicem in peccato turpi (can. 2254, § 2). Alioquin illa impossibilitas mittendae epistulae censetur adesse, quando poenitens *scribendi impar* eidem confessario, a quo propter instantem necessitatem absolutus fuerit, *se denuo praesentare nequeat,* et ipsi durum sit alium confessarium adire (*S. Offic.* d. d. 5 Sept. 1900).*

2. Si *prudens* sit *dubium de dispositione* poenitentis, quod resolvi non possit[1], nec adsit necessitas absolvendi, absolutio differatur, ne exponatur sacramentum periculo nullitatis. Signa autem dubiae dispositionis sunt, si poenitens contra fidem datam nondum deseruerit occasionem peccandi proximam; si aliquoties spoponderit scandalum tollere, redire in amicitiam, aliena reddere aliisve obligationibus gravibus satisfacere, et promissis non steterit, cum potuisset.

3. Per se item, si post confessionem diu omissam et frequentes relapsus appareat poenitentem *negligenter examinasse conscientiam;* quia tum magnum est periculum, ne absolvatur culpabiliter non integre confessus. Dixi «per se» quia, si poenitens rudis sit aut se melius examinare aut redire non possit, iuvandus est et absolvendus, si iudicetur dispositus.

4.[2] Si poenitens esset *peccator publicus,* v. gr. concubinarius publicus, †de cuius dispositione dubitari nequeat, deberet, si petat,† absolvi; sed communio publice danda non esset.

5. Si consideratis omnibus dilatio videatur *poenitenti profutura,* v. gr. si magnum capiat horrorem peccatorum, gravi-

[1] Nimirum ante omnia confessarius conari debet, ut poenitentem indispositum vel dubie dispositum disponat melius; quo feliciter facto, nihil amplius obstat, quominus absolvat*.

[2] Quae hoc et sequenti numero ab auctore de absolutione differenda poenitenti certe disposito dicta erant, sec. can. 886 (supra ad n. 25 relatum) correcta sunt.

tatem eorum magis apprehendat, firmetur magis contra relapsus, concipiatur maior dolor et firmius propositum, adstringatur magis ad utendum mediis praescriptis, rem alienam restituat, damna compenset aliasque obligationes impleat. Potest confessarius quandoque laudabiliter ad breve tempus etiam ei qui videatur dispositus absolutionem differre, †modo poenitens facile consentiat†. Ratio est, quia confessarius est medicus animae adeoque potest adhibere media, quae prudenter spirituali hominis sanitati fore utiliora iudicat. Habet quidem rite dispositus ius ad absolutionem, sed †scienti et volenti, ut absolutio differatur, non fit iniuria†. Dixi 1) *quandoque*, quia disposito non nisi raro differenda est absolutio, cavendumque, ne differatur, quando sine nota non potest differri communio, aut sunt lucrandae indulgentiae, quas alio tempore lucrari non posset, vel quando praevidetur periculum, ne cogatur eadem peccata alteri confiteri, quia per hoc gravius illi onus suaderetur, vel denique si exponitur periculo moriendi sine absolutione, aut ad longum tempus non posset redire; 2) *ad breve tempus,* puta ad octo vel paulo plures dies, quia dilatio diuturna in poenitente disposito non videtur usurpanda, cum incertum sit, num habeat perfectam contritionem atque sit meriturus de condigno aliquid et non incursurus periculum damnationis. Dixi: 3) †*si poenitens facile consentiat;* si enim esset invitus et facile disponi non posset, ut acquiesceret, absolvendus esset, quia alias confessarius peccaret contra can. 886 et poenitens iuste† exasperaretur aut ad alium iret, vel intra breve tempus non rediret. Ceterum is, cui differtur absolutio, excitandus est, ut frequentius eliciat actus caritatis et contritionis; ut ita acquirat vires maiores contra tentationes; ut postea melius dispositus ampliores gratias accipiat, quibus compensabitur gratiae augmentum, quod per absolutionem alias modo accepisset. Imponenda quoque est poenitentia, et monendus poenitens necesse non esse, ut peccata modo exposita, si ad eundem confessarium redeat, denuo confiteatur; potest enim idem

confessarius ipsum ab illis peccatis absolvere, etsi eorum distincte non recordetur, modo poenitentiam ante imposuerit convenientem aliquamque, si ita convenire iudicet, nunc addat. 35. Resp. II. *Neganda* est absolutio illi, quem constat esse indispositum. Unde neganda est, 1. si poenitens nolit restituere rem alienam aut satisfacere pro damno illato in bonis seu fortunae seu famae et honoris, cum possit [1]. Quod addo, quia, si modo non possit, satis est, ut habeat voluntatem id faciendi, spondeatque facturum se occasionemque quaesiturum. 2. Si nolit offensam sibi illatam condonare, gravem minitetur vindictam, differre velit plus quam par est cum aliorum scandalo reconciliationem cum proximo, aut si nolit praestare, quod tenetur sub mortali, v. g. stipendia dare famulis, tegere decenter pectus, quod cum scandalo nudum gerit. 3. Si retineat voluntatem duellandi suo tempore. 4. Si habeat notitiam alicuius rei, ex qua grave damnum imminet alteri, et nolit congruo modo efficere, ut avertatur, v. gr. si sciat aliquem esse in periculo gravis seductionis, nec curare velit, ut res manifestetur illis, ad quos spectat corrigere vel impedire: ratio horum est, quia tales sunt in actuali gravi peccato. *Inspici quidem in ultimo casu debet, utrum adsit gravis obligatio, an fortasse timor proprii damni magni excuset. Non excusat damnum etiam grave, si proximus est in necessitate valde gravi, aut si agitur de gravi damno communi avertendo. Cf. *S. Alph.* III 34 sqq.* 5. Per se loquendo, si poenitens ignoret scitu necessaria necessitate medii nec possit nunc instrui, v. gr. si ignoret mysterium Sanctissimae Trinitatis, Incarnationis, quia fides horum etiam mysteriorum probabiliter est fundamentum iustificationis. Dixi: 1) «per se loquendo», quia in articulo mortis absolvi posset sub conditione ignorans mysterium Sanctissimae Trinitatis, etiamsi instrui non posset; probabile enim est illud non esse scitu necessarium necessitate medii. Dixi: 2) «nec possit

[1] Adde: et sub gravi debeat.

instrui»; nam si possit, instruendus est, aut si tempus non patitur, monendus, ut curet se instrui, et post instructionem absolvendus: atque haec satis clara sunt. Maior difficultas est circa consuetudinarios vel constitutos in occasione proxima. Sed de his infra P. 3, n. 169 et deinceps.

36. Resp. III. Si confessario constet ex confessione alterius commisisse *certum peccatum* poenitentem, *quod nec confessus sit nec modo confiteatur,* v. gr. si sponsus confiteatur se a paschate confessum non esse, fornicatum autem esse cum sua sponsa post dominicam in albis; si haec dein pariter dicat se a paschate confessam non esse, de fornicatione autem mentionem non faciat: potest confessarius more consueto eam examinare circa ea, quae eiusmodi homines interrogari solent, v. gr. num ipsam nil ultra angat, num nihil contigerit post contracta sponsalia, quod conscientiam gravare possit, quia ex scientia illa etiam sacramentali non amisit confessarius ius interrogandi modo ordinario; quod addo, quia ad examen extraordinarium illa scientia uti non licet. At si sponsa neget peccatum illud, quid agendum sit confessario, controvertunt auctores. Aliqui putant absolutionem dandam esse sub conditione, eo quod non minorem fidem mereatur quam complex peccati, adeoque ius ad absolutionem habeat. Admittunt hoc alii, si sit ratio prudens excusandi poenitentem, eo quod non recordetur forte illud factum esse post ultimam confessionem, aut ex ruditate sua putet inculpabiliter licere copulam, quia, uti quandoque dicunt, existimarit se coram Deo iam esse coniugem etc. Si vero tale iudicium formari non possit, sitque confessarius certus peccatum illud clavibus non fuisse subiectum, recte tenent sponsam absolvendam non esse, sed praevia admonitione ordit naria de matrimonio digne ineundo, utpote ex quo pendeapars magna felicitatis in eo exspectandae, deque diligenti praeparatione, dicto «Misereatur», sine absolutione, insciam non datae absolutionis, dimittendam, ne sacramentum administretur invalide; tum quia potius accusanti se cum sui

confusione quam neganti forte ex pudore credendum est; tum quia confessarius dando absolutionem ei nihil prodest, eam negando nullum incommodum nec confusionem affert. *Utrolibet modo agere potest confessarius: aut potest non absolvere id dissimulando, aut potest absolvere. In neutro casu ipse peccat, neque peccatum sacrilegii poenitentis impedit. Cur ipse non peccet dando absolutionem, quam sciat fore nullam, ratio ea est, quod hanc scientiam non habeat nisi ex confessione haustam seu sacramentali sigillo clausam: qua uti non tenetur extra confessionem ipsius poenitentis, qui notitiam dedit. Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. II[12] 555.*

Quodsi confessarius extra confessionem ab aliis audivisset peccatum illud post ultimam confessionem, v. gr. ante duos dies, commissum esse, potius credendum esset poenitenti. Si tamen esset longe maior auctoritas testantis, et circumstantiae apertius adversarentur contra poenitentem, absolvendus non esset saltem absolute. *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1969 et n. 1753; *Illsung* n. 128.

37. Resp. IV. Quando alicui *neganda* est absolutio, fiat id *suaviter*, ostendaturque id ad poenitentis et confessarii salutem necessarium; huic maiorem potestatem non esse, quam contulerit Deus; sique attentaret absolvere, nihil acturum. Ne terreatur poenitens, non imponatur poenitentia; sed ad summum suggeratur sub consilio, dicatque confessarius se pro eo oraturum, moneat insuper, si ad alium eat, eadem peccata iterum esse confitenda nec ad communionem modo accedendum esse etc.[1]

[1] Non possum non commemorare aurea illa verba Leonis XII, quibus in Bulla iubilaei anno 1825 *Caritate Christi* confessarios instruit: «Quocumque autem animo sint, qui accedant ad ministrum poenitentiae, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bonitati aut sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si iusta sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis quoad poterit humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quam primum blandissime alliciat, ut, iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae coelestis dulcedine reficiantur.» *

CAPUT IX.

Quomodo poenitentes sint generatim dirigendi ad vitam devotam sive vere christianam.

Concipienda voluntas vitae christianae nixa in aestimatione rerum aeternarum, mundi despectu, horrore peccati. — Media generalia: virtutum magna aestimatio, desiderium, frequens oratio, proficiendi conatus, recordatio Dei praesentis. — Exercitia pia: frequens exercitium virtutum theologicarum, humilitatis, rectae intentionis; examen generale et particulare, frequens confessio et communio.

38. Resp. I. Quisque pro suo statu et conditione et capacitate poterit instrui, praemissis quae dixi n. 3: *vitam vere devotam non consistere* in longis precibus vocalibus, non in diuturna mora in templis, non in pietate sensibili, ut quandoque mulieres sibi male persuadent; *sed in eo,* ut quis declinet a malo statuique suo convenienter vivat et agat sibi agenda ex intentione recta seu motivo supernaturali virtutis, maxime *caritatis erga Deum et proximum,* pro regula voluntatis suae habens voluntatem Dei, qui bonorum nostrorum non indiget. Quae enim devotio, si materfamilias tempore, quo liberis, quo rei domesticae invigilandum est, multas horas Sacris audiendis insumeret, si filia, dum domi laborandum, dum parentes in victu aliisque necessariis comparandis adiuvandi sunt, templa visitaret vel domi sacrae lectioni aut orationi vacaret! Deus, magnus paterfamilias, officia distribuit, cuique statum et functiones assignat; huic sanctae voluntati qui ex maiore caritate et reverentia magis se conformat, vitam magis devotam ducit; neque opus bonum est, nisi conforme voluntati divinae. Certe Christus Dominus non placuit minus Patri vitam privatam 30 annis agens, laborans in officina nutritii sui et matri obsequens, quam postea regnum Dei praedicans et patrans miracula.

39. Resp. II. Admoneatur poenitens, ut magnam concipiat *aestimationem finis sui, ad quem creatus est.* Creatus est homo, ut in hac mortali vita sua Dominum Deum suum laudet ac revereatur, eique serviens tandem salvus fiat. Reliqua

autem sita super terram creata sunt hominis ipsius causa, ut eum ad finem creationis suae iuvent. Haec alte imprimenda sunt poenitentibus, excitando eos ad fervens studium finis sui consequendi. Quidquid homo agit, quidquid patitur, quod eo non tendit, deperditis annumerandum est. Fine illo qui excidit, melius esset illi, si natus non esset. Exponendum quoque, quam multiplicia, quam facilia, quam iucunda, quam excellentia dederit Deus homini media ad finem suum, quam benigne ordinaverit, ut omnia seu prospera seu adversa diligentibus Deum cooperentur in bonum. Ac proinde inexcusabilis fit homo, qui divitias bonitatis Dei contemnit vel iis abutitur. Denique moneatur, ut conitatur ad omnimodam indifferentiam, suscipiendo de manu Dei non minus lubenti et grato animo adversa quam prospera; quia nescit homo, quid ad finem suum magis conducat: valetudo bona an adversa, divitiae an paupertas, honor an neglectus et contemptus.

40. Resp. III. Concipiat *magnum odium et horrorem omnis peccati*, imprimis mortalis, considerando eius malitiam; quae, etsi transcendat humanum intellectum, magis tamen apparebit, si considerentur: 1. Poenae, quibus Deus, iustus vindex, unicum mortale in angelis lapsis et Adamo excepit, et quibus punit modo mortalia in aeternum in inferno. 2. Satisfactio, quam Deus exegit ab Unigenito suo, qui peccata nostra in se suscepit eluenda. Neque enim satis ei erat, ut unum obsequium, etsi infiniti valoris, exhiberet, sed ut nasceretur pauper, ab hominibus desertus viveret ut egenus et quasi ignotus, toleraret opprobria, contemptum, calumnias, immo ignominiosam mortem crucis inter latrones subiret. 3. Quis per peccatum mortale offendatur, inhonoretur, contemnatur; a quo et ob quid, in quibus circumstantiis: vid. Deus in conspectu suo, eo tempore, dum homini dat vitam ex amore salutis eius, eum fovet et sustentat, ut supra exposui sub n. 12.

41. Resp. IV. Saepius poenitens consideret, quam *fluxa atque mutabilia sint omnia, quae mundus offert;* cogitet brevitatem vitae, mortem certam, horam incertam, aeternitatem

deinde futuram felicem vel infelicem. «Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?» (Mt 16, 26.) Nihil proderit, divitem fuisse, nil, fuisse in deliciis, honoribus, nihil, fuisse principem, regem, totius mundi monarcham. Hac ratione consequetur amorem spiritualis paupertatis et animus a terrenis avelletur.

42. Resp. V. Suggerantur *media generalia consequendae virtutis*. Quorum *primum* est magna virtutis aestimatio; virtus enim substantia est vitae christianae et rationalis naturae dignitas, decor, pulchritudo, ornatus, nobilitas. Haec si desit, nihil conferunt cetera; si adsit, hominem evehit ad Dei similitudinem; constituit enim eum prudentem, iustum, fortem, temperantem, mitem, patientem, benignum, misericordem, aliisque perfectionibus exornat; ex quibus pulchra quaedam Dei similitudo et perfectionum eius imitatio consurgit; immo filius fit Dei, filius autem refert patrem. Similitudo Dei in nobis secundum *S. Augustinum*[1] in moribus cernenda est. «Nam sicut Deus creator, qui hominem ad imaginem suam creavit, est caritas, bonus et iustus, patiens et mitis, mundus et misericors, et cetera sanctarum virtutum insignia, quae de Deo leguntur: ita homo creatus est, ut caritatem haberet; ut bonus esset et iustus, patiens atque mitis, mundus et misericors. Quas virtutes quanto plus quisque in se ipso habet, tanto propior est Deo et maiorem sui creatoris gerit similitudinem. Si vero, quod absit, aliquis per devia vitiorum et diverticula malorum ab hac nobilissima sui conditoris similitudine degener aberrat, tunc fit de eo, quod scriptum est: Homo, cum in honore esset, non intellexit.» Quantam autem similitudo Dei homini conferat excellentiam, quis explicet? «Ego dixi: Dii estis et filii Excelsi omnes» (Ps 81, 6). Vis esse ex iis? Sectare virtutem.

Secundum generale medium est ardens, forte, efficax virtutis desiderium. Ardens quidem, ut quis ad eam feratur

[1] In append. op. S. Aug., De spiritu et anima c. 35 (ML XL 806).*

instar famelici ad cibum, instar sitientis ad potum: «Beati enim, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.» Forte autem, ut animum contra difficultates erigat et virtutis studio firmet; has enim qui horrent, virtutem solidam non consequentur. Ut dicit *S. Gregorius*[1], «esse humiles, sed tamen sine despectu; esse contenti propriis, sed sine necessitate; esse casti, sed sine maceratione corporis; esse patientes, sed sine contumeliis volunt; cumque adipisci virtutem quaerunt, sed labores virtutum fugiunt, quid aliud quam et belli certamina in campo nesciunt, et triumphare in urbibus de bello concupiscunt?» Denique desiderium efficax, quod ad praxim operationis externae perveniat contemptisque hominum dicteriis et propriis commoditatibus sectetur non consolationes spirituales neglecta virtutis substantia, instar pueri, qui butyrum pani allitum delingit et panem negligit, sed virtutes constantes et firmas, quae sibi in omni loco, tempore, occasione constent. Quodsi hoc modo labori non parcimus, Deus dona sua dabit larga manu secundum dispositionem cordis nostri.

Tertium generale medium est frequens et humilis oratio seu petitio virtutis; est enim virtus eximium Dei donum, quod sine oratione non obtinetur; sed vult Deus illius auctor agnosci, vult quadam importunitate cogi, ut discamus donum illud agnoscere, fontem adorare, gratos nos exhibere, id quod fiet cum magna nostra, non Dei utilitate. Et hinc toties nos adhortatur Deus ad orationem: «Petite, et dabitur vobis; quaerite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis» (Mt 7, 7). «Oportet semper orare, et non deficere» (Lc 18, 1). «Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis» (Io 16, 23). Debet autem oratio fieri cum fiducia, tanquam in nomine Christi, innitendo illius meritis, non nostris, et cum humilitate, referendo quod petitur ad gloriam Dei, ut glorificetur Pater in Filio; alias enim non petitur in nomine

[1] Moral. l. 7, c. 28 [al. 12], ML LXXV 785.*

Christi. Demum modus petendi virtutem triplex est; peti enim potest vel virtus in communi, exemplo Davidis (Ps 118, 66) orantis: «Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me»; vel virtus in particulari in hac oratione, hac hebdomada, hoc mense toto una, alias alia; qui modus utilior est priore; vel ita ut, iis consideratis, quae ad virtutem, v. gr. humilitatem, movent, exerceas illius actus, cum magno proficiendi desiderio. Ut vero oratio inflammetur magis, expedit, ut Deo proponas modo tuam indigentiam, paupertatem, virtutis necessitatem, pericula etc., modo caritatem, qua nos Deus ab aeterno dilexit; misericordiam, qua revocavit aberrantes; longanimitatem et patientiam, qua rebelles toleravit; modo labores, sudores, opprobria, cruciatus, mortem Christi; et haec eadem proponi possunt Christo et beatissimae Virgini.

Quartum medium est constans in virtute progrediendi conatus; sic enim crescit virtutis aestimatio, desiderium, habitus, qui actibus frequentatis augetur. Atque conatus ille ad profectum necessarius est, ita ut non progredi in virtute sit regredi, ut Patres et spirituales magistri docent. Cuius ratio est, quia tam parum cor nostrum sine amore esse potest quam ignis sine calore; amor autem aut ordinatus est et coelestis, aut inordinatus, ut plurimum terrenus: si terrenus, deficimus; si coelestis, progredimur; at coelestis non erit, nisi constanter pugnemus contra amorem proprium naturamque vitiatam et conemur progredi.

Quintum medium est operari ex memoria praesentis Dei et omnia etiam secreta cordis nostri intuentis: «Ambula coram me, et esto perfectus» (Gn 17, 1); id est, *eris,* ut exponitur.

Sextum medium generale est Christum, qui via, veritas et vita est, sibi tamquam magistrum et exemplar virtutum proponere, et hac se cogitatione animare: Vita nostra militia est super terram, ut Iob testatur; dux et imperator noster Christus; huic nomen dedi, huius vexillum sequor; ipse laboravit, passus est sitim, famem, frigus, aestum, opprobria, contumelias, humiliavit se usque ad mortem crucis, ut me

redimeret et ita intraret in gloriam suam; invitat me ad illam, at non vult me in partem illius venire, nisi cooperer et compatiar. Non est servus maior domino, nec discipulus supra magistrum; pudore suffundi deberet miles, si commodius et delicatius haberi vellet quam dux suus, rex et imperator, et nihilominus socius esse vellet regni et gloriae.

43. Resp. VI. Doceatur poenitens *exercere frequenter fidem, spem, caritatem;* fidem quidem cum magna humilitate et reverentia, suum intellectum subiciendo et captivando in obsequium supremae veritatis circa Dei perfectiones, mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis, sacramenti Eucharistiae, circa praemia iustis et supplicia aeterna peccatoribus praeparata. Spem exercere debet cum magno desiderio beatitudinis, cum magna fiducia in omnipotentia, benignitate, misericordia, fidelitate promittentis Dei, meritisque Christi, quae voluit esse nostra. Caritatem denique exerceat gaudendo de infinitis Dei perfectionibus, se illi offerendo, optando, ut illum omnes propter se ament, invitando omnes creaturas ad illum laudandum et ei benedicendum; gratulando de gloria extrinseca in coelo et in terra; exsultando de eius cultu et honore; dolendo, quod tot illum negligant, offendant, contemnant et quod ipsi eum offenderimus; deplorando nostram et aliorum caecitatem et tepiditatem in eius agnitione, aestimatione, obsequio.

44. Resp. VII. Inducatur, ut *se constanter exerceat in humilitate cordis, oris, operis;* atque ad hanc virtutem consequendam saepe recogitet: Quid quantusque est Deus et quid ego? Deus aeternus, immensus, omniscius, sapientissimus, omnipotens, omne bonum; ego ante annos non multos fui nihil, iam ex me nihil sum, et quid per peccata? Post paucos annos quid ero, et quid in aeternitate? Ut sic se humiliet sub omnipotenti manu Dei, ad eum in omnibus recurrat, suam agnoscens caecitatem, paupertatem, impotentiam ad omne bonum, sibi attribuat solos defectus, Deo vero omne bonum, ut erga proximum sit benignus, misericors, omnium se postremum reputando. Est enim humilitas fundamentum

omnium virtutum, sine qua nemo quemquam perfectionis gradum attigit, «quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam» (1 Petr 5, 5); quia humiles Deo, qui gloriam suam non vult nec potest dare alteri, omnia dona accepta referunt; superbi autem fures sunt in domo Dei et raptores gloriae eius.

45. Resp. VIII. In omnibus discat *recta procedere intentione,* spectans unice beneplacitum et gloriam Dei; ideoque diligenter invigilet suis affectibus et usui sensuum, eos ad examen saepe revocet; alias enim amor proprius intentionem aut evertet aut labefactabit, quia «sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adulescentia sua» (Gn 8, 21).

46. Resp. IX. Praeter *examen generale* de actibus totius diei vespere instituendum familiare sibi habeat *examen particulare,* cuius praxis haec est: Suscipitur ad certum tempus certa virtus exercenda per diem; vel vitium aut passio mortificanda; mane fit propositum, praevidentur occasiones, per diem exercentur actus illius virtutis aut mortificatio passionis, augendo in dies numerum in bono et minuendo in malo; vespere initur ratio, elicitur dolor de lapsibus vel negligentiis, examinatur profectus, maiorne sit an minor? Statuitur pro die altero. Pro quo examine primum assumenda virtus magis necessario exercenda, aut passio praedominans imminuenda.

47. Resp. X. Commendanda *exacta confessio* et *communio frequens ac devota.* Ut confessio sit devota, non tantum fiat praemisso examine, humilique et sincera peccatorum confessione, cum dolore vero et efficaci emendationis proposito; sed etiam media poenitens indaget, occasiones peccatorum statuat vitare. Suscipiatur absolutio animo demisso gratoque tamquam a Christo; pro accepta postea agantur gratiae, et conceptum antea propositum ei offeratur gratiis suis confirmandum. «Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis» (Ps 67, 29). Quo communio sit magis devota, debet 1. homo mundus esse non ab omni solum mortali, sed veniali etiam peccato, omni inordinato affectu; proinde omnes animi affectus

bene sunt excutiendi. Ex fine intento agnoscuntur. 2. Debet excitari ardens desiderium Christum suscipiendi, considerando propriam indigentiam, caecitatem, animi morbos, impotentiam, pericula; Christi autem divitias, potentiam, amorem, quo nobiscum esse desiderat et nos ditare. «Si quis sitit, veniat ad me» (Io 7, 37). «Sitienti dabo de fonte aquae vivae» (Apc 21, 6). «Deliciae meae esse cum filiis hominum» (Prv 8, 31). 3. Profunde se humiliare debet considerando ex una parte suum nihilum, indignitatem maxime per peccata et ingratitudinem contractam, ex altera Christi dignitatem. 4. Suscipere debet Christum viva fide, magna cum fiducia, ardenti amore et desiderio se illi perfecte conformandi in agendo et patiendo, magna cum humilitate, attentione, reverentia. 5. Suscepto sponso animae suae gratias humiles agere, quod fit subiciendo illi intellectum per fidem, eum adorando, amando, optando, ut ab omnibus ametur et glorificetur, se offerendo, compellando eum iam regem suum, iam sponsum etc., petendo gratiam uberem, per diem mortificationem subeundo aliquam, legendo sacrum librum, vitando vanam conversationem etc.

*Post decretum Sacrae Concilii Congr. «Sacra Tridentina Synodus», d. 20 Dec. 1905 Pii PP. X iussu editum et post can. 863 confessario persuasum esse debet, se officio suo deesse, nisi eorum, qui vitam devotam vereque christianam ducere volunt, animos exstimulet, ut frequenter, immo quantum possint quotidie, S. Eucharistiam percipiant, dummodo «in statu gratiae sint et recta mente procedant», i. e. non ex humano motivo, sed eo fine, ut in caritate et coniunctione cum Deo crescant et remedium efficax contra infirmitates animae eiusque pericula atque leviores defectus adhibeant. Ipsum illud decretum in parte sua dispositiva n. 6 confessarios monet: «Quum autem perspicuum sit, ex frequenti seu quotidiana S^ae Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idciro parochi, confessionarii et concionatores, iuxta proba-

tam catechismi Romani doctrinam (part. II, cap. 4, n. 60) christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.» — Doceat igitur confessarius poenitentes suos unam ex praecipuis partibus vere christianae vitae esse hanc frequentem S^ae Eucharistiae sumptionem; «curandum tamen esse, ut sedula ad sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia» (decr. laud. n. 4).*

CAPUT X.

Num, quando, quomodo errores et defectus in sacro tribunali a confessario admissi sint corrigendi.

Error in absolutione; in interrogatione; in monitione et in restitutione imponenda vel neganda. Breve examen post auditas confessiones.

48. Resp. I. Si confessarius poenitentem *dispositum*, peccati mortalis reum ex oblivione, distractione aut errore *vel omnino non aut invalide absolvit*, tenetur eum dein absolvere vel statim, si adhuc est moraliter praesens, secundum dicta n. 31, vel postea, si eum noverit praesentemque habeat post aliquot horas, immo etiam post diem et iuxta *Lessium* in Auctario ad voc. Confessio, Casu 5, aliosque multos cum *Gobat*[1], *Cardenas* in 2 Crisi, dissert. 2, n. 88, post duos dies; quia, cum sacramentum poenitentiae sit institutum per modum iudicii, diutius durat moralis coniunctio inter partes quam in reliquis plerisque sacramentis. Hoc tamen casu, quo tantum temporis intercedat, si fieri potest, prius monendus est poenitens et renovandus dolor; si autem moneri non posset, absolvendus saltem esset sub conditione, praesertim si prudens esset timor, ne dolor sit retractatus. Ratio, cur utcumque *absolvendus* sit, est: quia ius habet ad absolutionem, cuius etiam accipiendae voluntatem retinet; *cur autem absolvendus sit *con-*

[1] Alphabetum confessariorum cas. 6, n. 290.

ditionate, ea est ratio: quia probabile quidem est, at non certum, tantum intervallum non obstare valori sacramenti.* Quodsi dilata diutius occasione eum conveniendi rediret confessurus eidem confessario, dici ei posset: Numquid accusas te et doles de omnibus peccatis totius vitae? et annuenti dari absolutio, modo confessarius adhuc in confuso memor esset status prioris. Si autem nec redeat nec conveniri nec reduci nec post longum tempus occurrens moneri possit sine notabili poenitentis offensione et scandalo aut notabili confusione vel detrimento honoris et famae confessarii (sicut plerumque fieri nequit, si tempus paulo longius intercesserit), commendet confessarius rem Deo et culpam, si admisit, expiet. Neque enim tenetur confessarius cum scandalo vel gravi damno suo integritatem confessionis materialem procurare, cum et ipse poenitens ex gravi causa ab ea excusetur. Haec intelligenda sunt, si poenitens prudenter credatur iterum confessurus ante mortem et ita a priore peccato saltem indirecte absolvatur; si enim putaretur prius mortis subiturus periculum, salus illius esset damno famae propriae praeferenda. Ceterum, secundum *Aversa*[1] et *Burghaber* (Cent. 2, casu 60) confusio sola et infamia apud poenitentem subeunda excusat confessarium, dummodo prudenter putet poenitentem adhuc semel confessurum. Dixi in responsione: *poenitentem peccati mortalis reum;* nam, si non nisi venialia habuisset, etsi absolvendus esset statim, dum adhuc est moraliter praesens, si tamen iam abiisset, facilius res dissimulari posset, nisi forte esset prudens timor, ne sit nihilominus in statu mortalis peccati et non amplius intra longum tempus confessurus.

49. Resp. II. Si confessarius *neglexit interrogare* poenitentem *de specie et numero peccatorum gravium*, potest et debet poenitentem adhuc in sede confessionali flectentem interrogare etiam post datam absolutionem et monere de obligationibus, de quibus forte monitus non est. Nec opus est

[1] Theologia schol. universa pars 6, q. 16, sect. 13, v. «Si autem».

ad id veniam petere, quia iudicium adhuc integraliter durat. Ita sententia communis. Si autem poenitens iam discesserit, regulariter ad nihil tenetur confessarius, nisi forte ad poenitentiam, si culpa intervenerit; quia admonitio extra confessionem vix fiet sine gravi confusione poenitentis et confessarii, ipseque non concurrit positive ad omissionem. Si tamen rediret idem poenitens ad confessionem apud eundem confessarium faciendam, monendus esset de defectu commisso; alias enim confessio non fieret omnium, ad quae confitenda tenetur poenitens. Dixi: *si neglexit interrogare;* nam si positive falso dixisset non esse opus horum peccatorum speciem vel numerum exponere, monendus esset, si sine gravi scandalo et detrimento poenitentis et confessarii moneri posset; quia alias confessarius pergeret esse causa, cur grave praeceptum violaretur de omnibus confitendis quoad speciem et numerum. Verum quia magna ordinarie est confusio confessarii, ut supra dictum est, si delictum suum aut ignorantiam manifestet poenitenti, cum homines, lingua facile labiles, proni sint ad talia aliis aperienda, videtur confessarius ab hoc onere saepe liberari, si nempe poenitens non redeat ad ipsum. Docet enim *Lugo* (De poenit d. 22, n. 74 sqq.) cum *Suarez*[1] non teneri confessarium, per se loquendo, monere poenitentem ad corrigendum errorem etiam culpabiliter admissum, si prudenter timeatur scandalum aut detrimentum grave proprium vel alienum aut gravis offensa poenitentis. Si tamen monendus esset, putat *Suarez*[2] posse dedoceri errorem extra confessionem, non petita etiam venia, dicendo: si tale vel tale peccatum admitteretur, hoc vel illo modo confitendum esse. Melius est petere veniam, si extra confessionem corrigendus esset. *Immo aliter grave periculum est, ne laedatur sigillum. Cf. n. 54.*

50. Resp. III. Si confessarius *pure neglexit* monere poenitentem *de restitutione facienda,* et ideo hanc ille omittat, non

[1] Disp. 32, sect. 6, n. 8. [2] Disp. 33, sect. 5, n. 3.

tenetur propterea confessarius ad compensationem damni, etsi ex ignorantia vincibili et cum culpa gravi processisset; quia ex iustitia erga tertium non tenetur monere aut eius damnum impedire, sed summum ex caritate; ex qua etiam tenetur errorem corrigere, si commode possit[1]; si autem non possit, rem Deo commendet (*Laymann* l. 5, tr. 6, c. 6). Excipit *Lacroix*[2], nisi ideo tacuerit, ut poenitens non restitueret; eo quod tertius ius habeat, ne per dolum impediatur ab eo, quod ipsi debetur ex iustitia. At silentium confessarii vel est causa per se damni vel non est; si primum, tenetur, etsi fraus non adfuerit; si non est, intentio interna non inducit obligationem compensandi, nisi actio externa sit causa efficax damni. Aliud esset, si intentio illa ita silentium qualificasset, ut poenitens illo fuerit motus ad non restituendum; unde alii dicunt teneri confessarium in defectu poenitentis, si hic silentio confessarii motus fuerit ad non restituendum. At alii negant silentium confessarii ordinarie esse tacitam approbationem iuris retinendi, cum poenitens nesciat, utrum ex oblivione an iusta de causa taceatur.

51. Resp. IV. Si confessarius *bona fide obliget poenitentem ad restituendum,* qui non tenetur, aut deobliget eum, qui tenetur, per se loquendo non obligatur ad compensanda damna; cognito tamen errore tenetur ex caritate, immo etiam ex iustitia monere poenitentem, si potest sine proprio incommodo

---

[1] S. Alph. VI 621 eadem fere dicit: «Si confessarius negative se habuit, negligendo monere poenitentem de restitutione, tunc distinguendum. Si inculpabiliter id egerit, non tenetur quidem cum gravi suo incommodo monere poenitentem; sed tenetur cum aliquali . . ., quia caritas obligat quemquam ad reparandum cum levi suo incommodo grave nocumentum proximi. Et in hoc advertit Lugo disp. 22, n. 63: incommodum mensurandum esse respective ad damnum; quod si sit gravissimum, aderit forte obligatio illud reparandi etiam cum notabili incommodo. Si vero confessarius culpabiliter neglexit monere de restitutione, merito dicunt Lugo, Elbel: teneri cum maiore suo incommodo ad monitionem faciendam.» — Verum etiam *hanc* monendi obligationem *caritatis* esse, non *iustitiae,* S. Doctor addit. *

[2] L. 6, p. 2, n. 1781.

relative magno. Ratio *primae* partis est, quia, ubi nec culpa theologica est nec res aliena etiam aequivalenter, illi in conscientia non est obligatio restituendi, nisi forte specialis contractus intervenerit, qualis hic non intervenit; sed sicut suscipientes officium advocati, medici, consiliarii non intendunt se obligare nisi ad diligentiam communem cavendumque dolum et culpam talem, quae coniuncta sit cum culpa theologica gravi, neque nisi ex hac in foro interno tenentur de damnis, ita etiam confessarius neque obligavit se poenitenti gravius nec tenetur de damno sine culpa ipsius secuto. Ratio *secundae* partis est, quia caritas postulat, ut, ubi commode possum, impediam damnum proximi. Ratio *tertiae* partis est, quia confessarius tenetur impedire, ne actio sua moraliter perseverans pergat continuare damnum, sicut, si sine culpa alium infamassem graviter vel alterius domum incendissem, tenerer ex iustitia resarcire famam et exstinguere, si possem, incendium [1]. Non tenetur tamen confessarius ipse restituere, *ubi, prout potuit, poenitentem monuit,* ex ratione data.

---

[1] *Reuter* quidem hanc sententiam: esse videl. obligationem *iustitiae* monendi poenitentem, quando sine magno incommodo moneri possit, dicit tantum *probabiliorem*. Nam ita pergit: «*Navarrus* et *Sanchez* docent quoque probabiliter teneri tantum ex caritate, quando sine magno incommodo monere potest, quia nec ex culpa antecedente nec ex re aliena nec iam ex officio tenetur monere, cum officium cesset: sicut, inquiunt, si a fure accepissem dono vas pretiosum et bona fide donassem alteri, postea resciens fuisse furtivum non tenerer ex iustitia domino dicere. Prima sententia probabilior est, nec obstat exemplum; nam si donatio mea esset causa, cur dominus vas non reciperet, tenerer revocare illam vel domino dicere ex iustitia.» Sed tum ratio, quam Reuter affert pro sua (probabiliore) sententia, si magis evolvitur, tum auctoritas vetant oppositam sententiam haberi pro probabili. Confessarius enim non tenetur quidem ad restitutionem sive ex re aliena detenta sive ex actione culpabili; sed ex ipsa sua actione, quae, utut inculpabilis erat, erat tamen et perseverat esse efficax damni alieni iniusti, tenetur; i. e. tenetur impedire, ne ex sua actione causetur damnum tertii iniustum, sicut qui inculpabiliter iniecit ignem in acervum frumenti, tenetur ignem exstinguere, si possit, ut damni periculum atque damnum ipsum avertat. Quod si, cum sine gravi incommodo posset, neglexit, commisit culpam ex se gravem; atque

52. Resp. V. Si autem confessarius *ex ignorantia graviter culpabili vel ex malitia positive deobligavit,* tenetur ex iustitia curare, ut damna resarciantur, aut ipse resarcire; quia fuit causa illorum iniusta. Procedit hoc etiam de confessario religioso, qui tamen, si non haberet nec habere posset unde restitueret sine gravi sua infamia vel incommodo [1], non teneretur ipse in defectu poenitentis vel alterius, quia irrationabiliter ab ipso exigeretur; si autem habere posset a superiore vel alio petendo ad usum pium, teneretur petere et in defectu alterius restituere ob rationem datam.

53. Resp. VI. Si *temere* vel diligentia ad inveniendum dominum a poenitente nondum adhibita *dixit, ut res daretur pauperibus,* manet obligatio inquirendi dominum et invento restituendi; ad quod primo loco tenetur poenitens et eo deficiente confessarius. Ex quibus patet, quam caute procedendum confessario sit in materia restitutionis, ut, quando certus non est de obligatione vel immunitate ab illa, non statim resolvat, sed moram petat rem expendendi vel alios consulendi, dicatque poenitenti: Numquid paratus es praestare omne id, ad quod intelliges te obligari? Si annuat, dicat: Rem istam expendam; redi post tempus ad me, aut si nequeas, adi alium virum doctum et casum expone.

54. Resp. VII. Si confessarius dixerit *valere contractum* v. g. matrimonii, *cum sit invalidus,* aut non valere certum votum, cum valeat, tenetur monere poenitentem, si possit;

---

ex tali nova culpa eaque gravi teneri potest confessarius etiam ad restitutionem damni, cuius primo quidem inculpabiliter causam posuit, dein cum gravi culpa hanc causam efficacem quodammodo sustinuit. Aliis verbis: confessarius posuit actionem materialiter iniustam; quae evadit iniusta formaliter, si eius efficaciam postea sciens et volens sustinet. Cf. etiam S. Alph. VI 621. Attende igitur discrimen a casu supra n. 50 discusso.*

[1] Cum gravi infamia quidem non tenetur; incommodum autem grave, idque magis aut minus grave pro diverso damno causato, eum non eximit ab obligatione quaerendi unde accipiat, quibus faciat restitutionem, si modo dominus laesus sit determinatus et notus.*

id quod fieri posset per alium, si ista non cadunt sub sigillum, nisi tamen constet poenitentem nolle ista revelari alteri; non autem cadunt sub sigillum, si non sunt manifestata ad peccatum explicandum. Cf. *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1783. Utrum autem ad eiusmodi errores corrigendos confessarius prius teneatur a poenitente legitime obtinere veniam loquendi de auditis iis in confessione, de quibus loqui ad corrigendum errorem necesse est, an possit eum monere non petita licentia, non convenit inter theologos. Communior tenet sententia, si poenitens sit absolutus, ad loquendum cum illo extra confessionem de iis, quae sub sigillum cadunt, necesse esse, ut ab ipso legitime sit obtenta venia, quia sacramentum iam completum est; secus, si vere absolutus non esset; dicere enim illi eum absolutum non esse, non est revelare peccatum. Contra *Suarez*, *Filliucius*[1], *Hurtado*[2], *Laymann*[3], alii probabiliter docent opus non esse petere veniam; quia, inquit *Suarez* disp. 33, sect. 5, n. 3 de poenit., tunc proprie non loquitur extra confessionem, sed supplet et perficit eam, quae ante incohata est. Nihilominus melius consulitur reverentiae sacramenti, si petatur venia. *Immo haec sententia: petendam esse veniam, sola probabilis et in praxi tenenda est, tum quia in re ad sigillum spectante, si *probabile* est laedendi sigilli *periculum*, iam illud inducere non licet, ne confessio fiat odiosa, tum quia opinio illa, quae putat licere sine venia poenitentis negotium confessionis quasi complere, in se considerata solide probabilis non est. Opinio enim illa, ut recte monet *Lugo*, De poenit. d. 23, n. 130 et 140, et *S. Alph.* VI 622, gravissima parare potest confitentibus incommoda.* Verum veniam illam seu licentiam loquendi poenitens tenetur dare tum ad corrigendum defectum et ad satisfaciendum obligationi suae, tum quando malum communitatis, proximi vel proprium, quod tenetur neque aliter potest avertere poenitens,

[1] Tract. 7, c. 11, n. 324. [2] Disp. 12, diff. 11.
[3] L. 5, tract. 6, cap. 14, n. 15.

exigit, ut detur licentia utendi notitia ex confessione accepta. Hinc si poenitens eam negaret, absolvi non posset, quia esset in actuali peccato mortali. Declaranda illi esset obligatio communis in hoc genere et iubendus ipse consulere virum alium doctum. Vide *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1776 et 1958.

55. Resp. VIII. Ut quicumque defectus, qui in confessione quandoque occurrunt, facilius et exactius corrigantur, expedit, ut confessarius, sicut suasit S. Franciscus Xaverius, *post exceptas confessiones expendat, quomodo munere suo sit functus,* quomodo cum his illisve poenitentibus processerit, quomodo instruxerit, examinaverit, quomodo ad dolorem excitaverit, dubia resolverit, quomodo melius agere potuisset et in futurum possit; si dubitet de sua resolutione vel iudicio circa peccatum, consulat libros aut viros doctos et expertos; sic enim fiet, ut expeditius deinceps exactiusque et magno cum fructu officio suo fungatur.

PARS II.

DE IIS, QUAE CONFESSARIO OBSERVANDA SUNT TUM IN GENERE CIRCA PECCATA MAGIS OBVIA, TUM IN SPECIE CIRCA PERSONAS AETATE, SEXU, STATU VEL CONDITIONE DIVERSAS.

CAPUT I.

Quae in confessione sint confessario observanda in genere circa peccata magis obvia et quae media contra ea suggerenda.

Peccata magis obvia sunt peccata capitalia, et quae ex iis ordinarie potissimum consequuntur; sunt autem peccata capitalia septem, nempe: superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia. Dicuntur capitalia, quia ex iis velut capitibus reliqua oriuntur.

QUAESTIO I.

Quid de superbia et praecipuis eius partibus et remediis observandum.

56. Resp. I. *Superbia est* amor inordinatus propriae excellentiae[1], puta personae. Dixi: *inordinatus,* quia ordinate appetere excellentiam in se malum non est, sed potest esse actus honestus, si debito modo et fine fiat. Consistit autem superbiae inordinatio in eo, quod quis sui ipsius excellentiam vel dignitatem maiorem apprehendat, quam ipsi insit, et erga

[1] Cf. S. Thom. 2, 2, q. 162, a. 1 2 5 6.*

illam ita apprehensam afficiatur, maiorem se aestimando, quam re ipsa aestimari mereatur, atque ita mente et affectu supra se eat. Hinc superbus se inflare et tumefacere dicitur, quia apprehensione et affectu maiore, quam par est, se quodammodo facit maiorem.

57. Resp. II. Superbia alia est *consummata et perfecta,* alia *non consummata et imperfecta.* 1. Consummata est, qua quis ita se animo effert, ut Deo et superioribus subesse recuset, volens arbitratu suo vivere; aut ita se gerit, quasi a Deo sua non haberet, aut quasi quae habet essent suae naturae debita. Dixi: *ita se gerit,* quia non requiritur, ut ita iudicet (hoc enim esset haereticum), sed sufficit, ut dona Dei apprehendat tamquam sua et non cogitans, unde ista habeat, ita se gerat, ac si a se haberet; id quod fieri potest. Sic pauper, fruens alienis, potest se efferre non secus ac si propriis frueretur. Haec superbia, praesertim primo modo accepta, est diabolica et peccatum gravissimum, quia formalis est aversio a Deo. 2. Superbia non consummata est, qua quis, salva erga Deum et superiores subiectione seclusoque illo se gerendi modo, suam dignitatem apprehendit, aestimat, amat supra id, quod ipsi convenit vel inest. Dicitur *imperfecta,* non quod proprie dicta superbia non sit, sed quod ad supremum superbiae gradum non ascendat, primusque sit superbiae actus, qui, per se loquendo, veniale tantum est peccatum. Nam ex recepta regula, quando obiectum est de se indifferens adeoque honeste appetibile, ut sunt excellentia, dignitas, honor, laus, divitiae, cibus, potus: appetitus illius inordinatus, per se loquendo, non excedit culpam venialem. Dixi: *per se loquendo,* quia per accidens fieri potest mortale sicut alia venialia, ratione scandali, finis adiuncti etc.

58. Resp. III. *Filiae superbiae* quasi primogenitae sunt ambitio, praesumptio, cenodoxia seu vana gloria. *Ambitio*[1] est inordinatus appetitus honoris vel dignitatis, ut si appetatur

[1] Cf. S. Thom. 2, 2, q. 131.*

honor non conveniens appetenti vel meritis maior, v. gr. si quis honorari cupiat ob doctrinam, quam non habet, vel ob divitias, vel velit ad officium elevari, quo indignus est. *Praesumptio*[1], ut hic accipitur, est appetitus aggrediendi aliquid vires et facultatem excedens. Cenodoxia seu *vana gloria*[2], quae sic dicitur, quod fundamento debito careat, est appetitus inordinatus humanae aestimationis et laudis, ut si quis maiorem de se opinionem et famam appetat, quam mereatur, aut ex rebus indifferentibus, ut sunt divitiae, pulchritudo etc., quae de se laudem non merentur, vel de simulata doctrina et virtute. Si talis aestimatio et laus quaeritur verbis, dicitur *iactantia;* si factis veris, *inventio novitatum,* ut si quis ob peregrinas vestes novumve modum videri vellet magnus et laudari; si quaeritur factis falsis, dicitur *hypocrisis,* ut si quis aliquid facit, ut videatur bonus, cum non sit. Haec ordinarie sunt peccata tantum venialia; fiunt tamen quandoque mortalia ex circumstantiis et effectu, ut: si quis ambiret officium, ad quod scientiam vel idoneitatem non haberet, sicque praevidere posset gravia damna aliis inde consecutura; si mulier quaereret luxum in vestibus cum gravi detrimento familiae aut aere alieno, cui solvendo par non esset; si puella comeret se, ut appareret pulchra, sicque alios alliceret ad amorem turpem; si, ne videretur scrupulosa, accederet nocturnas conventiones, praevidens lapsum in gravia peccata probabiliter futurum; si iactaret se de peccato gravi, si communicaret indigne, ne videretur aliis minus pia etc.

59. Resp. IV. Sunt et *alii superbiae mali partus*[3], ut pertinacia, discordia etc., temeraria iudicia, immo omne peccatum. *Pertinacia* est inordinata ad suam sententiam adhaesio. *Discordia,* ut hic sumitur, est contrarietas voluntatum circa bonum Dei vel proximi seu circa bonum, quod quis tenetur velle. *Dissensio* est inordinata contrarietas opinionum, ut si

---

[1] S. Thom. 2, 2, q. 21 et 130.* [2] Ib. q. 132.*
[3] Cf. ib. q. 132, a. 5.*

quis dissentiat ab alio in obiecto, circa quod deberet consentire, vel excedat in modo dissentiendi. *Contentio* est pugna verbalis inordinata circa veritatem aliquam, ut si quis se opponat animo contradicendi veritati agnitae. *Rixa* est inordinata et contentiosa privati a privato invasio ex vehementi ira procedens. *Contumelia* est iniusta laesio honoris, ut cum quis alicui aliquid obicit in faciem, cum animo eum inhonorandi vel cum dedecore iniusto. *Detractio* est iniusta laesio famae alienae, plerumque occulta. *Temerarium iudicium* est firma sententia de proximi labe sine fundamento sufficienti. Haec sunt peccata gravia vel levia pro diversitate materiae vel modi.

60. Nativitas pessimae huius turbae haec est: Primo apprehendit quis excellentiam suam non attendendo suas imperfectiones, indigentiam, paupertatem, dependentiam a Deo, ex quo fit, ut excellentia sua appareat illi maior, quam re ipsa sit, quia bonum pure ut tale apprehensum apparet longe excellentius quam apprehensum ut mixtum imperfectionibus. Ex hac apprehensione nascitur amor suae excellentiae et aestimatio iusto maior. Ex his deinde fit, ut homo aestimet se idoneum rebus magnis et vires suas excedentibus. Hinc appetit dignitates aliaque, quae ad excellentiae commendationem pertinent, tamquam sibi convenientia, cupit ab aliis aestimari, honorari, laudari; quod nisi assequatur, dolet, irascitur; si cum aliis se confert, censet se illis digniorem, aptiorem, potentiorem, ideoque illos vilipendit, contemnit; parvi facit, quae ab aliis, magni, quae a se fiunt, oculos ad suos defectus clausos, ad alienos apertos habens; si alios videt sibi praeferri, invidet etc.

Atque ex his patet, quomodo examinandus, qui se de aliquo superbiae actu accusat; interrogandus nempe, circa quod obiectum, coram quibus v. g. se iactaverit, dissenserit, contenderit, quod officium ambierit, quid obiecerit, de proximo dixerit etc.

* Videlicet haec interrogatio «*circa quod obiectum*» eo spectat, ut cognoscatur, num forte grave peccatum fuerit commissum

vel ipsa superbia completa. Nam si mansit peccatum veniale, ista interrogatio non est necessaria; immo ne tum quidem, quando mortaliter quidem peccatum sit, non tamen consummata superbia, ulterior obiecti indagatio fieri debet. — Idem dic de obiecto *contumeliae,* eo quod illud materialiter tantum se habet quoad peccatorum distinctionem. De *iactantia* quoque idem dicendum quidem est, si de iactantiae peccato ut tali quaeritur; sed quoniam cum ea, si quis de peccato aliquo se iactat, facillime coniungitur approbatio istius peccati et gaudium, haec autem specificam malitiam obiecti peccaminosi continent, iactans plerumque obiectum iactantiae accuratius exponere debet. Cf. *Lugo*, De poenit. d. 16, n. 265 269; *Lacroix,* Theol. mor. l. 6, p. 2, n. 1125 sqq. Inquisitio vero, *coram quibus* gloriatio vel iactantia etc. facta fuerint, eo spectat, ut recte iudicetur, adfueritne ratio gravis scandali. Quod si constiterit, qualitas audientium, etsi diversam reddat peccati speciem, quod hi forte scandalizati commiserint, non est necessario indaganda *nisi in scandalo directo.* Nam alias peccatum scandali a iactante dati habet solam malitiam communem contra caritatem, non malitiam specificam eorum peccatorum, ad quae scandalizans dederit ansam. Ita saltem probabiliter. Cf. *Lugo* l. c. n. 159. — Haec quidem, si sermo est de interrogationibus, quatenus ad integritatem confessionis sint necessariae. Nam si de pleniore directione spiritualis vitae agitur, interroganda sane plura sunt circa obiecta peccatorum pravorumque appetituum, occasiones, adiuncta. *

Remedia contra superbiam.

61. *Primum remedium.* Constanter se dare exercitio humilitatis, secundum dicta n. 44, et animo volvere illud: «Quid superbit terra et cinis?» (Eccli 10, 9.) Vel illud apostoli: «Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?» (1 Cor 4, 7.) Vel illud: «Gloriam meam alteri non dabo» (Is 42, 8).

Secundum remedium. Considerare suam originem. Natus es in sordibus, nutriris in sordibus, morieris in sordibus. Tu ergo quis es, et quid eris? Corpus esca vermium, et anima, ubi in aeternitate? Tu quis es? Ex te nihil. Quid potes? Ex te nihil, nihil in naturalibus, minus in supernaturalibus; cadere potes, ruere in interitum; Deo te opponere, unicum tuum bonum deserere; at sine supernaturali Dei auxilio surgere non potes, bonum tuum nec amare nec quaerere. Similis es infanti, qui in sordibus computresceret in cunis, nisi mater succurreret; ex te nec cogitare nec petere tibi necessaria potes. Omni momento indiges Dei te sustinentis manu, alias relapsurus in nihilum; in omnibus eius auxilio tibi opus est: nec ista indigentia te Deus liberare potest per omnipotentiam suam. Quid confers ad opera bona? Nihil praeterquam consensum gratiae auxilio dare, qui etiam ipse principaliter a Deo est.

Remedium tertium. Cogitare, quid sit de quo superbis? Scientia? Haec opinio est saepe falsa: nihil scis, nisi quod fides docet, aut recta ratio, quod est lumen a Deo datum, dictat; reliqua ignoras, pleraque omnium. Lucifer multo plura novit quam tu, et tamen miserrimus est. An divitiae? Lutum sunt, pars terrae aut terrae partus. Non maiorem nec felicem te faciunt, sed potius alliciunt, ut ruas in interitum. An laus et magna aestimatio humana? Laus est verbum volans; aestimatio humana umbra est, simulacrum in cerebro aliorum effectum, saepe falsum, inconstans, vix unius diei, quo maior non evadis; sed quod es in oculis Dei, hoc es et nihil amplius. An nobilitas generis? Ex luto es, non secus ac rusticus. Nobilitas est exemptio ab oneribus plebeiorum cum quadam fortassis iurisdictione coniuncta. Hanc maiores tui aut meruerunt aut emerunt; tu quid contulisti? Mors eam tollet, et eris par et forsitan inferior rustico. An pulchritudo corporis? Haec sita est in fugace cutis colore carnisque et ossium proportionata coniunctione. Corpus tuum, utut pulchrum, sepulcrum est dealbatum, intus plenum foetore et sordibus.

Quartum remedium. Ponderare pericula et damna superbiae. «Initium», teste Eccli 10, 15, «omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis.» «Videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem», ait Christus (Luc 10, 18).

Quintum remedium. Vilem se reputare, omni dono Dei indignum et servum inutilem, seque tamquam talem tractare; vilia appetere, tamquam sibi magis convenientia; laudem fugere, contemptum amare et de eo gaudere.

Sextum remedium. Conferre se cum Sanctis et Angelis. Quid es respectu illorum? Quid hi respectu Dei? Quid ergo tu?

Septimum remedium. Turpitudinem superbiae perpendere: furem te facit. Proinde, oriente superbiae motu, respice indignitatem tuam, ora Deum, ne te permittat confundi. «Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam» (Ps 113, 9). Lapsus superbia, confundere tamquam fur in flagranti deprehensus etc.

Octavum remedium. Attendere ad superbiae indicia, qualia sunt: sua praedicare, expiscari aliorum de se iudicia, turbari quando negligeris et quando suscepta non bene succedunt; pulsari invidia, dum alii laudantur aut laudabiliter agunt etc. Quae cum primum in te deprehenderis, stude mortificare.

QUAESTIO II.

Quid de avaritia eiusque partibus notandum.

62. Resp. *Avaritia* specifice accepta est inordinatus appetitus divitiarum[1]. Est per se peccatum veniale tantum ob rationem datam sub n. 57. Transit in mortale, si inducit gravem violationem alterius virtutis, v. gr. caritatis, iustitiae, religionis etc. Ex ea oritur duritia cordis erga pauperes, inquietudo animi seu inordinata sollicitudo de augendis et conservandis divitiis, dolus, perfidia seu proditio etc. *Dolus*

[1] S. Thom. 2, 2, q. 118, a. 1 et 2.*

est vitiosa animi calliditas, quae, si in verba prodeat, dicitur *fallacia,* si in facta, *fraus. Proditio* seu perfidia est deceptio proximi in eius damnum contra fidem datam, ut violatio secreti commissi, apertio literarum etc.

Dixi supra: *avaritia specifice accepta,* quia generice sumpta est inordinata cupiditas cuiuscumque rei sensibilis, sive utilis sive delectabilis.

63. Hinc poenitens, qui se accusat 1° de *duritia* in pauperes, examinetur: num duris vel contumeliosis verbis eos compellaverit; an eleemosynam negaverit, ubi ad eam ex caritate tenebatur, ut in extrema vel gravi proximi necessitate; an ab iis debita exegerit nimis rigide.

2° Qui se accusat de *fraude* vel *fallacia,* interrogetur: an cum gravi damno proximi vel periculo eius.

3° Qui de *secreto violato* se accusat, examinandus est, utrum id fuerit commissum an tantum promissum. Si commissum, id est, si ipsi ea lege scientia communicata et vicissim acceptata est, ut taceret[1]: huius violatio est non tantum contra fidelitatem, sed etiam contra iustitiam ob contractum onerosum intervenientem, estque peccatum grave vel leve pro diversitate materiae et damni inde sequentis. Si autem est secretum promissum tantum, id est, si quis, communicata iam notitia, promiserit sine contractu antecedente se tacere velle, utrum hoc obliget ex fidelitate tantum an simul ex iustitia, pendet ex intentione promittentis, quae, nisi aliud constet, ordinarie censetur esse, ut obliget ex fidelitate tantum, et hoc secretum violare, secluso periculo gravis damni vel laesione caritatis, est ordinarie tantum veniale peccatum, immo ali-

---

[1] Secreti igitur commissi notitia sequitur post obligatam fidem de non porro communicanda notitia; atque sub hac obligatione et dependenter ab ea fit rei secretae communicatio. Haec fides dari potest sive expresse sive tacite. Ex tacito pacto ad secretum servandum (seu ex secreto per tacitum pactum commisso) tenentur ii, cum quibus res ad eorum officium pertinentes, dummodo illae res ex natura sua secretum suadeant, communicantur, v. gr. iudices, medici etc. Cf. S. Alph. III 970.*

quando nullum, si nimirum ob iustas causas manifestetur, v. gr. si quis interrogaretur a superiore vel iudice, cui teneretur respondere, vel iniuste laesus ab eo, cui promisit, aliter famam suam tueri non posset etc. Id quod etiam valet quandoque de revelatione secreti commissi, ut si silentium vergeret in grave damnum communitatis vel proximi innocentis, imminens a committente, quod aliter averti non posset. Immo recte revelatur secretum, si non ab ipso quidem committente, at ab alio immineat damnum commune vel salutis animae, quia pro iis casibus nemo se obligare potest. **S. Alph.* III 971 iustas causas, ob quas liceat manifestari secretum etiam commissum, enumerat: «si servare secretum vergeret in damnum commune vel alterius innocentis seu etiam ipsius committentis», atque etiam «ad vitandum proprium damnum grave». Nihilominus cum non quaelibet secreta commissa aeque stricte obligent, in hac re non solum damnum vitandum cum damno ex secreti manifestatione oriturum conferendum est, sed etiam diversa genera secretorum commissorum sunt distinguenda, ne levius fiat secreti manifestatio. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12] 1441 sqq.* Praeter hos casus debet attendi, sub quam gravi malo proprio potius subeundo se quis obligaverit, utrum etiam sub morte subeunda, an, ut fit communiter, tantum ad moralem et humanam seu non nimis difficilem custodiam.

64. 4° Qui se accusat de *literis apertis* vel *lectis,* examinetur, quales fuerint. Etsi enim, per se loquendo, alienas literas aperire et legere sit mortale, cum ordinarie non constet, contineantne rem gravem, vel quam ab altero sciri scribens valde aegre ferat: per accidens tamen potest esse veniale tantum, ut si ex curiositate aperiantur et prudenter iudicetur certum esse, eas non continere rem magni momenti neque scribentem esse graviter invitum; vel etiam potest esse peccatum nullum, ut si adesset consensus scribentis expressus, aut saltem tacitus prudenter praesumptus et ex rationabili causa fieret; ita etiam si adesset legitima auctoritas,

aut si merito certum iudicares iis grave damnum tibi vel alteri parari, quod aliter non posses avertere; licet enim contra iniuriosas literas tibi consulere; sed nec tunc plus legendum, quam quod ad illum finem requiritur. Cavendum quoque, ne id temere iudicetur. Idem dicendum de literis apertis, quas aliquis casu amisit aut ex inconsideratione in loco publico reliquit. Quodsi dominus illas dilacerasset et fragmenta in locum publicum proiecisset, num legi possint licite, controvertitur. Affirmat *Lugo* [1] et alii satis communiter, eo quod eas videatur habere pro derelictis et cedere iure suo. At contradicit cum aliis *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 1236, si in minuta frustra dilacerasset; quia sic satis ostendisset se velle earum contentum esse secretum: proinde fragmenta *coniuncta* legere, per se loquendo, non licere. *Potius dixerim in tali casu praesumi posse literas ita esse dilaceratas, ut, quid continuerint, intellegi amplius non possit, adeoque *frustulas* quasdam legere non esse peccatum. Verum si praeter expectationem, v. gr. per *coniunctas* frustulas, comperiatur res, quae naturale secretum postulet, eam utique secretam esse tenendam, non tamen maiore obligatione quam quaelibet secreta naturalia, quorum notitia acquisita sit non iniuste. Hoc sensu utrique sententiae laudatae aliquid dari potest.* Quod dixi de literis, valet de alienis scriptis, quae quis vult esse secreta, cum et in his ius ad secretum habeat; unde si ex his aut literis alienis per iniuriam lectis damnum domino sequatur, legens tenetur ad compensationem.

Remedia contra avaritiam.

65. 1. Cogita quam inconstantes sint huius mundi divitiae! Transeunt omnia illa «tamquam umbra» (Sap. 5, 9). «Dormierunt somnum suum: et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis» (Ps. 75, 6). Quomodo, inquit

[1] De iust. et iure, dist. 14, n. 150.

S. Augustinus[1], qui videt thesauros in somnis, dormiens dives est, sed evigilabit et pauper erit. 2. Quo devenient divitiae, quas tanta sollicitudine, forte cum iactura salutis meae comparo? Diripient alieni tandem labores meos. Heredes mei aut nati eorum erunt prodigi, et dein quid mihi? Quin potius, adhibita moderata diligentia ad necessaria mihi meisque acquirenda, committo me divinae providentiae. Deus novit, quid cuique prosit ad salutem. 3. Quam vilia sunt huius mundi bona! Extrinseca sunt, possessorem suum nec meliorem nec beatum faciunt; sed inquietum, coeli immemorem, superbum, luxuriosum, divinorum contemptorem, crudelem in miseros, dicente Ecclesiastico (10, 9 10): «Avaro nihil scelestius. . . . Nihil est iniquius quam amare pecuniam: hic enim et animam suam venalem habet.» Si beatum redderent divitiae, non largiretur eas Deus hostibus suis, cuiusmodi sunt ethnici, scelerati. 4. Unigenitus Dei, cum dives esset, propter nos egenus factus est; si fuisset melior ad felicitatem aeternam via quam divitiarum contemptus, eam is elegisset et nobis ineundam demonstrasset. 5. Esto misericors in pauperes et beneficus in proximum. Contraria contrariis curantur. «Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam» (Prv 28, 27). «Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis» (Prv 19, 17). «Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (Mt 25, 40). «Beneficentiae autem et communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus» (Hebr 13, 16).

QUAESTIO III.

Quae confessario de materia luxuriae sint specialiter observanda.

66. Resp. I. *Luxuria*[2] *generice accepta est* appetitus inordinatus delectationis sensualis, specifice autem appetitus inordinatus delectationis venereae. Ad quae intelligenda

---

[1] Cf. in Ps. 75, n. 9 (ML 36, 963). [2] S. Thom. 2, 2, q. 153 et 154.

Notandum 1. Delectatio simplex est complacentia potentiae appetitivae in obiecto delectabili sine desiderio. Est autem alia spiritualis, alia sensitiva. Spiritualis est complacentia voluntatis; sensitiva est complacentia appetitus sensitivi in obiecto delectabili. Illa, si contineat se intra solam voluntatem neque coniunctam habeat delectationem sensus, dicitur mere spiritualis; si autem hanc coniunctam habeat, dicitur mixta seu sensitivo-spiritualis. 2. Delectatio sensitiva fit cum aliqua alteratione corporis per motum spirituum animalium et dividitur in mere sensibilem et carnalem[1]; carnalis in veneream et non veneream. Mere sensibilis est, quae percipitur ex obiecto sensibili non apto ex se, ut moveat ad venerea; v. gr. quae percipitur ex olfactu floris, auditione musicae, sapido cibo, visu modestae imaginis, tactu holoserici; et haec de se mala non est. Carnalis est, quae percipitur ex obiecto carnali, id est vel venereo vel saltem remote apto, ut ex se moveat ad venerea. Venerea est, quae percipitur ex obiecto venereo, v. gr. ex turpi tactu vel aspectu; haec sentitur circa partes genitales ex commotione seminis. Oritur autem illa commotio vel ex imaginatione obiecti turpis vel ex mordacitate seminis eiusque copia, et dicitur venerea, quia servit ad generationem, cui ethnici Venerem tamquam deam praesidem statuerant. Delectatio carnalis non venerea est, quae concipitur ex obiecto carnali quidem, sed de se non turpi, sine delectatione venerea, apto tamen saltem remote, quae ad hanc moveat. Talis esse potest, quae concipitur ex tactu manus mulieris, ex aspectu formosi vel formosae adolescentis etc.; haec sentiri solet circa pectus cum aliquo calore et quasi emotione sanguinis et spirituum animalium.

---

[1] *Carnalem* delectationem alii non intelligunt nisi de venerea; atque propterea eam, quam auctor hic vocat «carnalem non veneream», alii dixerint *sensualem non veneream*. Haec imprimis in excipiendis confessionibus prae oculis habenda sunt, ne in hac re confusio oriatur et turpis committatur error. Ipse auctor eam vocat infra n. 67, sub 5 *delectationem sensitivam non veneream*.

3. Cogitatio de obiecto turpi alia est practica, alia speculativa tantum. Practica est, quae repraesentat obiectum modo delectabili, id est, vel tamquam praesens nunc ponendum vel tamquam delectabile sensui, adaptat illud cogitanti tamquam ei conveniens. Speculativa autem est, quae repraesentat obiectum aptum secundum se et quasi superficialiter sine modo illo, qualem plerumque habet, qui studet casibus considerans distinctionem specificam peccatorum in ordine ad confessionem, et haec de se peccatum non est, uti nec delectatio de scientia iam acquisita[1].

67. 4. Delectatio venerea plene deliberate sive in se admissa sive in causa per se efficaci indirecte volita est in solutis peccatum mortale ex toto genere suo, ut habet communissima et nunc certa sententia, quia omnis delectatio venerea ex natura sua ordinatur ad seminis effusionem estque huius incohatio, quae in solutis, si voluntaria est in se vel in causa quae dicitur *per se et efficax*, est mortale. Nam cum in hominis potestate, natura per peccatum originale corrupta, non sit admissa leviore delectatione maiorem impedire adsitque periculum consensus in hanc, recta gubernatio generis humani exigit, ut illa graviter prohibeatur, ne sequatur corruptela et ruina generis humani, et ne matrimonii fini, qui est propagatio generis humani, ut augeatur numerus servorum et filiorum Dei, graviter praeiudicetur. 5. Delecta-

[1] Si stricte loqui volumus, etiam delectatio ex cogitatione, quae sistit in mente atque solam voluntatem movet, quae igitur non est proprie cogitatio *practica* in partem sensibilem redundans, neque movens sensibilem appetitum, potest in peccatum transire; videlicet sola mente et voluntate delectari de re mala cogitata eamque approbare peccatum est, idque in re venerea grave, tum quia obiectum, quod voluntas amplectitur, graviter peccaminosum est, tum quod talis cogitatio et approbatio secum trahit communiter proximum periculum consentiendi in ipsam sensibilem delectationem veneream. Aliter delectatio de *cogitatione rei* se habet. Haec non est mala, cum sit de sola scientia rei malae. Attamen etiam haec cogitatio, si sustinetur sine iusta causa, ansam dare facile poterit cogitationi practicae et vere peccaminosae; quare arcendae sunt quaelibet cogitationes inutiles de re lubrica oriturae. *

tiones vero sensitivae non venereae nec de obiecto turpi admissae ex honesta causa, dum abest periculum consensus in delectationem veneream forte orituram, de se peccata non sunt, ut quae percipiuntur ex amplexu, manuum contactu, osculis factis ex urbanitate vel benevolentiae honesta causa, quia de se non sunt impudica, nec per se, saltem non propinque, tendunt ad venerea, fiunt autem ob rationabilem causam. Ita communis cum *S. Thoma* (2, 2, q. 154, a. 4). Dixi 1) *admissae;* nam delectationes illas sensibiles intendere valde periculosum est, cum in natura corrupta tunc vix absit delectatio venerea, in quam simul feretur consensus, unde ob illam voluptatem osculans feminam facile peccat graviter. Alexander VII damnavit hanc propositionem: «Est probabilis opinio, quae dixit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris et pollutionis.» *(Quam thesim damnatam intellige de delectatione *venerea,* quasi in ea daretur ista materiae parvitas, quae, nisi transiret in delectationem rei gravioris et completae venereae, esset peccàtum veniale tantum. Agi in thesi illa de delectatione sensibili non potest ostendi. Cf. *Ballerini-Palm.,* Opus theologicum morale II[3], n. 966.)* Dixi 2) *admissae ex honesta causa,* quia, si fiant oscula ex levitate, vanitate, delectatio culpa non vacat. Dixi 3) *de se;* quia, si quis sciret se solere, cum illas admitteret, consentire in delectationem veneream, graviter peccaret exponendo se periculo, nisi aliam cautelam adhiberet.

68. Resp. II. Si poenitens *se accuset de cogitationibus turpibus,* interrogetur, num voluntarie et cum voluntaria delectatione iis inhaeserit. Si neget, ulteriore examine de his opus non est. Si dicat: Sensi delectationem, quaeretur, utrum eam libenter et voluntarie admiserit, an vero statim eidem repugnaverit. Non nocet sensus, ubi deest consensus, sed meritum est iis strenue repugnare. Si annuat, quaeratur, utrum fuerint de obiecto contra castitatem an de scurrili, v. gr. de excrementis humanis etc.; etsi enim cogitatio et delectatio

turpis specifice accepta sit venerea, accepta tamen generice est omnis cogitatio, quam dedecet hominem ingenuum et pudibundum habere, et quae a rudibus saepe confunditur. *Quod imprimis nota de pueris et puellis. Quapropter eorum confessarius omnino attendere debet, ut intelligat, idque per interrogationem si necesse fuerit apertam, num «pravae illae cogitationes» fuerint de sola ista re scurrili vel foeda: quo in casu dedocendi sunt poenitentes, ne falsa conscientia peccent in re nullius momenti.* Si constiterit de consensu in delectationem veneream, debet poenitens, nisi aliunde constet, 1. exprimere sitne liber an voto obstrictus; 2. numerum; 3. speciem; nam aliud est specie peccatum delectari de fornicatione, aliud de sodomia, bestialitate etc., saltem si delectatio feratur in ista ut talia. *Sed de his vide *Reuter,* Theol. mor. P. 2, n. 200; *Lehmkuhl*, Theol. mor. I[12] 363 sq. et Casus consc. I[4] 541, ubi invenies eiusmodi cogitationes et affectus saepe sistere in communi illa rei venereae delectabilitate neque tum diversarum circumstantiarum malitias specificas contrahi.* 4. Fassus delectationem veneream voluntariam interrogandus est, num quid turpe fecerit aut facere voluerit. Si ita, exponere debet, quid vel fecerit vel facere desiderarit et cum quibus personis; desideria enim tendunt in obiecta-ut a parte rei ponenda ab iisque malitiam omnem, quam haec habent, si modo cognoscatur, contrahunt. Unde, qui desiderasset peccare cum coniugata, contraxisset malitiam adulterii. Aliter dicendum est de delectatione simplici ex copula, nisi esset de ea ut cum coniugata, quia tendit in obiectum tantum ut delectat[1].

69. Resp. III. Qui *accusat se de aspectu,* explicare debet, 1. num voluntarius fuerit aspectus obiecti de se turpis sine

[1] Ceterum praestat statim inquirere, utrum poenitens steterit in solis cogitationibus et desideriis, an ad opera sit progressus. Quodsi ita, expedit, ut *primo* interrogetur de operibus quoad speciem et numerum: quo facto, confessarius facilius brevi quadam interrogatione species cogitationum et desideriorum, quantum satis fuerit, cognoscet, quaerens, num et quoties fuerint de iisdem rebus, quas opere se perpetrasse poenitens iam fassus est.*

rationabili causa, num voluntarie admissa delectatio venerea. Si ita, debet iterum explicare suam conditionem, id quod semper in hac materia, nisi aliunde innotescat, est faciendum; probabiliter tamen, si abfuit desiderium, necesse non est exponere, num sit coniugatus, quia incertum est, an coniux mentem etiam comparti obligaverit, ut eam obligat vovens castitatem. Deinde examinandus est, ut supra. Si nihil nisi simplex delectatio admissa sit, personae aspectae qualitatem probabiliter necesse non est explicare. 2. Si aspectus ex obiecto non fuit turpis, petatur, *quo animo* aspexerit v. gr. feminas, num ex curiositate tantum et aspectu non fixo. Si ex curiositate tantum et aspectu non fixo citraque periculum probabile consensus in delectationem veneream, peccavit tantum venialiter; est enim curiositas cupido praecise sciendi, quae, si debito fine caret, veniale est. Si autem aspexit animo venereo, per se patet eum graviter peccasse, si plena adfuit deliberatio seu advertentia ad malitiam; hinc iterum examinandus, ut supra dictum est. Si autem ex honesto fine, urbanae conversationis aut salutationis causa, per se loquendo nullum admisit peccatum.

70. Resp. IV. Si poenitens *dedit causam motibus turpibus vel pollutioni,* triplex causa distinguenda est; nam alia est causa per se efficax, alia per se inefficax, alia causa per accidens. *Causa per se efficax* est, quae ordinatur ex natura sua ad effectum, ita ut eum necessario necessitate vel morali vel physica inducat; talis respectu commotionis venereae est cogitatio practica vivacior de venereis, tactus obscoenus diuturnior, aspectus obscoenus nudae feminae voluntarie continuatus; haec enim, si vivacius feruntur in obscoena, determinant ad delectationem; si vehementiora sunt, determinant ad pollutionem. *Causa per se at inefficax* est, quae quidem ex natura ordinatur ad effectum, sed in eum non influit notabiliter et hinc cum eo ut plurimum non coniungitur. Tales causae sunt tactus levis vel iocosus feminae non obscoenus, aspectus curiosus eius formae vel pectoris

nudi non fixus, confabulatio amatoria ob vanitatem vel vanum amorem conciliandum; quibus a *Sanchez* [1], respectu pollutionis, annumerantur amplexus, oscula, compressio manus feminae, intorsio digitorum ex vanitate vel levitate. *Causa per accidens* est, quae ad effectum per se non ordinatur, sed indifferens est, ut cum eo coniungatur, vel saltem proxime in eum non influit. Tales sunt equitatio, situs corporis magis commodus, conversatio cum feminis ad eas instruendas in virtute, esus calidorum, ut sunt ova, aromata, v. g. piper, cinnamomum etc., aliaeque actiones etiam illicitae extra materiam veneream, ut potio intemperans, comestio cibi vetiti, ex qua praevidetur secutura commotio venerea.

71. Ex his iudicandum, quomodo poenitens peccaverit; nam 1. qui intendit commotionem veneream vel pollutionem per actionem etiam licitam et de se indifferentem, peccat graviter, quia vult in se aliquid castitati graviter repugnans. 2. Qui ponit causam illius per se efficacem, reus quoque fit peccati mortalis, si eam ponat sine rationabili causa, quia volens causam per se efficacem effectus, nisi aliunde excusetur, velle effectum censetur; eadem enim lege, qua talis effectus prohibetur, etiam prohibetur causa per se efficax illius. Dixi: *sine rationabili causa;* haec enim si adsit, et absit periculum probabiie consensus in venerea, sine culpa talis causa seu actio poni potest. Sic licet medico vel chirurgo mederi vulneri in partibus obscoenis corporis alterius, confessario legere casus, ut ad audiendas confessiones aptior fiat, professori istis rebus studere ad instruendos alios, quando et quomodo in hac materia peccetur, et quomodo peccata sint confitenda etc., etsi praevideant motus venereos inde orituros. Causa igitur moralis per se efficax censentur in praesenti re omnes actiones in materia venerea graviter prohibitae, positae sine rationabili causa, ut sunt omnes cogitationes, aspectus, tactus ex obiecto valde turpes, qui nec

[1] De matrimonio l. 9, disp. 46, n. 16.

necessarii nec utiles sunt ad finem honestum, sed tantum hic et nunc servire possunt ad venerem. At si adsit rationabilis causa et servire possint ad honestum finem, censentur causa per accidens et honestantur ex fine. 3. Si quis ponit causam per se quidem, sed inefficacem motus venerei, qualis est actus solum venialiter malus in materia luxuriae, atque esse possunt ioci turpes non valde obscoeni, tactus vel oscula levia ex petulantia: delectatio inde praevisa et secuta, si absit periculum probabile consensus in illam, per se loquendo ei non imputatur nisi ad culpam levem. Ita *Vasquez, Bonacina, Lessius, Gobat, Sporer* aliique plurimi teste *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 923 contra *Mendo.* Ratio est, quia est tantum volita in causa estque potius effectus naturae corruptae quam potentiae generativae; velle autem talem causam veniale peccatum per se non excedit. Ita *Vasquez*[1], *Sanchez*[2], alii communiter. Aliud tamen dicendum esset, si adesset probabile periculum consensus, ut si quis experientia sciret se non raro solere consentire, dum tales actiones ponit. 4. Qui ponit actionem, quae sit causa per accidens, ex qua praevidetur secuturus motus venereus vel pollutio, si abest intentio illius et periculum probabile consensus in illam, non peccat contra castitatem, saltem non graviter; immo, quando actio est honesta vel non mala, per se nullum est peccatum, saltem si adest vel necessitas vel ratio honesta aut utilis ponendi vel continuandi talem actionem. Ratio primae partis est, quia causa per accidens non est vere causa effectus secuti. Ratio secundae partis est, quia effectus praeter intentionem sequens non imputatur, nisi fuerit obligatio non ponendi causam. At talis obligatio non est, quando adest necessitas vel ratio honesta vel utilis ponendi talem causam; sed tunc ius nobis est ad illam, atque potius patimur quam ponimus tales effectus. Quod nisi verum esset, innumeras

[1] In Summam S. Thomae, P. 1, 2, disp. 108, cap. 3.
[2] De matrim. l. 9, disp. 46, n. 10.

actiones utiles, honestas, immo necessarias teneremur vitare, quae obligatio cederet in detrimentum et eversionem generis humani et esset intolerabilis; proinde exsistere non potest, cum lex omnis debeat esse in bonum commune, immo plus boni afferre quam eius negatio. Dixi: *non peccat graviter, saltem contra castitatem;* nam, si actio esset graviter mala contra aliam virtutem, mortaliter peccaretur contra illam, ut si quis se inebriaret praevidens secuturam pollutionem in somno. Putat tamen *Sanchez*[1] peccari venialiter contra castitatem, eo quod videatur levis aliqua deordinatio contra illam. Idem dicit *Laymann*[2] et *Platelius*[3], si ponatur causa vel actio de se non mala sine iusta causa. *Rhodes*[4] et *Arriaga*[5] tenent non peccari contra castitatem, quia illa non prohibet actiones nisi quae per se inducant ad venerea, non vero alias etiam malas, multo minus bonas aut indifferentes: unde non magis repugnat castitati comedere carnes die vetita quam alia die. Hinc per se loquendo culpa vacat motus venereus vel pollutio praevisa in eo, qui legit ex iusta causa casus de materia venerea, qui audit confessiones, in chirurgo, qui ex officio vel caritate medetur vulneri, praevisa ex tactu honesto et amplexu iuxta morem patriae, ex locutione necessaria vel utili at honesta cum feminis, ex equitatione etiam recreationis causa suscepta, ex situ corporis commodo, si modo absit probabile periculum consensus. Suadendum tamen est, ne tales actiones suscipiantur sine rationabili causa, ut eo magis recedatur ab amore venereo et periculo lapsus. Similiter non peccat graviter contra castitatem, qui citra periculum venerei consensus habet cogitationem brevem de venereo obiecto non valde turpi ex mera curiositate aut cum semiplena tantum advertentia ad malitiam gravem, peccat tamen venialiter et

[1] Disp. 45, n. 22.
[2] Theologia moralis l. 1, tract. 3, cap. 6, n. 6.
[3] Synopsis P. 2, cap. 3, § 5, n. 238.
[4] Disput. theol. schol. disp. 1 de peccatis q. 3, sect. 2, § 5.
[5] Apud Lacroix l. 3, p. 1, n. 924.

periculum consensus venerei raro abest, nisi cogitatio sit languida, quae suo tepido modo et obiter advertente ad obiectum venereum parum commoveat. His non obstat sententia communis, in materia venerea non dari parvitatem materiae, quia id intelligitur de delectatione venerea vel directe in se vel indirecte in sua causa per se efficaci volita aut acceptata. 72. Resp. V. Si poenitens *se accuset de verbis turpibus*, explicare debet suam intentionem vel effectum, modumque proferendi et personas coram quibus; nam 1. si quis ex petulantia, levitate vel rusticitate sine affectu venereo citra discursum cum aliis vel ex praecipitantia illa proferat, ut faciunt quandoque moribus parum exculti, per se loquendo est veniale peccatum tantum. 2. Si autem proferantur cum affectu venereo, constat ex dictis mortaliter peccari a solutis. 3. Si proferantur animo alium inducendi ad turpem actum, v. gr. concubitum, exponenda est eius conditio. 4. Si verba fuerint valde turpia aut discursus turpis cum aliis, explicandum est, quot et quales fuerint personae, coram vel cum quibus discursus sit habitus, quia in hoc casu praesens periculum est scandali et ruinae vel praesentis vel futurae tum in propria persona tum in aliis. *Applica huc ea quae notata habes ad n. 60. Nimirum illa interrogatio, coram quibus sermo de re turpi factus sit, non raro manifestum reddit, utrum sermones illi fuerint *ratione scandali* peccatum grave necne. Difficilius enim grave scandalum patiuntur coniugati, coram quibus de ea re fit sermo, nisi sermones sint *valde* obscoeni; verum si ita est, etiam gravius est scandalum; longe facilius scandalum adest coram solutis, immo per *discursum* de re turpi dari iis scandalum semper praesumi debet. — Quodsi de scandalo *gravi* constiterit, pro *integritate* confessionis necesse non est declaretur accuratius qualitas personarum, quibus scandalum sit datum, nisi fuerit scandalum directum seu *intentio seducendi*. Similiter dic de numero accuratiore; in scandalo enim indirecto generatim sufficit indicasse numerum in confuso seu pluralitatem personarum, quae scandali-

zatae fuerint, siquidem sub hoc conceptu tantum solet in eos ferri attentio peccantis. Ratio horum omnium est, quia probabiliter malitia scandali indirecti non induit diversas species pro diversitate peccatorum, quorum datur ansa seu occasio, sed solam malitiam contra caritatem proximi; scandalum autem directum praeter malitiam contra caritatem omnes species malitiae induit, quas habet peccatum, ad quod fit seductio.

Ceterum scandalum in re turpi *datum* eo peius est, quia facillime evadit etiam scandalum acceptum atque ab aliis in alios derivatur.* Sic enim inclinatio in venerea excitatur et augetur et pessimum malarum cogitationum semen ingeritur, quod postea aut naturaliter aut a daemone excitatum etiam post multos annos tentationes causat et ruinas; sicut semen lolii agris insitum, etsi non statim, alio tamen tempore oritur et bonas segetes supprimit agrisque graviter nocet. Unde turpia loquentes graviter sunt dehortandi: «Vae homini illi, per quem scandalum venit» (Mt 18, 7). Dabis rationem de animabus, quae per te in ruinam et forte in aeternam infelicitatem ducentur. Tot peccata committis, quot personis malum exemplum et scandalum praebes. Et quid, si fuerint innocentes, qui sibi a malo cavere nondum satis norunt, qui adhuc pietatis erant tenerae et in utramque partem admodum flexiles? Si dicat: Erant coniugati, responde: His si sis causa ruinae, haec gravior erit. Si dicat: Non sum ipse locutus, risi tamen ad verba turpia, interroga: An cum delectatione venerea vel de rebus venereis? in risum prorupisti citra plenam deliberationem ex naturali quasi impetu, an risum voluntarie continuasti, verbis attendisti? Ridentes ad turpia movent alios, ut audacius et diutius turpiloquia protrahant. *Ridentes igitur a gravi peccato excusari possunt, si sine delectatione venerea et approbatione harum rerum subrident ex quadam levitate vel ex quodam rubore et respectu humano, in iis tamen circumstantiis, ut nullo modo sermones turpes ex eo promoveantur seu protrahantur. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12] 1034. Serio tamen monendi sunt, ut potius ab omni communicatione et

ab omni specie approbationis abstineant.* Qui igitur praebet alteri occasionem turpiloquii continuandi cum suo vel aliorum periculo lapsus, vel auctoritatem illi praestat, peccat graviter peccato scandali, etsi interius non approbet illud, quia approbatio exterior rei mortalis est mortale. Haec pariter valent de turpibus cantilenis, gestibus, spectaculis, lectione librorum turpium; hos legere cum probabili periculo consensus venerei culpa gravi non vacat; secus, si hoc periculum abest et legitur tantum ex curiositate, quod tamen periculosum est, nisi adsit iusta causa et bona intentione eiusmodi res legantur [1].

73. Resp. VI. Si poenitens se accusat *de pollutione nocturna* in somno orta: interrogetur, num illam in se intenderit, aut causam per se efficacem et proximam posuerit, praevidens illam secuturam; num in illam evigilans veneree plene consenserit. Si unum horum factum sit, reus est peccati gravis; si autem nihil horum admiserit, culpam non habet, nisi forte venialem ex consensu semipleno; quia talis pollutio ipsi voluntaria non est. Circa quam notanda: 1. Pollutio alia dicitur naturalis, alia innaturalis. Naturalis dicitur, quae sponte evenit natura semen abundans expellente. Haec est tantum alleviatio naturae et evacuatio rei superfluae, neque est obiective mala, sive in somnio sive in vigilia evenit, nec praeiudicat generationi, quam natura moderate intendit; neque est actus hominis voluntati subiectus, sed actus et evacuatio naturae sicut sudor; unde iuxta *S. Antonin.* [2], *S. Thom.* (in 4, dist. 9, a. 4, q. 1, ad 5), alios licet de ea iam praeterita gaudere et etiam desiderare, ut naturaliter veniat, secluso periculo delectationis venereae, quatenus est sola alleviatio naturae aut mitigatio tentationis. At consultius est, ab eo

---

[1] Quomodo iuvandi sint poenitentes, qui opera contra castitatem commiserunt, in declarandis atque detestandis peccatis, ex theologia morali neoconfessariis satis notum esse sumo; siquidem ibi omnes luxuriae species declarari atque discuti solent, neque in animo mihi est hoc loco omnia ista retractare.*

[2] Summa theol. P. 2, tit. 5, cap. 1, § 5, nota 2.

gaudio et desiderio mentem abstrahere et se Deo committere. Pollutio innaturalis dicitur, quae primario provenit velut extrinsecus appetitu sensitivo ad hoc irritato, v. gr. per imaginationes turpes, desideria venerea, quibus occasionem dant aliquando turpes sermones, tactus, aspectus, amplexus antecedentes. Haec est semper obiective mala, ideoque numquam obiectum desiderii aut gaudii liciti, qualis est etiam quae in somno propriis manibus procuratur, non tamen quae ex nimio potu provenit. 2. Cui pollutio naturalis sua sponte accidit, si absit periculum consensus in delectationem veneream, non tenetur quidem eam in somno iam coeptam reprimere, quia patitur, non agit, et est causa permittendi, ne suppressa noceat et tentationes diutius protrahat. Consultius tamen saepe est impendenti obsistere; saltem ea iam coepta mentem ad Deum convertere oportet, atque sine ullo attactu quietisque manibus Deum rogare, ne permittat lapsum in delectationem. Neque qui eam patitur, inordinatam propterea tristitiam admittat; est enim miseria naturae corruptae, a qua etiam Sancti non fuere omnes liberi. Hinc scripsit *S. Athanasius* solitariis sui temporis, qui de illa miseria questi erant, curandas non esse illas naturae evacuationes orituras sine ipsorum culpa. 3. Non licet tamen pollutionem naturaliter coeptam proprio conatu promovere aut complere, quia hoc non esset tantum pati, sed operari ad seminis expulsionem, quod soluto numquam licet.

Remedia contra luxuriam.

74. Remedia sunt haec: 1. Humiliter petere donum continentiae fatendo cum sapiente Sap 8, 21: «Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.» 2. Dei legibus et dispositioni se humiliter submittere. Humilis oboedientia spiritus impetrat subiectionem carnis. 3. Abstinere a nimio alimento corporis; quod enim sustentato individuo abundat, a natura aut reicitur, si inutile est, aut convertitur in propagationem speciei; et hinc ex abundantia tentationes

venereae, quae mitigantur ieiunio et victu moderato. Hoc remedium post gratiam Dei praecipuum est. Bacchus et Venus amici sunt. 4. Diligenter custodire sensus, neque in ullum tentationis periculum se temere immittere. «Qui amat periculum, in illo peribit» (Eccli 3, 27). 5. Vitare otium et familiarem conversationem cum feminis, his non blandiri, sed ubi cum iis agendum est, modestiam et animum virilem praeferre. 6. Legere pios libros, meditari de passione Domini et de novissimis. Frequenter suscipere sacramentum poenitentiae et Eucharistiae [1], uti flagello et cilicio, exemplo Apostoli 1 Cor 9, 27 dicentis: «Castigo corpus meum, et in servitutem redigo.» 7. Ambulare in conspectu Dei et pulsante tentatione cogitare: «Deus videt», vel dicere: «Domine, amo te», et alio mentem avertere. Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam; vel signo crucis cum fiducia in Christum frontem vel pectus munito. Per hunc victus est hostis in cruce, huius ad signum fugit confusus. 8. Per tacitum contemptum hostem negligere; hic timentem ferocius invadit, animosum et Deo nixum fugit non valens sui ferre contemptum. 9. Fidenter recurrere ad Christum ducem, amatorem castitatis, dicendo: «Domine, tuus ego sum, salvum me fac; si me deseras, pereo. Sed quid tunc facies magno nomini tuo?» 10. Cum fiducia confugere

[1] Una est theologorum sententia, iuvenes mollitiei deditos emendationem vitii sperare vix posse, nisi, modo possint, quam frequentissime ad sacramenta accedant, videlicet saltem singulis hebdomadis, vel saepius etiam, confiteantur atque pro devotione sua etiam S. Eucharistiam sumant. Ad id igitur imprimis hortandi sunt, verum ita, ut digni et cum fervore emendationisque desiderio accedant. Multum autem confert ad emendationem constanter apud eundem confessarium, cui fidatur, confiteri. Confessarius igitur curet, ut sibi animum poenitentis conciliet, illique persuasum sit se tuto se ipsius consilio ac directioni posse committere, ut poenitens verum animum sumat atque confidat se posse cum Dei gratia vitium superare et ad pristinam vitae puritatem redire. — Non raro etiam boni et fidi medici ope utendum erit, ut corporalibus mediis et tentationes minuantur et animus deiectus erigatur. *

sub praesidium Beatissimae Virginis, dicendo: «Per mundissimam virginitatem tuam et immaculatam conceptionem tuam munda cor meum et carnem meam in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.» 11. Proponere sibi foetidum cadaver et audire has voces: «Memor esto iudicii mei: sic enim erit et tuum: mihi heri, et tibi hodie» (Eccli 38, 23). 12. Considerare damna luxuriae; nam excaecat mentem, ad terrena et ad bestias abicit, nauseam creat coelestium, horrorem futuri saeculi, amorem mundi, odium Dei etc.

QUAESTIO IV.

De invidia et eius partubus quid notandum.

75. Resp. I. Invidia[1] est tristitia vel dolor de bono proximi prout apprehenditur velut imminuens invidentis excellentiae; unde invidus dicitur quasi non videns, quia sine dolore videre non potest alterius bonum; v. gr. si quis dolet de alterius virtute vel doctrina, quia putat suam excellentiam inde imminui. Invidia est peccatum ex genere suo mortale, oppositum caritati, potest tamen esse veniale ob parvitatem materiae, ut si quis tristetur de condiscipuli laude, quia apprehendit suam excellentiam inde minui.

76. Resp. II. *Filiae* invidiae sunt: 1. *Detractio, temeraria iudicia,* de quibus supra. 2. *Gaudium de proximi malo.* 3. *Desiderium,* ut alteri malum eveniat. 4. *Susurratio,* quae est occulta oblocutio contra proximum, apta ad dissolvendam amicitiam inter amicos et generandam discordiam; unde peccatum ex genere suo mortale est gravius quam detractio, quia tollit amicitiam, quae praestantius bonum est quam fama. 5. *Contumelia,* i. e. iniusta alterius honoris laesio: quae, si defectus vel vitium alteri obicitur, seu praesenti seu absenti, cum dedecore iniusto, dicitur *convicium;* si praesenti in faciem, dicitur *improperium;* si praesens seu absens factis vel verbis

[1] S. Thom. 2, 2, q. 36.*

risui obicitur, dicitur *irrisio;* si autem cum aliqua deceptione vel ludificatione obicitur risui, dicitur *illusio;* si denique per gestus aliosve indecoros corporis motus, dicitur *subsannatio.*

77. Resp. III. Tristitia de bono proximi, ut notat *S. Thomas* (2, 2, q. 36, a. 2), potest contingere quattuor modis: nam 1. potest quis dolere de bono alicuius, non quia illi bonum est, sed quia prudenter iudicat illum ex eo sumpturum esse occasionem sibi vel aliis iniuste nocendi; ut si alter evectus esset ad officium vel potestatem, qua prudenter iudicaretur usurus ad premendos innocentes vel in detrimentum communitatis. Haec tristitia per se licita est; secus, si timor vel opinio esset temeraria vel tristitia ex eo caperetur, quod iuste sit puniturus delicta. 2. Potest quis dolere de alterius bono, non quia is illud habet, sed quia ipse eo se carere videt: haec affectio dicitur *aemulatio,* estque bona, si sit circa bona animi; v. gr. si quis videns alterius virtutem doleat sibi eam deesse; sic enim excitatur ad imitationem. Si vero sit de bonis temporalibus, potest esse bona, si bonum est conveniens et debitus finis; mala vero, si bonum est inconveniens vel malo fine appetitur. 3. Potest aliquis dolere de alterius bono, quia is illo indignus est. Haec affectio dicitur *indignatio,* potestque esse bona, ut si quis doleat de alterius bonis, quia ad bonum eorum usum, v. gr. ad fungendum officio, ineptus est, vel quia illud ei iniuste collatum est. Potest quoque esse mala, ut si concipitur de bonis spiritualibus vel de temporalibus, quatenus a Deo peccatoribus conceduntur. 4. Potest quis dolere de bonis proximi, in quantum hic illum aequat vel superat bonis illis; haec est *invidia,* et affectio mala est, quia dolet de eo, de quo gaudendum est, scilicet de bono proximi. Invidia quoque est, si dolet v. gr. mercator de concursu emptorum ad vicinum, quod huic bonum est, et quod ideo ipse negligitur. Putat tamen *Burghaber*[1] non esse grave peccatum, quia non dolet de bono proximi absolute, sed

[1] Centuriae select. cas., cent. 1, cas. 88.

quatenus hoc ipsum facit se bono carere. Si autem dolet, non quod alteri bonum adveniat, sed quod non potius vel aeque sibi obveniat, est aemulatio licita, estque saepe talis dolor in concurrentibus ad beneficium obtinendum, in discipulis scribentibus pro primatu. Hic dolor est saepe sine peccato; sicut enim mercatori licet emptores ad se citra fraudem attrahere, de venientibus ad se gaudere, ita licet dolere, quod non ad se potius quam ad alium veniant. Idem est in aliis exemplis. Putat quoque *Tamburini* (In Decalogum l. 5, c. 1, § 3, n. 37) non esse invidiam, si quis doleat de alterius bono, in quantum est vere imminuens excellentiae suae, eo quod possit dolere licite de imminutione illa, ergo etiam de causa qua tali, eumque sic dolere non de proximi bono secundum se, sed quatenus suum malum est. Verum non apparet causa iusta doloris. Si enim per bonum alteri adveniens mihi bonum nullum subtrahitur, sed solum iam illi evado inaequalis, non ideo minor sum quam antea; sic si civis unus elevatur ad magistratum, non fit per hoc minor civis alter; si unus ditescit, alter sua retinens non fit pauperior. Unde cum alter alterum tamquam sibi in Christo fratrem respicere debeat, gaudendum potius est. Hinc

78. Resp. IV. Si *poenitens se accusat de invidia,* distinguendi sunt hi affectus, qui a plerisque confunduntur, et interrogandus est, in quo affectu putet sitam fuisse suam invidiam. Et idem est, si se accuset, quod habuerit odium proximi et gaudium de ipsius malo vel inefficax illius desiderium. Est enim odium duplex, alterum personae, quod *odium inimicitiae* dicitur, quo quis ex displicentia personae vult ipsi malum, quia malum ipsi est, apprehendens id tamquam aliquid sibi bonum. Et hoc est semper peccatum, grave vel leve pro diversa materia. Differt ab indivia, quia tendit in malum ut malum; invidia autem in bonum ut imminuens propriae excellentiae. Alterum est odium non personae, sed qualitatis in ea repertae, diciturque *odium abominationis,* quo quis aversatur personam proximi non secundum se, sed se-

cundum aliquid ipsi adiacens, quatenus id communitati, sibi vel alteri malum est; v. gr. si oderim alterum, seu potius malum ipsi velim, quia mihi molestus, contrarius est, quia magnae auctoritatis est mihi noxiae. Hoc odium cum non tendat in personam, sed in qualitatem, potest esse licitum, si servetur ordo caritatis; illicitum vero est, si is violetur. Violatur autem ordo caritatis, si maius malum volumus, ut minus evitetur.

79. Unde 1. illicite optas mortem proximo, ut evites damnum particulare temporale. 2. Illicite optas tibi mortem, ut libereris tussi, modico dolore capitis. 3. Illicite gaudet filius de morte patris aut eam optat ob pinguem hereditatem ipsi obventuram, quia bonum minus praefertur maiori. 4. Licite pater optat filio mortem nunc in statu gratiae exsistenti, quem certo praevidet evasurum esse improbum. 5. Licite opto potius mortem persecutori Ecclesiae, quam ut vincat et praevaleat, quia bonum spirituale temporali, publicum privato praevalet. 6. Licite alteri opto mortem, a quo certo praevideo aliter me iniuste occisum iri. 7. Licite opto mortem mihi, praevidens alias me grave malum animae esse passurum. 8. Licite potest quis sibi optare mortem, ne ultra Deum offendat, ne tam diu retardetur a beatitudine, ut evitet miseriam morte amariorem, v. gr. perpetuum carcerem, spoliationem omnium bonorum. Licet videlicet haec optare, per se loquendo, quando malum vitandum est praeponderans, saltem si servetur ordo caritatis etiam inter personas, qui exigit, ut diligam magis eos, qui mihi magis coniuncti sunt. Ratio horum est, quia sic non optatur malum ut malum, sed quatenus impedit maius malum. Et hoc ipsum evenire potest in tristitia de alterius bono. Possum enim de eadem re sub diversa ratione tristari et gaudere licite; sic filius potest dolere de morte patris quatenus ipsi mala est, et de illa gaudere quatenus intelligit eam immissam a Deo esse in salutem eius. Sic et tristari voluit Christus de morte sua imminente quatenus erat malum naturae, et tamen gaudens

eam sustinuit confusione contempta, eamque voluit quatenus erat a voluntate Patris in redemptionem nostram.

Ad haec contingit, ut, qui ab alio iniuriam passus est, longo tempore *sentiat* displicentiam et aversionem. Haec per orationem quidem et obsequia caritatis vincenda est; quamdiu tamen involuntaria est, non est peccatum; si voluntaria sit, inquirendum, utrum laesus laedenti optaverit mala an voluerit inferre.

Remedia contra invidiam.

80. 1. Petere a Deo sincere proximi caritatem. 2. Gaudere de bono proximi tamquam de proprio, qui frater est, et gloria eius in coelis erit pars gloriae tuae. 3. Gratificari illi, contra quem invidia pulsaris; orare pro eius bono; gratias Deo agere pro beneficiis ipsi tamquam tibi collatis. 4. Mundana vilipendere; se omnibus indignum reputare, proximum autem donis Dei digniorem. 5. Num, quia invides, bono illo caret proximus, aut tu plus habes? Habesne minus, quia per amorem proximi eius bonum facis tibi commune et thesaurum mereris in coelo, quem invidendo perdes? 6. Invidia facit diabolo te similem, quia ut ille Deo gloriam invides, quae ex proximi bono provenit; ex eo enim elucet Dei bonitas, sapientia, clementia, misericordia. 7. Invidus est tortor sui sine fructu et magno cum damno. Tandem debebit proximo bene velle, aut salvus non erit. Cur non modo? 8. Christus quanto amore quaesivit salutem nostram, et tu bono proximum velles esse privatum? etc.

QUAESTIO V.

Quid de gula et ebrietate observandum.

81. Resp. I. Gula[1] est inordinatus appetitus et usus cibi et potus. Inordinatio fit quinque modis. 1. Si fit excessus in quantitate: plus sumendo quam conveniat. 2. Si in quali-

[1] S. Thom. 2, 2, q. 148 et 150.*

tate: appetendo victum nimis lautum vel nimis studiose conditum vel praeparatum quam conveniat. 3. Si in modo sumendi, ut si edatur nimis ardenter, nimis propere vel voraciter. 4. Si in tempore committitur excessus, ut si saepius quam oportet aut extra tempus sine rationabili causa cibus sumatur. 5. Si contra finem, ut si sumatur tantum voluptatis causa; nam Innocentius XI damnavit hanc propositionem: «Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.» Ad quod intelligendum

82. *Nota primo.* «Ad satietatem comedere» significare potest tantum comedere, quantum requiritur, ut satisfiat fami, et hoc peccatum non est. Potest quoque significare plus comedere, quam requirit sustentatio naturae vel convenit. Et in hoc est inordinatio, quia cibus et potus tantum ad naturae sustentationem et convenientiam est ordinatus. Non est autem eadem quantitas conveniens omnibus nec eadem uni constanter; sed debet esse accommodata necessitati, infirmitati, utilitati, personae, tempori et loco; idem est de qualitate, quae accommodari debet simul statui, conditioni, facultati, personae, ne fiat excessus.

83. *Nota secundo.* Si quis comedat propter voluptatem, in ea plane sistendo, id quod ethicis et theologis est voluptate frui, peccat; quia pervertit ordinem naturae, ordinando non medium ad finem, sed finem ad medium; Deus enim usui cibi et potus annexuit voluptatem, ut ad eorum usum alliceremur. Si autem voluptas, quae est in usu cibi et potus, referatur ad honestum finem, v. gr. sustentationem naturae[1], quod est voluptate uti, non peccatur, quia in eum finem usui cibi et potus Deus voluit inesse voluptatem; unde talis non comedit et bibit propter solam voluptatem, sed propter sustentationem, ad quam voluptatem refert. Is vero propter

[1] Sed etiam moderata recreatio, exhilaratio, socialitas videntur fines esse honesti, quod magis etiam valet in nobiliore delectatione auditus et visus.*

solam voluptatem comedit eaque fruitur, qui in ea sistit velut fine intento, quod censetur facere is, qui comedit et bibit nimium vel quod nec necessarium nec utile est ad sustentationem vitae; sed ad eam saltem virtualiter ipsa re refertur, si ad eam utile sit. Idem est de aliis oblectamentis sensuum, quia, ut docet *S. Thomas* (2, 2, q. 141, a. 6), regula omnium delectabilium in hac vita est vitae aliqua necessitas aut utilitas vel convenientia; unde olfacere florem ad confortandum caput aliumve finem utilem culpa vacat; non vero, si fiat solius voluptatis causa. Idem est de auditione musicae etc. *Observa, quaeso, quae modo dicta sunt in nota 1 paginae 93.*

84. Resp. II. *Excessus in cibo* (qui opponitur abstinentiae, quae est virtus moderans secundum praescriptum rationis appetitum, usum, voluptatem in cibo) est, per se loquendo, peccatum tantum veniale; idem est de excessu in potu (qui opponitur sobrietati, quae virtus est ex praescripto rationis moderans appetitum, usum, voluptatem in potu)[1], nisi tamen excedatur usque ad privationem usus rationis. Ratio est, quia sunt actiones circa res indifferentes honeste appetibiles. Dixi: *per se loquendo,* quia per accidens peccari potest mortaliter: 1. si quis immoderato usu illorum graviter laedat valetudinem, v. gr. podagram contrahendo aut alium defectum gravem; quia homo non est dominus sui corporis, sed administrator tantum et custos. Unde ageret non tantum contra caritatem propriam, ex qua iuxta *Lessium*[2] et alios non minus sibi quam alteri tenetur non nocere in naturalibus, sed etiam contra ius Dei. 2. Si ad officium, ad quod sub gravi tenetur, se ineptum reddat. 3. Si excitet se et revomat cibum vel potum, ut ad serviendum voluptati iterum comedat vel bibat. Hoc enim est plus quam bestiale hominemque christianum valde dedecet. Idem dicunt aliqui de eo, qui se ita cibo vel potu ingurgitat, ut debeat vomere. At alii hunc, alii

---

[1] S. Thom. 2, 2, q. 149.

[2] De iustitia et iure l. 2, cap. 9, dub. 6.

utrumque per se a mortali excusant. 4. Si reddat se imparem solvendis debitis, sustentandae, ut debet, familiae aut liberis in statu convenienti collocandis. 5. Si ponat, saltem interpretative, finem ultimum in illa voluptate, scilicet si ob illam paratus sit Deum graviter offendere aut coelo vellet renuntiare, si ea frui semper posset, iuxta illud Phil 3, 19: «Quorum deus venter est.» 6. Si excessu suo det grave scandalum vel gravis peccati probabili periculo se exponat. **85.** Resp. III. Praecipui gulae excessus magis ordinarii sunt comessatio et inebriatio seu ebrietas active sumpta. *Comessatio* est inordinatus usus cibi vel victus in conviviis intempestivis; comessari enim dicitur, qui indulget illis v. gr. mane, a prandio, post cenam. Dicitur etiam crapula et sumitur pro frequentata potatione et voratione. *Ebrietas* est excessus in potu usque ad violentam perturbationem vel privationem rationis. Dividitur in imperfectam et perfectam. Imperfecta est excessus in potu usque ad perturbationem rationis aliquam, salvo adhuc eius usu aut potentia proxima utendi, quantum sufficit ad agendum moraliter. Haec potentia adhuc adesse potest, etsi phantasia sit nonnihil turbata, lingua titubet, pedes vacillent, oculi videant res duplicatas vel domus videatur gyrari, ideoque nondum censetur adesse plena ebrietas, modo homo adhuc possit discernere inter bonum et malum morale; ita *Stoz*[1] cum communi. Ebrietas *perfecta* est excessus in potu usque ad violentam privationem rationis eiusque potestatis proximae. Theologi complures dividunt ebrietatem perfectam in formalem et quasi materialem; formalem dicunt excessum in potu voluptatis causa usque ad privationem rationis; materialem vero excessum in potu sine iusta causa factam usque ad privationem rationis. Primam formalem vocant, quia, sicut sobrietas est virtus moderativa voluptatis in potu, ita ebrietas moveri debet voluptate illi opposita. Alii censent sobrietati opponi ebrieta-

[1] Tribunal poenitentiae l. 1, p. 3, q. 3, a. 3, § 3, n. 519.

tem per potum, etsi non fiat voluptatis causa; ut si amicus amici gratia, etiam cum molestia, bibat usque ad privationem rationis; aut si duo cum nausea bibendo contendant usque ad privationem rationis; quia ad sobrietatem videtur spectare etiam talem usum potus moderari. Aliqui denique ebrietatem etiam vocant omnem excessum in potu inebriante, etiam citra rationis perturbationem, et comessationem nominant omnem excessum in cibo; sed haec impropria locutio est; qui enim sic excedit, tam parum ebrius dici potest quam qui refrigerationis gratia excedat in potu aquae.

86. Resp. IV. Ebrietas vel inebriatio *imperfecta* culpam venialem per se non excedit; quia grave malum non est parum per excessum in potu turbare rationem, salvo eius usu circa bonum et malum morale. Ebrietas autem formalis[1] *perfecta* est peccatum letale, saltem si diu privet usu rationis. Rationes sunt: 1. quia est gravis deordinatio et deformitas potentia proxima ad usum rationis, qua homo supra bruta est elevatus, sine iusta causa, praesertim voluptatis gratia, se violenter privare et ita ineptum se reddere ad agenda humano modo ea, quae ad virtutem, officium, necessitatem animae et corporis pertinent, sicque deformare imaginem Dei et ad brutorum conditionem deicere. 2. Nemo est dominus suae rationis, sed administrator tantum et usufructuarius; ergo, sicut mortale peccatum est sine iusta causa sibi manum abscindere, quia nemo est dominus sui corporis, ita mortale erit voluptatis gratia aut sine iusta causa se privare usu rationis et potentia eius proxima, utpote quae sit magnum hominis bonum eumque a brutis discernat. 3. Mortale peccatum est contra caritatem propriam in naturalibus se pri-

[1] Rationes, quae ab auctore afferuntur, evincunt grave peccatum non in sola *formali* ebrietate seu voluptatis causa facta inveniri, sed in qualibet ebrietate, etiam quae n. 85 dicta est *materialis*, sine iusta causa facta. Quis enim dubitat de mortali peccato v. gr. eius, qui cum altero contendat de largiore haustu atque sponsionem ineat, etsi bibat cum nausea? Neque tamen formalem committit ebrietatem, si explicationem auctoris sumimus, sed materialem. *

vare magno bono, ergo etiam privare se violenter usu rationis eiusque potentia proxima. Unde, qui se potu voluptatis causa inebriat, peccat contra caritatem et sobrietatem: contra caritatem quidem, quia privat se magno bono in naturalibus sine iusta causa; contra sobrietatem autem, quia se *tali modo* illo bono privat. *Nec obstat,* quod liceat per somnum se usu rationis privare, tum quia haec privatio violenta non est nec naturae repugnans, sed conveniens, instituta ab auctore naturae ad restaurandas vires et spiritus animales; tum quia per somnum potentia utendi ratione non ita tollitur, ut homo usum rationis statim post somnum recuperare non possit; atque ita semper potest expeditus fieri ad agendum humano modo, id quod non potest ebrius. Dixi: «saltem si diu privet usu rationis», quia *Tanner, Fagundez, Gobat* apud *Lacroix* l. 5, n. 317, universaliter loquendo, docent ebrietatem nullam esse mortalem, nisi privet diu usu et potentia rationis. Sic nemo damnat mortalis peccati eum, qui subita ira aut circumversando se redditur rationis impos per spatium unius *Pater* et *Ave.* Longum tempus *Lacroix*[1] videtur esse hora. *Nec obstat,* inquit, usum rationis esse magnum bonum; nam multa bona in ordine superiore secundum se magna censentur in certis circumstantiis absolute exigua. Videri de hoc potest *Lugo,* De iure et iustitia d. 14, n. 24. At haec non videtur ullius momenti esse quoad ebrietatem per potum inductam, quia haec non facile depellitur, nisi quis medium haberet, quo statim pellere posset.

Porro signa plenae ebrietatis sunt: 1. Si quis ita perturbavit usum rationis, ut inter bonum et malum amplius discernere non possit. 2. Si quis postridie non meminit, quid dixerit, egerit, quomodo domum redierit etc. 3. Si ea fecit, quae numquam integra mente solet facere, v. gr. si turpia vel absurda locutus sit, cum alias sit pudicus et prudens; si iuraverit, blasphemaverit, vel familiam perturbaverit, cum

[1] L. c.

alias sit modestus et benignus. Si tamen cum hisce steterit discretio inter licitum et illicitum, non fuit plena ebrietas, etsi pedes vacillarint etc. Ex his deduco sequentia.

87. 1. In nullo casu excusatur a peccato mortali, qui ex nimio potu propter voluptatem *vel sine rationabili causa* cum plena advertentia se privat ratione, quia id intrinsece malum est. 2. Peccat graviter, qui etsi non intendens se inebriare, tantum bibit, quantum potest, non curans, utrum sequatur ebrietas, an non sequatur. 3. Qui probabiliter putat vel suspicatur secuturam esse ebrietatem et pergit bibere, quia exponit se eius periculo sicque eam vult interpretative. 4. Item si periculum advertere possit, at negligat, etsi privatio rationis sequatur post unam alteramve horam; potuit autem advertere, si prudens suspicio de ea inciderit, neque se resolverit prudenter. Vere docet *S. Thomas*[1] eum, qui frequenter est ebrius, semper id advertere, aut saltem posse et debere advertere, ideoque semper peccare mortaliter. 5. Qui scit se exhausto uno urceo solere inebriari, si domo exeat in aërem, non vero, si non exeat, potest quidem tantum sine gravi peccato bibere, si habet firmum propositum non exeundi illudque solet servare; secus non potest. 6. Qui experientia scit, si vicies v. gr. adeat certam domum, consortium, vel hoc modo bibat, se solere decies circiter inebriari, peccat, quoties domum adit sine nova cautela, licet forte non inebrietur; quia exponit se formali periculo saltem probabili se inebriandi. 7. Mortale peccatum est se inebriare fumo, tabacco etc., cubando in lupulo, quia sic etiam evertitur ratio et proxima eius potentia. Haec inebriatio specie distinguitur ab ea, quae per potum inducitur, unde in confessione explicanda foret. *Idem dici debet de usu opii vel morphii, atque etiam de eius subcutanea iniectione: quae peccatum mortale evadunt non solum quando extra necessarium usum medicum usque ad rationis privationem adhibentur, sed etiam

[1] 2, 2, q. 150, a. 2 ad 1.

quando iterato usu grave sanitati detrimentum causant, licet numquam usque ad rationis privationem usus producatur. — Immo eo magis horum mediorum usus immoderatus vitari debet, quo maius ille usus appetitum et nisum rei repetendae et augendae acuat atque voluntatem ad resistendum quasi impotem reddat.* 8. Licet ad hilaritatem bibere; non licet tamen se inebriare ad depellendum gravem maerorem, neque ad sopiendum sensum doloris, si v. gr. pes sit abscindendus, quia potus ad ea non est ordinatus et ordo rerum evertitur; aliter fortasse, si sensus sopiri alio modo non possint, id vero necessarium sit ad chirurgicam operationem gravem secure perficiendam. Num scilicet generatim liceat ex praescripto medici se inebriare ad curandum gravem morbum, qui aliter curari non potest, controvertitur. Affirmant permulti probabiliter apud *Lacroix* l. 5, n. 311 dicentes, licet inebriare se voluptatis causa sit intrinsece malum absolute et in omni casu, non tamen ita esse, si fit ad vitam conservandam; nam similiter intrinsece malum quidem per se esse sibi manum vel brachium abscindere, non tamen, si id necessarium sit ad conservandam vitam. Dein talis inebriatio est quasi materialis tantum, quia temperantia permittit hoc sumere, quod ad vitae conservationem est necessarium, ut habet *S. Thomas* 2, 2, q. 141, a. 6. Hinc inferunt multi licere se inebriare, si quis stricto ense mortem alicui intentet, nisi se inebriet; immo cum *Gobat* multi docent licere, si aliter caveri non possit gravis morbus. *At hic confunduntur casus plane diversi, qui omnino distinguendi sunt. Nam quando agitur de curando morbo, v. gr. expellendo veneno mortifero, ad quod necessaria est tanta copia alcoolica haurienda, quae expellat quidem venenum, sed certo etiam aegrotum in profundum soporem ebrietatis inducat: intenditur unus effectus, alter permittitur. Sed quoniam unus effectus, veneni expulsio, aeque immediate ex potu isto sequitur, non est, cur peccati eum accusemus propter effectum ebrietatis non volitum, sed permissum. De quo hodie plerique theologi non amplius

dubitant. Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I[12] 893; *Sabetti*, Compendium theol. mor. n. 149.

*Longe diversus ille casus est, in quo agitur de tyranno minitante mortem, nisi me inebriem. Nam ibi agitur de inebriatione formaliter volita, quae numquam non est peccatum. Ergo potius debeo occidi quam impie iubenti morem gerere. — Verum si ille non formaliter vellet meam inebriationem, sed, ratus me posse maiorem copiam vini ferre, at me velle ipsi illudere et quasi contumelia eum afficere, gravibus minis me cogere vellet ad potum quem haberet innoxium: non negaverim me posse ad gravissima mala evitanda materialem ebrietatem eligere.

*Neque valet comparatio cum pollutione, ex qua aliqui deducere volunt ne ad curandum quidem morbum mortiferum licere copiam vini inebriantem sumere. Pollutio enim propter insitam voluptatem debuit absolute in omni casu prohiberi sub gravi; verum ebrietatem *propter voluptatem insitam* prohiberi *sub gravi* umquam nemo theologus dixerit. Ratio *eius* prohibitionis gravis longe alia est.*

9. Peccat graviter, qui ex amicitia vel urbanitate alium invitat ad haustus, quibus probabiliter praevidet illum se inebriaturum esse, quia invitat ad aliquid intrinsece malum seu ad id, quod alter sine peccato facere non potest, eumque inducit in ebrietatem aut saltem in probabile eius periculum. Idem est de iis, qui alios ad aequales haustus provocant, cogunt, aut se invicem obligant; quia se aut saltem alios coniciunt in periculum probabile ebrietatis, forsitan non statim, at saltem postea secuturae; quod est grave peccatum, etsi ebrietas demum in somno sequatur. Similiter et alii, qui ebriosis vel ebrietati proximis vinum subministrant, vel qui non impediunt, ne alius inebrietur, dum commode possunt. Quod si alter negato vino praevideretur v. gr. blasphematurus esse, permittenda esset ebrietas utpote minus peccatum quam blasphemia. Neque per vim est aliquis impediendus, nisi immineret extremum malum; alias vi impedire publicae

est potestatis. 10. Qui alium suasione ad potationes adducens causat gravia damna praevisa, v. gr. ita ut ille labores suis necessarios negligat aut fiat impar solvendis debitis, tenetur ad compensationem iis, quibus iniuriam fecit. Qui autem suo exemplo ad ebrietatem alium adducit, peccat peccato scandali, nisi alius etiam ultro se inebriaret. 11. Qui stultum vel puerum nondum rationis compotem semel vel bis inebriat, non peccat graviter, quia non tollit rationem[1]; si tamen saepius faceret, ingeneraret malum habitum noceretque eius valetudini, peccaret proinde pro gravitate damni. *Atque imprimis si pueruli lactantes inebrientur aut etiam utcumque potui alcoolico assuefiant, facile peccatur graviter, eo quod nocumentum non leve et valetudini et moribus infertur.* 12. Peccat iudex inebriando reum, ut crimen eliciat, quia inducit ad ebrietatem et formam iuris non servat; unde non potest ex notitia inde hausta procedere. Item, qui inebriat damnatum ad mortem, ut dolorem non sentiat; quia hic non est finis potus nec adest causa sufficiens tollendi rationem, tum maxime necessariam. 13. Qui iniuste detinetur in carcere, licite quidem offert custodibus vinum, quo eos praevidet ebrios fieri, ut ipse fugiat; quia non cooperatur formaliter ad eorum inebriationem nec ad ullum peccatum formale, si ipsi praeter intentionem suam seu inscii inebrientur. Idem est de eo, qui ob rationem gravissimam, v. gr. ad detegendam proditionem urbis, ab altero vult elicere secretum, quod is tenetur revelare. Num autem possit *inducere*

---

[1] Ratio igitur, cur in casu qui hic sumitur peccatum grave negetur, est, quia ne obiectiva quidem malitia, quae alias est in ebrietate, hic reperiatur. Quando vero in actione, ad quam puer subiectivi peccati nondum capax provocetur, malitia obiectiva remanet, provocans hanc ipsam malitiam subiective contrahit atque in materia gravi graviter peccat, praeterquam quod non raro scandalum detur atque puer malis istis rebus assuescat. Ita si provocatio fit ad turpia vel etiam ad blasphema, similia. Lugo, De poenit. d. 16, n. 210 sqq.; Lacroix, Theol. mor. l. 5, n. 48; Lehmkuhl, Theol. mor. I[12] 226.*

ad ebrietatem (non formalem quidem seu voluntariam ipsi, quod numquam licet, sed materialem seu ipsi non praevisam et involuntariam), iterum non convenit inter auctores. Affirmat *Lacroix* l. 5, n. 332 forte ex hac ratione, quod probabiliter liceat inducere ad peccatum minus, non ut peccatum est, sed ut impediens maioris[1]; custodes autem peccant magis, saltem materialiter, iniuste detinendo innocentem, quam se inculpabiliter inebriando; negat tamen licere, si quis iuste detineretur in carcere, eo quod inducerentur ad aliquid de se malum sine causa rationabili. At alii negant id licere in ullo casu, quia esset inducere ad aliquid intrinsece malum, quod, licet, ut *Laymann*[2] dicit, non sit scandalum activum, eo quod nemo in peccatum formale inducitur, attamen non videtur licitum, saltem probabilius.

Remedia contra gulam.

88. Pro remediis accipe haec: 1. Vita, quoad potes, irritamenta gulae, ut sunt ciborum suavitas, varietas, condimenta; si non potes, noli frui, sed uti cibo, usum eius referens ad honestum finem. 2. In mensa tibi semper aliquid subtrahe, praesertim palato gratius, quod adhuc licite posses sumere; sic disces te vincere et gratiam augebis. 3. Semper in potestate plena contine appetitum; hinc, si maior sit propensio,

---

[1] Verum dubitari potest, num *ad ullum peccatum* in hac sumptione habeatur *inductio,* cum inductio, saltem quoad custodem carceris, tendat ad solam privationem usus rationis, in hac autem sola peccatum ebrietatis non sit collocandum. Ceterum de ipsa re S. Alph. habet haec (V 77): «An licitum sit aliquem ad ebrietatem inducere, ut ille impediatur a graviori malo, puta sacrilegio vel homicidio committendo. . . . Prima [sententia] affirmat. . . . Prima sententia satis probabilis videtur mihi et aliis viris doctis a me consultis, sive ebrietas sit materialis sive formalis . . . quia licitum est inducere alterum ad minus malum, ut impediatur a maiore.» Cf. etiam eundem sanctum auctorem IV 282. Inde tamen infer, si maius malum, a quo quis impediatur, ei sit materiale tantum peccatum, non licere inducere ad ebrietatem nisi ad illam, quae ei sit materialis tantum.*

[2] T. 1, l. 3, sect. 4, n. 6.

nonnihil cessa vel sume lentius; senties ex hoc a Deo solatium. 4. Cogita, quam turpe sit voluptati cum bestiis communi servire: hae ne fustibus quidem adigi possunt ad plus sumendum, quam natura postulat. 5. Quot mala ex gulae vitio! Corpori morbos, menti tenebras affert; sancta desideria exstinguit, carnem facit rebellem contra spiritum, luxuriae fomenta subministrando. Quis hostem suum contra se roboret? 6. Cogita, quam vilia sint quae appetuntur, et quo tandem superflua abeant. 7. Propone tibi exemplum Christi et Beatae Virginis et considera, quam modeste, quam moderate, quam vulgari victu contenti et usi fuerint. 8. Praecipue expende tempore, quo famem et sitim non experiris, praeteritam experientiam, commoda et incommoda ex quantitate et qualitate victus; superfluum proinde subtrahe et vita quae expertus es noxia, nec umquam te sinas voluptate a praescripto abduci. Si gula provocet, cogita: Si modo cedo, fiam debilior ad vincendum; si non cedo, gratum Deo offero sacrificium, qui, si tantillum ei negem, merito negabit mihi gratiam ad vincenda graviora. Haec exigua mortificatio nec vitam auferet nec nocebit valetudini. Si contingat te vinci, erubesce, quod tam exiguae voluptati succubueris, et severiore abstinentia vindica. Ad quantitatem victus statuendam expedit etiam sibi plus subtrahere, ut experientia doceat, quae quantitas necessaria, quae superflua sit ad functiones ordinarias. 9. Si honestae vel recreationis vel societatis gratia tibi vis plus indulgere, ut crapulam et excessum vites, primum bibe tarde, ut stomachus non obruatur, sed roboretur ad convertenda dona Dei in bonum; deinde explora quandoque: num iam incalescat nimium sanguis; num caput adhuc serenum, adhuc appetitus subsit rationi; an contra iam invalescat, sisque debilior ad eum continendum. Si hoc, frenum inice. Demum, dum forte exhilarescis, cave ne te effundas, neve appetitus te supplantet. Experientiam consule. Turpe est donis Dei abuti. Proinde «sub te erit appetitus eius, et tu dominaberis illius» (Gen 4, 7).

QUAESTIO VI.

Quid de ira et ex ea consequente maledictione et blasphemia.

89. Resp. I. Ira[1] generice est *appetitus vindictae.* Haec sine peccato et iusta esse potest, ut si parens filii, superior subditi, magister discipuli delictis cum moderamine irascatur eaque arguat vel puniat. Accepta vero specifice est *appetitus inordinatus vindictae.* Hic inordinatus esse potest vel ex parte modi, ut si expetatur vindicta nimis excandescendo; vel ex parte obiecti, si nempe expetatur vel sumatur vindicta sine iusta causa aut sine auctoritate legitima, vel si sumatur iusto gravior vel ex mera libidine vindicandi et satiandi animum malevolum. Prima inordinatio est plerumque tantum veniale peccatum, potest tamen fieri mortale, si ira in furorem vel insaniam excrescere sinatur, ut si quis sciens et volens ita habenas irae laxaret, ut erumperet in enormes gestus, clamores, spumas, membrorum contusiones, vel ut privaretur ratione. Altera inordinatio est ex genere suo peccatum mortale repugnans caritati et quandoque iustitiae: caritati quidem, quatenus vel ex odio vel ex mera libidine vindicandi proximo malum optatur aut infertur; iustitiae autem, si vindicta sumatur sine iusta causa, aut iusto maior.

90. Resp. II. Filiae irae sunt hae: 1ª est *indignatio,* quae est aversio a proximo, eo quod indignans apprehendat se indigne ab eo tractari; quae tamen, si ex iusta causa et cum debito moderamine fit, potest esse sine culpa. 2ª est *tumor mentis,* quae est cogitatio varios vindicandi modos exquirens et iram coquens, qua mens quodammodo intumescit. 3ª est *rancor,* quae est aversio perseverans seu vetus. Ex ira eiusque filiabus sequuntur alia peccata externa, ut *contumelia,* qua quis alterum dehonorat, v. gr. in faciem aliquid cum eius dehonoratione illi obiciendo, aut etiam absentis literas lacerando vel comburendo. Item *calumnia*, qua quis alteri

---

[1] S. Thom. 2, 2, q. 158.*

falsum crimen vel defectum imponit. Item *irrisio, illusio, subsannatio,* de quibus supra n. 76; denique maledictio et blasphemia. *Maledictio* est dira imprecatio, qua quis alteri optat malum sub ratione mali. *Blasphemia* est convicium vel contumelia in Deum, ut si quis Deo tribuat falsa vel neget vera vel tribuat creaturis, quae Deo debentur, vel etiam dicat vera ita, ut ad eius dehonorationem vel vilipensionem tendant, v. gr. per modum ei indignantis, contemnentis vel expostulantis contra eum, vel si usurpet verba, quae hic et nunc continent vel iudicantur continere imminutionem reverentiae erga Deum seu vilipensionem excellentiae divinae, etsi non directe intendat Deum inhonorare.

91. Resp. III. Si quis se accusat *de maledictione* seu dira imprecatione mali vel *blasphemia:* 1. interrogetur, quibus verbis sit usus; rudes enim confundunt blasphemiam cum imprecatione, et hanc cum iuramento; immo si diabolum nominaverint aut alium ignominioso nomine compellaverint, dicunt se maledixisse. 2. Si vere imprecatus fuerit, exponat, quibus, utrum rebus inanimatis vel pecoribus, an hominibus? Quo animo? num voluerit, ut eveniret? in faciem, an coram aliis? utrum multis, an uni? Si ex animo, quae mala? Quamquam hoc ultimum necesse non sit, si in mala tetenderit sub ipsa ratione communi mali, ut saepe fit; nisi tamen illa mala voluisset inferre, si potuisset. Ratio horum est, quia diverso modo peccatur diris imprecationibus, videlicet:

92. 1. Si quis ex ira vel impatientia rei inanimatae imprecatur, v. gr. ligno, lapidi, ad quem offendit, vel labori ex voto non succedenti, per se veniale tantum peccatum est contra mansuetudinem. 2. Qui ex ira vel impatientia optat: Utinam non essem natus, fuissem factus brutum, vel: Maledictus dies, quo natus sum, vel: quo te primum vidi, vel: quo te coniugem accepi: peccat graviter, si *deliberate* intendit optare sibi vel alteri homini malum, essetque blasphemia, si fieret cum relatione vel indignatione ad Deum; si autem tantum intenderet maledicere diei nativitatis vel con-

iugii, qui causa facta sit tot malorum culpae vel poenae, per se videtur tantum peccare venialiter, quia censetur tantum velle significare diem illum valde infelicem; immo posset esse nullum peccatum, si cum moderamine fieret. Sic Iob maledixit diei nativitatis suae. 3. Qui maledicit pecoribus sine animo, ut malum eveniat, per se quoque peccat tantum venialiter; si autem ex animo, ut vel sibi vel alteri grave malum ita eveniat, peccat graviter, nisi impetus plenam advertentiam vel deliberationem praevertat. 4. Homini imprecari grave malum *ex animo,* v. g.: «Diabolus te rapiat», «Fulmen te percutiat», est mortale et saepe non tantum contra caritatem sed etiam contra iustitiam, ut si effundatur maledictio gravis in praesentem cum gravi eius dehonoratione. Malum tamen leve tantum sine gravi dehonoratione imprecari solum veniale est. 5. Sed si quis imprecatur malum sine animo, ut eveniat, v. gr. pater filio, herus ancillae vel famulo, modo absit gravis laesio honoris et grave scandalum, culpam etiam venialem per se id non excedit; immo nec, si extraneo fieret. 6. Qui ex ira devovet se daemoni, etiam sine animo, ut eveniat, non excusatur a mortali, per se loquendo, hoc est spectato obiecto, quia nimia foeditas et perversitas in eo apparet, ita ut natura exhorreat audientis. *Non tamen est ex se blasphemia, ut quidam putabant, neque communiter rudes eam locutionem ita apprehendunt, ut ipsi re vera graviter peccent. Serio tamen monendi sunt, ut consuetudinem istam pravam exstirpandam curent. Cf. *Lehmkuhl,* Casus consc. I, ed. 4, n. 218 236; *Busenbaum* apud *S. Alph.* III 131.* 7. Si filius maledicat parenti vel avo in faciem, peccat graviter etiam contra pietatem, etsi faciat sine animo, ut eveniat. Idem est, si haec fiant in eos, quos quis loco parentum habere debet, vel in superiorem a subdito; item, per se loquendo, si in coniugem a coniuge. Si vero in fratrem vel sororem a fratre, saepe non nisi veniale est contra pietatem, etsi mortale contra caritatem esse possit, nimirum si ex animo fiat. 8. Ex ira nominare diabolum sine

imprecatione, parum decet christianum; ex se tamen non est grave, nisi forte aliquando ratione scandali, si abeat in consuetudinem. *Ceteroquin etiam ratio gravis scandali frustra quaeritur, nisi forte sumas filiolos tali parentum consuetudine provocari ad graves imprecationes.* 9. Imprecantes, etsi *saepe excusentur a gravi culpa* propter inadvertentiam vel defectum seriae voluntatis et verbis imprecatoriis utantur quandoque tantum velut interiectionibus ad significandam iram vel ad terrendos alios, sunt tamen dehortandi ob indecentiam. Immo parentes, qui liberis suis *praesentibus* oretenus gravia mala, etsi sine animo, ut eveniant, saepe et quasi per consuetudinem imprecantur, peccant graviter, si non emendent consuetudinem illam, quia *suo malo exemplo* docent illos sibi invicem et aliis male precari, faciunt contumaces, inoboedientes, tollendo illis aestimationem parentum et reverentiam — quod grave malum est; unde frustra parentes pro excusatione obtendunt liberorum inoboedientiam, cuius ipsi sunt causae. 10. Imprecatio etiam continere potest blasphemiam, ut si quis dicat: «Perdant te sacramenta, sanguis, vulnera, mors Christi», et similia, quae ad animas non perdendas, sed salvandas pertinent. In his enim magna contra Deum deprehenditur irreverentia, etsi sine animo, ut malum eveniat, proferuntur; unde, qui talium verborum consuetudinem habent, tenentur sub mortali peccato conari, ut illam emendent, secus incapaces sunt absolutionis. *Quodsi igitur in emendationem incumbunt, singulis vicibus, quando sine plena advertentia nihilominus in ista verba prorumpant, non peccant graviter. Id iis, qui serio cupiunt emendari, solatii causa tacendum non est. Cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I[12] 516.* — Si quis tamen ex ira, non indignando contra Deum, nude nominet v. gr. «sacra Dei septem sacramenta», «mors Dei», absitque scandalum grave nec importetur ex circumstantiis vilipensio Dei vel divinorum, est usurpatio vana divini nominis et peccatum graviter veniale; at quia non semper abest scandalum et apud audientes censetur Deum et divina

inhonorare, saepe a mortali non excusatur. Unde ordinarie: si loquens *plene advertat* ad vilipensionem, quam verba illa prae se ferunt, peccat graviter; si semiplene tantum advertat, erit veniale defectu libertatis plenae; si nullo modo, nullum erit peccatum, sed motus primo primus. Potest tamen manere obligatio gravis consuetudinem emendandi. Immo, si quis ex ioco proferat verba blasphema, non intendendo directe inhonorationem Dei, si tamen cum ioco illo apud audientes coniuncta sit Dei inhonoratio, est et manet blasphemia. *Tamburini* l. 2, c. 6, § 4, n. 5. Qui tamen, ne blasphemet, dimidiat vel parum immutat verba, v. gr. dicendo pro Sacrament: Salament, Saperment, Potz tausend Salament, vel pro pessima illa blasphemia «mort Dieu» dicit: «mar ius», non blasphemat quidem, quia non significat Deum vel sacra cum vilipensione; potest tamen peccare ratione scandali et impatientiae. *Attamen per se non peccat graviter, cum potius ostendat se a blasphemiis abhorrere. Cf. *Ballerini* ad *Gury* I 300, 4.*

Circa hanc materiam nota interrogandos esse poenitentes, etiam quando merito censentur non habuisse affectum malum, ut quod apprecantur malum eveniret, num frequenter imprecati sint. Ita enim advertitur, num habeant consuetudinem, quam aliqui per plures annos confitentur, non adhibentes conatum, ut emendent, proinde propositum non habent nisi forte languidum et inefficax.

93. Resp. IV. Si poenitens confitetur *verba contumeliosa* vel convicia, exponere imprimis debet personas, quas iis impetivit. Nam: 1. si mulieris, pueri, infimae sortis homines se conviciis impetunt, appellando se sagas, meretrices, adulteras, nebulones etc., communiter non peccant graviter, quia dicentes non ita sentiunt nec intendunt inferre gravem infamiam; audientes autem non credunt similibus verbis, quia advertunt ea ex passione dici. *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 1224. 2. Si parens filio, superior subdito animo corrigendi, humiliandi verbum contumeliosum obicit et modum correctionis non excedit nec subditus gravius dehonoratur, quam per de-

lictum meretur, peccatum non est. Sic Christus discipulos euntes in Emmaus vocavit stultos et Apostolus Galatas insensatos. 3. Si contumelia sit parva tantum vel sine animo dehonorandi nec sequatur laesio magna honoris proximi, est tantum veniale peccatum, et sic excusantur a mortali parentes multi, qui filios vocant asinos etc. 4. Si ioci causa et per convenientem recreationem leves defectus obiciantur, secundum *D. Thom.* 2, 2, q. 72, a. 2, est urbanitas, modo alter ne contristetur neve ad iram moveatur. 5. Si autem graviter proximus dehonoretur, grave peccatum erit. Et sic graviter peccant etiam parentes, qui suos filios passim vocant diabolos, sagas etc., praesertim quia eos exasperant, faciunt rebelles, suo exemplo trahunt ad imitandum — quod grave malum est. Porro, qui per contumeliam alterius honorem laesit, tenetur hunc reparare, etsi fama non sit laesa. Illud autem fieri potest amica salutatione, amicabili conversatione, exhibitione honoris, petitione veniae etc.

Remedia contra iram, maledictiones, blasphemias etc.

94. 1. Propone tibi exemplum Dei. Quot iniuriis in horas singulas lacessitur, et tamen quam benigne, quam clementer tractat, quot beneficiis cumulat etiam inimicos suos peccatores! Adversa, quibus punit, optat a nobis converti in bonum nostrum etc. Si toties feriret, quoties meremur, ubi essemus? 2. Exemplum sume a Christo. Quam ille fuit mansuetus, quam humilis a nativitate usque ad mortem! Quam benigne egit cum rudibus, cum persecutoribus suis, calumniatoribus! «Discite a me, quia mitis sum et humilis corde» (Mt 11, 29). 3. Cogita non posse fieri, ut non occurrant molesta, iniuriosa, ignominiosa etc. Ubi homines, ibi infirmi; ubi infirmi, ibi defectus. Nonne etiam tu tuos habes, quos ferre debent alii? Si infirmo serviens ab eo delirante vel aberrante offendaris, non irasceris, sed compateris. Proximus tuus, liberi tui, contubernales infirmi sunt, caeci, ignari, reflectere ad omnia non possunt. 4. Ira te reddit ineptum ad rite fungendum munere

tuo, ingratum proximo, alios a te avertit, impedit illustrationes Dei in fructum in proximo. Contraria omnia efficit mansuetudo, irarum moderatrix. «Docebit mites vias suas» (Ps 24, 9). «In mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris» (Eccli 3, 19). 5. Dum iram oriri sentis, dic: «Mansuetissime Iesu, amo te!» et iram suaviter supprime, aut si non potes, cede loco vel mentem ad alia converte, discursum alium incipe etc. 6. Esto corde humilis, verbo suavis, operare pacate, sine praecipitantia et pertinacia consequendi quod intendis; hae enim, re non succedente, ad iram movent. 7. Accessurus ad tractandum cum aliis, memento in multis fore, ut tibi contradicatur, cum tuo etiam contemptu, et praepara animum ad patientiam ex amore Christi. 8. Cogita, qualem cupias proximum esse erga te, et talem te illi exhibe; irato responde suaviter. «Responsio mollis frangit iram» (Prv 15, 1). 9. Animo ne umquam coquas iram, ne contra te ipsum quidem ob defectum admissum; quia animo sic comparato facile contra alios impinges. Lapsus dole, defectum compensa, et concepta in Deum fiducia acquiesce. Haec eadem contra imprecationes, blasphemias et convicia valent. Domita enim ira, ista vix consequentur. 10. Maledicis praeterea exponenda turpitudo maledictionis, scandala et damna etiam temporalia inde eventura. «In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis» (Mt 7, 2). Deus non intendit nobis nisi benedictionem, et nos invicem nobis maledicamus? Lingua nobis data est ad Deo benedicendum; quomodo lingua, in qua toties habes diabolum, Deo benedicis? Quomodo eadem audebis Christum suscipere? etc. — His, si consuetudinem habeant, poenitentia saltem per modum consilii iniungenda est, ut usque ad confessionem proximam singulis diebus mane proponant non maledicere illo die, sique maledixerint, percutiant pectus et doleant etc. 11. Blasphemis autem enormitas maxima blasphemiae exponatur, qua velut a vipera invaditur ipse Deus a vili homuncione, sed raro sine vindicta, etiam in hac vita.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Iubeatur blasphemus vitare occasiones, v. g. lusum, et si consuetudinarius est, quotidie vespere examinare conscientiam, mane et saepius per diem invocare auxilium Dei et proponere firmiter non blasphemare, saepius repetere: *Gloria Patri etc.* Si quis autem non ex prava consuetudine, sed ex alia occasione bis terve blasphemavit in mense, iniungatur illi nihilominus gravissima poenitentia; sic enim mandat Concilium Lateranense his verbis: «In foro autem conscientiae nemo blasphemiae reus, absque gravissima poenitentia, severi confessoris arbitrio iniuncta, possit absolvi.» Hoc exponat confessarius poenitenti iniungatque poenitentiam convenientem, quam iudicat et posse poenitentem praestare et re ipsa praestiturum esse. Tales possunt esse frequens confessio, ieiunium certis diebus in pane et aqua, eleemosyna, humilis deosculatio terrae mane et vespere facienda per octiduum, frequens actus fidei et contritionis etc. *Mandatum tamen illud Lateranensis Concilii intellige de blasphemia *deliberata*. Si quis igitur serio studens emendationi, ex inadvertentia aliquoties in verba blasphematoria relabitur, consuli quidem potest etiam *gravis* poenitentia, si homo est cordatus, non animi deiecti, quo ferventius reparet iniurias erga Deum et emendationem suam perficiat, sub gravi gravis poenitentia imponi non iam potest.* Ergo si poenitens ab ultima confessione serio conatus est consuetudinem emendare, excitandus est, ut serio pergat, etsi semel iterumve relapsus sit. Si autem nullum aut exiguum emendandi conatum adhibuit, neque prae se fert magnum animum praescriptis utendi mediis, differenda est illi absolutio.

QUAESTIO VII.

Quid in confessione circa acediam sit advertendum.

95. Resp. I. Acedia[1] late sumpta est quodvis taedium seu animi remissio in exercitio virtutum, ob laborem, molestiam vel difficultatem illis adiunctam, citra contemptum

[1] S. Thom. 2, 2, q. 35.*

tamen virtutis in se, ut si quis tristetur, quod in frigore debeat interesse Sacro, in quadragesima abstinere a carnibus, aliove praecepto mere positivo obligetur, et ideo languide satisfaciat, sive ob difficultatem, quae in eo reperitur, sive ob amorem commodi vel lucri, quod in opposito apprehenditur. Sic sumpta acedia est vitium generale, oppositum omni virtuti, cuius exercitium remisse propter illam peragitur. De se est tantum peccatum veniale; fit tamen mortale, si ex illa omittitur, ad quod est gravis obligatio, v. g. die praecepto Sacrum.

96. Resp. II. Acedia specifice accepta est *tristitia et taedium de amicitia Dei,* apprehensa ut mala, quia per laboriosa virtutum exercitia et voluptatis mundanae fugam quaeri et conservari debet: ut si quis tristetur, quod sub poena damnationis teneatur gloriam Dei per mandatorum observationem procurare velut finem ultimum; vel quod ad Deum velut finem creatus sit, debeat ei per fugam voluptatum adhaerere pro consequenda felicitate. Haec est peccatum ex toto genere suo mortale, utpote directe opposita amori benevolentiae erga Deum.

97. Resp. III. *Filiae acediae* sunt: 1. Odium rerum spiritualium, quo quis vellet ea non esse, quo contemnit Dei beneficium, v. g. vellet se non cognovisse Christum exigentem abnegationem sui ad consequendam felicitatem, se non esse vocatum ad religionem ob difficultates in ea superandas. 2. Pusillanimitas in aggrediendis illis, quae ad Dei obsequium spectant. 3. Desperatio de superandis difficultatibus et de consequenda salute. 4. Rancor seu indignatio adversus eos, qui ad virtutem inducunt et fervorem exigunt. 5. Torpor seu languor animi in implendis praeceptis. 6. Evagatio mentis in oratione aliisque exercitiis spiritualibus: quorum gravitas tum ex obiecto, tum ex affectu quem inducunt consideranda est.

Remedia contra acediam.

98. 1. Considera, quanta fecerit pro gloria Patris et salute animae tuae Christus Salvator et Rex tuus, tui non indigens; et tu haec parvi pendas? 2. Quidquid Deus operatur ad

extra, ad animarum nostrarum salutem operatur: omnia desideria eius, omnis cura providentiae, omnes misericordiae effectus eo tendunt, ut eum amemus et colamus sicque salvi fiamus; an non meretur amorem et obsequium haec paterna cura et affectio? 3. Quam exiguus, quam brevis labor a te exigitur pro immensa et aeterna mercede! Nonne omni confusione dignus es, si ne illum quidem velis pro felicitate tua impendere? 4. Actio minima pro Deo facta millies plus valet quam omnia heroum facinora pro vanitate suscepta; fatigas te pro vanis, quid non convenit facere pro aeternis bonis? 5. Quid sentires de servo tuo, qui pro ampla mercede negligenter serviret? Et tu negligentius servias Deo tanta praeparanti, quam mundani serviant daemoni offerenti mendacia? 6. Tepidus iniuriam facit Deo, diffamat eius servitutem, quasi non mereretur obsequium aut mercedem iustam non praeparasset; dedecori est Christo, cui minus ferventer servit quam mundo. 7. Inter duo extrema es: eris aut in aeternum felix, aut infelix; si tepidus, in summo es damnationis periculo, nam «maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter» (Ir 48, 10). «Quia tepidus es . . ., incipiam te emovere ex ore meo» (Apc 3, 16). Demum revoca in memoriam peccata tua, brevitatem vitae, rigorem iudicii, inferni supplicia, et agnosces necessitatem excutiendi teporis.

CAPUT II.

Quae in confessione puerorum et utriusque sexus adulescentium et iuvenum confessario sint observanda.

99. Masculi dicuntur usque post tertium annum *infantes; pueri* ad annum duodecimum, quo incipit prima lanugo crescere, completum; deinde *adulescentes* ad vigesimum secundum, quousque corpore in longitudinem crescunt; post vigesimum secundum dicuntur *iuvenes* a iuvando, eo quod apti tunc sint ad labores perferendos; post trigesimum dicuntur *viri* a viribus iam robustis; post annum quinquagesimum in-

cipiunt vires deficere, praesertim ab anno sexagesimo. His temporibus sunt *senes,* anno octogesimo *senes decrepiti.* Sic pariter loquendum de feminis, quae usque ad annum duodecimum dicuntur *puellae;* quo anno completo sunt *nubiles;* deinde dicuntur *adulescentes, mulieres* etc. Iurisconsulti *infantes* appellant septimum annum nondum egressos, *pupillos* usque ad annos pubertatis seu donec matrimonio sunt apti, ab anno decimo octavo *adulescentes,* a vigesimo quinto *iuvenes.* His praemissis sit

QUAESTIO I.

Quae circa pueros et puellulas observanda.

Usus rationis eiusque signa. Quando incipiat obligatio legis naturalis, legis positivae, communionis annuae, viatici, extremae unctionis, ecclesiasticae censurae. — Quomodo pueri sint examinandi, admonendi, excitandi ad dolorem, quali poenitentia sacramentali afficiendi.

100. Resp. I. *Circa usum rationis* observa: 1. Ante usum rationis nemo capax est meriti et demeriti seu peccati. Est autem usus rationis, de quo hic saepe dubium est, in actu primo spectatus seu potentialis, capacitas ferendi firmum et constans iudicium de obiecti vel actionis sive omissionis bonitate aut malitia morali. In actu secundo seu actualis usus rationis est cognitio intellectus de bonitate et malitia morali, procedens ab homine in tali conditione constituto, ut firmum possit constansque de illis iudicium ferre; hoc si ferat, erit usus rationis actualis perfectus, secus imperfectus, qualis est in semisopito. Unde ad usum rationis sufficientem ad merendum et demerendum non sufficit quaecumque cognitio intellectus, cum etiam amentes et ebrii intellectu utantur, neque quicumque discursus, quia etiam dormientes quandoque discurrunt, disputant, concludunt, usum tamen rationis non habent requisitum ad bene vel male moraliter agendum, ut fatentur omnes; deest enim firmi iudicii potentia de moralitate. Intellectus enim, ligatis per quietem sensibus et cerebro, non est in statu, in quo possit consultare in utramque partem

et satis insistere obiecto alicui diiudicando; fluctuat nimium sicque deficit facultas eligendi. Resistit quidem non raro homo tentationibus in somno, verum ad id sufficit apprehensio excitata per horrorem peccati in vigilia conceptum; aut si adsit quandoque forte cognitio indifferens de honesto et inhonesto, est illa valde languida nec sufficiens ad agendum deliberate: unde, licet talis resistentia indicium sit animae peccata valde adversantis, tamen meritoria non est. 2. Pueri usum rationis moralem prius adipiscuntur in quibusdam magis aperte honestis vel inhonestis quam in obscurioribus et magis reconditis, uti experientia docet; id quod etiam in aliis quoque locum habet. Immo quidam in una materia delirant ex vehementi imaginatione vel affectu, usum rationis eripiente, et in aliis sunt prudentes. Ratio autem huius est: quia pro diversa affectione et impressione diversae imaginationis diversa oritur alteratio et dispositio principii sensorii seu cerebri, et hinc firmum potest esse iudicium et consultatio in una materia, non vero in altera. 3. Verosimilius pueri quoque potentiam usus rationis obtinere possunt prius ad peccatum veniale quam ad mortale sufficientem; fieri enim potest, ut puer unus, immo etiam adultus, in certa actione apprehendat malitiam gravem, alius vero levem tantum. Eo modo fieri potest, et fit saltem aliquando, ut puer agnoscat in materia per se gravi prius malitiam ut levem quam ut gravem. Sicut enim, qui habet oculos debiles, montem videt quidem, sed illi non apparet tantus, quantus ei, qui habet oculos sanos et acutos: ita propter insufficientem organorum dispositionem puer potest advertere malitiam aliquam in obiecto, quin possit advertere eam esse gravem. 4. Signa usus rationis ad peccandum, saltem venialiter, sunt sequentia: 1) Si peccata sua distincte explicent, quaestiones a confessario propositas bene percipiant, ad illas apte respondeant. 2) Si pudefiant ob mendacium vel actum turpem commissum. 3) Si magni faciant oboedientiam et pietatem, sciantque, quae bonis et quae malis eventura sint. Contra, si nihil sponte dicere possunt, vel si recitant

quaedam tamquam narratiunculas pueriliter aut formulas tantum a parentibus ipsis inculcatas, vel si ad omnes quaestiones affirmative respondent, etsi sint ante propositis contradictoriae, si digitis ludunt in clatris, si saepe respiciunt ad ea, quae extra geruntur, si pileo vel rosario gesticulantur: indicia sunt usus rationis nondum obtenti. Putat quidem *Gobat*[1] in Germania puellas post annum octavum et pueros post nonum cum dimidio demum adipisci ordinarie usum rationis. At rectius *Laymann*[2] ait id non ex sola aetate, sed multo magis ex ingenii et educationis qualitate aliisque indiciis colligendum esse; nam fiunt maturi prius in regionibus calidioribus quam in frigidioribus, etsi non omnes aequaliter, sed pro diversa corporis dispositione, non secus ac fructus in uno loco prius quam in alio maturescunt[3].

101. Resp. II. Quia pueri ordinarie ante annum septimum potentiam utendi ratione non consequuntur, licet, si maturius eam obtineant, *teneantur legibus* naturalibus, utpote quarum obligatio per lumen naturae intimetur, non tamen legibus humanis mere positivis ante completum annum septimum. Nam legislatores humani non censentur velle obligare nisi secundum ea, quae communiter contingunt; communiter autem ante annum septimum usus rationis ad obligationem gravem sufficiens non adest. Ubi autem hanc aetatem usumque rationis et discretionem legi proportionatam adepti sunt, iis (nisi specialiter excipiantur, ut fit in lege ieiunii) obligantur. Ratio est: quia, ubi lex tempus non determinat, statim incipit obligatio in subiecto eius capace, ne elusioni sit locus. Unde in tali casu tenentur abstinere a carnibus diebus vetitis, interesse Sacro diebus festis. Dixi: «et discretionem legi proportionatam». *Anteriore enim tempore in hoc verbo non

---

[1] Alphabetum communicantium cas. 6, n. 125.

[2] L. 5, tract. 4, cap. 4, n. 3; et tract. 6, cap. 5, n. 7.

[3] Nostra aetate etiam in Germania communiter anno septimo usus rationis satis evolutus est; immo non ita raro iam antea adsunt signa rationis probabilia.*

pauci magnam ponebant vim, quo explicare se posse putabant, cur, non obstante lege Lateranensi de annua confessione et S. Communione fidelium, qui annos discretionis assecuti fuerint, pueri, postquam ad aetatem discretionis pervenerint, usque ad annum 10^{m}—12^{m} vel etiam ultra differri possint. Nam dictitabant, pueros, etsi quoad res communes circa 7^{m} vel 8^{m} vitae annum usum rationis consequi solerent, quoad rem adeo sanctam et sublimem, sacramenta SS^{ae} Eucharistiae et Poenitentiae, rem a sensibus alienissimam, postulari debere discretionem rationisque usum longe maiorem, ipsi rei sanctissimae adaptatam et proportionatam. — Verum haec post decretum Pii X per S. Congr. de Sacramentis d. d. 8 Aug. 1910 et can. 854 amplius sustineri nequeunt. Pro ordinaria aetate evolutae rationis statuitur circa 7—8^{us} annus, vel infra vel supra, maxime cum ne ad S. Communionem quidem ratio plene et perfecte evoluta requiratur. Quapropter nunc ubique, nisi pro qua regione specialis dispensatio data fuerit [1],

---

[1] Videtur id difficultate non carere, quomodo loqui potuerim de dispensatione speciali, quae exsistere possit circa tempus primae Communionis, cum simul cum usu rationis incipiat non lex ecclesiastica tantum, sed etiam divina Eucharistiae percipiendae. Sed advertendum est, accuratum obiectum legis aliud est legis divinae, aliud ecclesiasticae legis. Lex divina non determinat tempus, sed illius obiectum est, ut interdum saltem S^{a} Eucharistia post usum rationis percipiatur, eaque lex cum usu rationis incipit, neque ab ea Ecclesia potest dispensare. Quare etiam antea in textu dictum est, eum, qui, usu rationis etiam a brevi omnino tempore praeditus, in mortis periculum inciderit, antequam S^{m} Eucharistiam umquam perceperit, lege divina astringi ad sanctum viaticum, neque Ecclesiae esse, ab ea lege dispensare. Legis ecclesiasticae obiectum est SS^{ae} Eucharistiae extra periculum mortis sumendae determinatio temporis. Cum haec igitur sit legis ecclesiasticae, Ecclesia ab ea potest dispensare, adeoque etiam tempus, quo urgeat grave praeceptum, latius extendere aut arctius contrahere. Hinc etiam facile intelligitur, quomodo tacente Ecclesia, per complura saecula usus invalescere potuerit, anno aetatis circa septimum pueros nondum ad primam Communionem admittendi, utut fatendum erat, legem S^{ae} Eucharistiae sumendae et ecclesiasticam et divinam iam incepisse obligationem. Legis enim inciperc potest obligatio, etsi nondum inceperit *pro nunc.* *

circa annum 7^{um}—8^{um} aetatis puerorum et puellarum parochi officium omnino est, illis necessariam instructionem, postea complendam et perfectius evolvendam, dare, qua ad confessionem et S. Communionem praeparentur. Ceterum confessarius ante tempus a parocho constitutum puerum, quem repererit satis instructum, ad privatam Communionem poterit admittere. — Quam primum autem constat, agi in percipienda S^{a} Eucharistia etiam quoad pueros de lege divina, nulla valebit dispensatio; sed ante commune tempus, immo etiam ante annum aetatis septimum, si in periculum mortis pueri inciderint, sacris sacramentis tum extremae unctionis tum confessionis et S^{ae} Eucharistiae post brevem instructionem et praeparationem summe necessariam donari debent. Nam si usum rationis habent, tenentur aliquando S. Eucharistiam sumere ex lege divina; quare qui antea nondum sumpserant, saltem ante mortem in eius periculo [1]. Insuper qui usum rationis adepti sunt, *possunt* peccare, idque etiam graviter; quodsi si acciderit, confiteri et sacramentaliter absolvi ex lege divina debent: crudelissimum autem esset, eos sacramentis moribundorum et S^{o} Viatico non munitos sinere vita fungi.*

---

[1] Id nunc clare praecipitur can. 854, quo non solum divina sed et ecclesiastica lege statuitur:

«§ 2. *In periculo mortis,* ut S^{a} Eucharistia pueris ministrari possit ac *debeat,* satis est, ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare [etsi forte formalem fidei actum in veritates necessitate medii credendas elicere nondum valeant]. § 3. *Extra mortis periculum* plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scl. [satis exigua], qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu pericipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad SS. Eucharistiam accedant [id quod sane saepe iam ante septimum aetatis annum obtinere potest]. § 4. De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis, qui loco parentum sunt.» § 5. Parocho imponitur obligatio curandi, ut nemo ante adeptum usum rationis, omnes vero postea communicent.

Denique pueri etiam peccati mortalis capaces contra legem ecclesiasticam graviter peccantes non incurrunt censuras ecclesiasticas ante annos pubertatis[1].

102. Resp. III. Permittatur pueris *primum ipsis sua peccata explicare;* in quo si deficiant, praesertim si videntur doli capaces, iuvandi sunt per has similesque quaestiones, prout expedire videbitur: 1. Dominicis et festis diebus devotene interfuerint Missae sacrificio? Num in eo garriverint et per notabile tempus fuerint petulantes in templo? 2. Fuerintne oboedientes parentibus vel praepositis? Num alios ignominioso nomine compellaverint? Num rixati sint? Senioribus illuserint? Num mentiti, num iuraverint per animam? 3. Mane et vespere, ante et post mensam oraverint? Num neglexerint catechismum, in eo attenderint? 4. An non aliquid abstulerint, aliis fuerint invidi, malis faverint? Si puer appareat audacior, interrogari poterit: num indecentes insolentias exercuerit in lecto vel alibi? Si fateatur, interrogari poterit, caute tamen, de verberibus in nudum corpus impactis et de eiusmodi tactibus. Hae insolentiae initium sunt seductionis. *Spectanda tamen omnino est aetas pueri, si quaeritur, quomodo indaganda sint peccata, num quae commissa sint contra pudicitiam et castitatem. Nam quando dubium est, utrum puer quid sit contra castitatem sciat, interrogatio debet esse quasi a longinquo verbis satis indeterminatis, v. gr. num mala cogitaverit, a cogitationibus, si necesse sit, transeundo ad actus; si vere deprehendatur puer turpium rerum plane inscius, detorquendo sensum malarum cogitationum in cogitationes irae vel vindictae puerilis, ne puer innocens curiositate ductus discat peiora. Immo etiamsi fateatur actus turpes, non raro expedit cognoscere, num non fuerint solae res contra decentiam et

[1] Can. 2230. Neque amplius exceptio sustinetur quoad excommunicationem ob clerici percussionem vel clausurae monialium laesionem (cf. can. 2342 sq.). Impuberes vero contrahere valent irregularitates non solum ex defectu sed etiam ex delicto, modo hoc fuerit grave et post baptismum commissum (can. 986).

civilitatem. Quod si cognitum fuerit, dedocendus est puer omnino. Si autem re vera deprehendatur turpia egisse, ab his omnino deducendus est (cf. supra n. 68). Ut deprehendatur, utrum tactus indecentes ex mera levitate an ex luxuria processerint vel cum luxuria facti sint, interrogari potest puer, num voluntarie egerit idque cum *magno* gaudio. Si res dubia manet, potius abstinendum est ab ulteriore indagatione, quam permittendum, ut puer scandalum sumat, seu ut quae ignoravit discat vel curiositate ductus discere studeat.* Si peccatum veniale etiam ex gravioribus afferat, v. gr. furtum, mendacium, expedit interrogare, num hoc frequenter fecerit, ut sic paulatim addiscat numerum in gravioribus esse explicandum. 5. Quando prudens est suspicio eos operatos esse cum conscientia peccati mortalis, ubi per se alias veniale tantum foret, interrogentur, quo dictamine processerint; contingit enim aliquando pueros peccare mortaliter in materia de se levi, quia perperam instructi aut a levibus sub poena inferni sunt deterriti. Contingit etiam, ut in materia gravi tantum peccaverint venialiter, quia malitiam tantum in confuso vel ut levem apprehenderunt. In dubio de hoc possunt interrogari, num putaverint se per id mereri infernum? Hoc si affirment sintque certo perfectae rationis capaces, indicium est eos exercite apprehendisse malitiam gravem. *Quando vero dubium est de perfecto usu rationis perfectave advertentia, indicium illud fallax esse neque semper creare certitudinem colliges ex iis, quae infra habentur n. 105 in fine.* Si cognoscatur puerum materiam gravem non apprehendisse, necesse non est petere numerum. Ceterum caveat confessarius, ne nimius sit in examinando, ne pueri concipiant horrorem confessionis. Si puer videatur pudibundus et suspicio aliqua sit reticentiae, doceatur peccata non esse reticenda ex pudore, ea esse nota Deo et angelo custodi; confessarium non posse de ulla re loqui, quam in confessione audierit; confessionem, si grave peccatum taceatur, obfuturam graviter animae, et tamen peccatum postea confitendum esse.

103. Resp. IV. Sicut pueri, si laudabiliter in aliquibus se habuerint, laudandi sunt et animandi, ut pergant se bene habere; ita, ubi errasse constat, *deterrendi sunt suaviter a peccatis*. Rationes proponantur hae: quod peccata animam foedam reddant instar diaboli, gratia vero et virtus angelo similem; quod Deus sit ubique praesens et omnia clarissime videat, velit bonos praemio aeterno coronare, malos vero suppliciis puniturus sit sempiternis; Deumque mandare, ut peccata fugiamus, ut parentibus praestetur oboedientia, fugiantur mali socii etc. Proderit quoque contra peccatum, quod confessi sunt, adducere exemplum breve et hortari, ut pro emendandis peccatis et bona vita instituenda quotidie modica saltem prece venerentur Beatam Virginem et angelum suum custodem, exponendo paucis illorum in nos amorem et studium. Haec adhibeat confessarius, prout prudentia in Christo ipsi dictabit, certus, praestari a se Deo obsequium gratissimum; quod enim teneris puerorum animis inseritur, haeret et suo tempore fructum feret. Et quamquam, si qui forte rationis certo nondum capaces deprehendantur, hi absolvi non possunt neque fructum sacramenti percipere: utiliter tamen ab anno saltem septimo omnes audiuntur, quia sic discunt verecundiam errata confitendi vincere modumque confitendi tenere; intelligunt, quomodo Missa sit audienda, quomodo preces persolvendae, mali socii vitandi, parentes honorandi sint etc.

104. Resp. V. Si puer, peracta confessione, videatur *compos rationis*, aut de illo *dubium* sit: 1. Iubeatur elicere actus fidei, spei, caritatis et doloris. Si sciat, interroget confessarius, num etiam elicuerit dolorem, antequam adierit confessionale. Id quod etiam in rudibus, ut antea iam notatum, est observandum, quia ante quandoque obliviscuntur et in confessionali recitant formulas sibi inculcatas instar psittaci sine vero actu interno: qui, quomodo eliciendus sit, docendi sunt, si videantur ignorare. — 2. Si nesciant elicere actum fidei, praeeat confessarius hoc vel simili modo: Fili! quid credis? Omnia,

quae Deus revelavit et Ecclesia catholica credenda proponit. Cur ista credis? Quia Deus revelavit, qui est aeterna sapientia et veritas, ideoque nec fallere nec falli potest. Numquid credis Deum esse unum tantum, et tres divinas personas? Credo. Quae ex illis personis facta est homo, ut nos redimeret? Secunda. Quomodo vocatur Salvator noster? Iesus Christus. Quid egit, ut nos redimeret? Mortem crucis pro nobis libenter sustinuit, sed a mortuis resurrexit et ascendit in coelum. Numquid ergo meretur a nobis amari? Meretur amari super omnia. Possumusne salvari sine gratia per Christum nobis danda? Non possumus. Numquid haec omnia credis, quia Deus dixit? Credo. Quis te creavit, conservat et dat omnia? Deus. Cur? Ut illi serviam et tandem salvus fiam. Quid Deus promisit et paratus est dare illis, qui ipsi serviunt? Coelum. Numquid speras te venturum in coelum? Spero. Cur? Quia promisit Deus sibi servientibus; Deus est omnipotens et fidelis, potest dare, et non potest negare, quod promisit. Potestne aliquid melius esse vel cogitari quam Deus? Non potest; ille est summum et omne bonum et ideo omni amore dignissimus. Quid faciet Deus illis, qui ipsum non amant, sed peccatis offendunt et inhonorant? Qui peccatum grave faciunt nec poenitentiam agunt, illos puniet infernali igne in aeternum; illos vero, qui peccant venialiter, punit in hac vita et in purgatorii igne ad tempus, si hic non satisfecerint. Vultne etiam Deus nobis peccata remittere? Ita, si poenitentiam agimus, de illis dolemus et ea confitemur. Quis sacramentum confessionis instituit? Christus, ut per eius merita et gratiam nobis peccata remittantur. Numquid speras tibi peccata per Christum remittenda? Spero. Fili, cogita nunc, possesne inferni vel purgatorii ignem sustinere? Possesne per quadrantem digitum tenere in ardente candela vel in ardente rogo iacere? Non possum. Numquid ergo imprudenter fecisti, quod Deum offenderis et merueris in altera vita tam graviter puniri? quod Deum patrem tuum tam benignum, tam amabilem redemptorem tuum, qui sanguine suo te redemit, qui dat tibi

omnia et paratus est tibi coelum et in illo se ipsum omne bonum dare, sic inhonorasti et offendisti, illi tam ingratus fuisti, Deum summum bonum iniuria affecisti? Imprudenter et male feci. Dole igitur, fili, et detestare peccata tua et dic: Utinam numquam Deum offendissem! Doleo ex toto corde, detestor peccata mea; in aeternum non peccabo amplius. Bone Iesu, da mihi ad id efficacem gratiam. — 3. Si puer appareat satis instructus ad fidem et spem supernaturalem eliciendam, excitari potest[1], praemisso paucis actu fidei et spei, hoc modo ad dolorem: Fili, quo deveniunt, qui peccant? Nonne in infernum, qui in gravi peccato moriuntur, et in purgatorium, qui de venialibus non dolent et poenitentiam non agunt? Quid patientur in inferno et in purgatorio? Gravissimas poenas in inferno aeternas, et in purgatorio temporales, saepe durantes per multos annos. Possesne illas sustinere? Non posses per horam dimidiam iacere in ardente rogo vel manum tenere in accensa candela: quid igitur fieret, si deberes totus ardere instar ferri candentis multis annis in purgatorio vel in inferni igne sulphureo in aeternum? Possesne tolerare? Non posses, deberes tamen. Quis tales poenas praeparavit peccatoribus? Deus. Unde hoc scis? Deus, qui nec fallere potest nec falli, id revelavit. Quare Deus praeparavit tantas poenas peccatoribus? Quia summopere peccata odit et peccata sunt tantum malum. Credis et agnoscis ergo te Deum tuis peccatis offendisse, qui sic potest et vult punire? Credo et agnosco. Quid boni fecit nobis Deus? Creavit nos, conservat nos, vult nos habere filios et heredes coeli; misit Filium suum, ut sanguine suo nos redimeret, nos adoptaret in fratres et omnia sua merita nobis offerret. Nonne ergo Deus dignus est, qui a te ametur et non offendatur? Utique dignus est. Ergo ex toto corde dole, quod illum umquam

[1] Ceterum necessarium non est tam prolixam exhortationem tenere, si pueri bona instructione catechetica et in unum collecti immediate ante confessionem ferventi allocutione instructi ad exhomologesim accedunt.

offenderis. Hic confessarius conceptis verbis praeeat puero in affectu doloris et propositi, excitando eum etiam ad perfectam contritionem, ut per hunc conatum saltem imperfectam eo certius assequatur.

105. Resp. VI. Demum iniungenda est *poenitentia huic aetati conveniens,* quae gravis ordinarie esse non debet, sed modica, quam statim post confessionem peragant, ne in oblivionem veniat.

Atque si puer iudicatur rationis compos et dispositus, *absolvendus* est absolute; sub conditione vero, si de horum aliquo dubium manet, praesertim quando est periculum mortis, aut formido prudens, ne forte peccaverit mortaliter: quia tunc consulendum est animae, et circumstantiae illae removent irreverentiam a sacramento sic collato. Immo *Lugo* [1], *Laymann* [2], *Gobat* [3] et alii volunt, si spes sit praesentis dispositionis, ordinarie pueros esse absolvendos. Rationem afferunt, quod quandoque peccent graviter ex conscientia erronea, ubi malitia levis est, et dein non meminerint aut non addant se id apprehendisse ut grave; monent quandoque etiam in materia gravi eos exercite apprehendere malitiam, cuius postea non recordentur, v. gr. exponendo se periculo diebus praeceptis non audiendi Sacrum; in casu utroque, nisi absolvantur, eos manere in morte animae et in periculo aeternae damnationis. Addunt rationem, quod per confessionem acquisierint ius quoddam ad absolutionem, neque fieri irreverentiam sacramento, si detur ob eiusmodi periculum absolutio sub conditione. Atque hoc omnino tenendum, si puer se accuset in materia gravi, v. gr. quod parentibus maledixerit, Sacrum neglexerit, etsi dubium sit de usu rationis. Verum quidem est, si puer se accuset de omissione Sacri die festo, et interrogatus, quid mereantur, qui Sacrum sine

---

[1] De poenitentia disp. 17, n. 22.
[2] Theol. mor. l. 5, tract. 6, cap. 5, n. 7.
[3] Alphab. confessar. n. 450—452.

legitima causa omittant, respondeat: «Merentur infernum», non ilico sequi eum peccasse mortaliter, quia hoc quandoque dicunt, eo quod sic audiverunt, et nihilominus ratione sufficienti ad grave peccatum possunt carere. Attamen, ubi id incertum est, est animae consulendum.

QUAESTIO II.

Quomodo procedendum cum adulescentibus et iuvenibus.

Adulescentium examen conscientiae, consilia et monita, poenitentiae impo nendae; specialia monita circa status vitae electionem.

106. Resp. I. Quoad *examen* eorum: Si in exponendis peccatis suis videantur non satisfecisse, examinari possunt 1. circa peccata, quae pueris sunt magis ordinaria, ut dixi antea. 2. An dederint malis cogitationibus locum? 3. An non locuti sint indecentia, scurrilia, obscoena? 4. An tempus otiose transegerint, pecuniam parentum dilapidaverint, iis aliquid subduxerint, malis sociis se adiunxerint, turpia libenter audierint, ad ea riserint? et quae isti aetati sunt propria. In materia castitatis, ut supra monui, caute sunt interrogandi.

107. Resp. II. Circa *monita* danda: 1. Illis specialiter commendanda est lectio sacra. 2. Horror iniciendus turpiloquii, aspectus morosi alterius sexus, familiaris cum eo conversationis. 3. Inducendi sunt, ut suas tentationes fidenter aperiant, ne mediis destituti succumbant. 4. Ut fugiant malos socios velut daemonis emissarios, nemini sint nimis familiares; sacramenta poenitentiae et Eucharistiae quolibet mense bis aut saltem semel pro diversitate conditionis et occasionis suscipiant; vespere examen conscientiae faciant, Beatae Virgini et angelo suo custodi speciali cultu sint devoti. Haec successive sunt inculcanda. Ceterum plus illis non dicat confessarius, quam velit ab aliis resciri; adulescentes enim, quae audiunt et vident, observant diu, narrant aliis et de his ipsi postea prudentiores iudicant.

*Ex ipsa istius aestatis conditione enascuntur duo genera monitionum, quae confessarius imprimis dare debet: unum propter adulescentiam corporalem, alterum propter spiritualem adulescentiam eiusque nisum. 1. Adulescentia corporalis seu transitus a pueritia ad pubertatem secum fert sensus sexuales atque periculum sexuali voluptati inhaerendi pravosque habitus contrahendi, maxime si adulescens in manus seductoris inciderit ab eoque primo notitiam huius rei hauserit. Quare praestat, ut confessarius, non praematuré quidem, sed neque nimis sero in confessione, pari gressu cum confitentis evolutione, necessarias, easque tantum, notitias det eo serio et severo modo, qui concupiscentiam non moveat neque curiositatem ante tempus excitet. Ceteroquin moneat confessarius poenitentem, ut, si quid occurrat, de cuius liceitate dubitet, se, confessarium, interroget, atque interea ab ea re abstineat. Verum ne id quidem omittat, ut novellos confitentes doceat, hominem in vita saepe secum pugnare debere; Deum velle, ut gravia et adversa in se sumendo et tolerando, commoda et suavia sibi denegando homo sibi regnum coelorum acquirat. Sic praeparatur adulescentis animus, ut tentationes, quas nondum novit, quando irruant, cum Dei gratia, quam implorare debet, vincat. — 2. Adulescentia spiritualis nititur in omnis generis scientiam augendam. Qui nisus maxime nostra aetate omnes cuiusvis conditionis homines occupat. Qui igitur, cum omnes curiosa inquirere et legere inhient, omnes exhortandi sunt, ut *bonos* libros legant, mala scripta quaecumque vitent. Bonos libros atque libellos intelligo primo pios, qui ad devotionem et virtutum exercitia inducant; dein eos, qui honeste recreent, ex quibus ii praeferendi sunt, qui simul et mentem excolant et pietatem foveant, uti nostra aetate sat magnum numerum habemus tum librorum tum libellorum periodicorum, sive hebdomadariorum sive mensilium; porro etiam eos, qui lectorem pro sua conditione et arte instruunt in iis, quae ad ipsius artem vel studia magis excolenda conducunt. — Neque vero sufficit exhortari ad

legenda scripta bona, nisi retineantur iuvenes a legendis male scriptis. Hinc omnino cavendum est, ne legant ephemerides impias, socialisticas, quae fidem catholicam, immo omnem religionem impugnent vel data occasione blasphement eique irrideant; minus etiam scripta maiora seu libros eiusdem generis vel obscoena legant. Quae quidem pro omnibus valent, maxime vero inculcanda sunt iuvenibus studiosis.

*Praeter lectionem monendi et instruendi sunt circa associationem cum aliis, ut caventes a malis bonis se adiungant. Socialis vita iam agi vix potest nisi singuli ad communes fines assequendos in diversas coeant coadunationes; atque etiam christiana vita, ut contra tot infestationes protegatur, catholicorum coniunctiones exigit. Commendandae igitur iuvenibus sunt imprimis ecclesiasticae associationes, ut sodalitas Mariana, pro opificibus adiutoribus associatio Kolpingiana, pro operariis coadunatio operariorum catholicorum similesque associationes. Studiosis iuvenibus, imprimis qui in universitatibus in studia incumbunt, consulendum utique est, ut cum aliis bonis catholicis coeant, non tamen ita, ut laxiorem aliorum vitam imitantes ad potandum et luxum exercendum conveniant, sed ut, honesta quidem recreatione non exclusa, invicem se excitent ad vitae honestatem et studia seria promovenda. Praeterea summi momenti est, ut iuvenes isti habeant pium et doctum sacerdotem, cui fidenter exponere possint non solum animi sui motus et tentationes atque difficultates, quibus impugnentur, sed etiam cui difficultates et obiectiones, quas audierint sive in scholis et lectionibus sive in conversatione contra sanctam nostram fidem et religionem excitatas, ad eas eluendas possint exponere, quo pericula fidei evadant. Nisi enim talis vir praesto sit, religioni sibi ducere debent frequentare scholas, in quibus — ut accidit in quam plurimis — impugnationes sanctae fidei nullas audire vix possibile est. — Summopere commendandam esse omnibus iuvenibus frequentem sacramentorum susceptionem iam dictum est; atque confessio fiat communiter apud eun-

dem confessarium prudentem, quo tutior sit animi directio. — Quod dein notavit auctor: «ne cuipiam sint nimis familiares», innuit pericula sensualis amicitiae, quae facillime ducit ad gravia peccata. Quare si inordinata quaedam inclinatio erga aliquem sodalem oriatur, imprimis omnino cavendum est, ne fiat mutua quaedam manifestatio, affectio ipsa compescenda neque inutili atque insolita conversatione fovenda. Faciliores sed etiam periculosiores sunt eismodi amicitiae particulares in communitatibus, in convictibus, seminariis. Quare non solum singulorum alumnorum confessarii, sed etiam convictuum directores in hanc rem invigilare debent.*

108. Resp. III. Quod ad *poenitentias iniungendas* spectat, utiliores adulescentibus sunt eae, quae iuvant ad bonam consuetudinem inserendam vel malam exstirpandam, v. gr. 1. ut preces vespertinas et matutinas ad tempus bene persolvant; vel 2. ut examen vespere per octiduum faciant; vel 3. ut Missae sacrificio per dies aliquot devote intersint illudque offerant ad certam virtutem consequendam vel vitium exstirpandum etc. 4. Si potui sunt dediti, ut proxima hebdomada vel mense popinam non adeant, cum sociis his vel illis non conversentur, vel ut aliquot diebus in honorem Salvatoris aut Beatissimae Virginis aut angeli custodis alteriusve Sancti extra tempus prandii et cenae nihil comedant vel bibant. 5. Si lusui sunt dediti, similiter abstineant per tempus. 6. Si sunt dediti otio, ut proximis quindecim diebus per horam mane et per horam a prandio studeant; legant librum spiritualem, adeant imaginem Beatissimae Virginis in suo cubili appensam petantque per eius intercessionem gratiam tempus tam pretiosum, ex meritis Christi ad salutem operandam concessum, bene impendendi. 7. Si sunt negligentes in rebus divinis, ut per aliquot hebdomadas numquam absint a catechismo, concione, Sacro etc. Contraria enim contrariis curanda sunt. Et sic procedendum in aliis consuetudinibus, de quibus tamen redibit sermo infra. Porro, quomodo excitandi sint ad dolorem, constat ex dictis, quae pro diversitate per-

sonarum, ubi necesse fuerit, adhibenda sunt. 8. Si parentes offenderint, inducantur, ut petant veniam vel compensent singulari reverentia, id quod valet pro pueris quoque. *Sed in petenda venia cautus sit confessarius, ne facile eam imponat, nisi certa sit obligatio neque aliis modis satisfieri parentibus possit. Alias facile ansam dat, ne omittentes novum peccatum committant.*

109. *Petes:* Quid, si adulescens mentionem faciat *de electione status?* Resp. Attendendum, num deliberationi illi sit satis maturus. Si ita videatur, ostendat confessarius, quanti sit momenti hoc negotium, exponatque illi modum electionis faciendae. Ac primo quidem, ut meminerit se creatum esse non ad alium finem, nisi ut in hac vita mortali Deo serviat et tandem salvus fiat Deumque in aeternum laudet, glorificet eoque fruatur. Ad hunc finem quae non referantur, perdita esse; hunc nisi assequatur, ipsum in aeternum fore miserum. 2. Ut offerat se Deo Domino suo plane indifferentem ad omnia, paratumque ad amplectendum statum, quem cognoverit magis conformem divinae eius, qui ipsum salvare cupiat, voluntati. 3. Ut eliciat frequenter desiderium sanctam eius voluntatem agnoscendi, dicendo, maxime in Sacro sub elevatione et post communionem cum apostolo: «Domine, quid me vis facere?» (Act 9, 6) vel cum Samuele: «Loquere, Domine, quia audit servus tuus» (1 Rg 3, 10). 4. Expendat ex una parte talenta sua, complexionem, vires corporis, animi propensiones, facultates et media; ex altera vero parte statuum, inter quos adhuc deliberandum (nam si iam determinaverit non permanere in sacculari statu, hic in considerationem non veniet), commoda et incommoda, difficultates, pericula, occasiones Deo serviendi et ad perfectionem perveniendi etc. Ea inter se conferat et videat, quid consideratis omnibus videatur magis conferre ad suam salutem et gloriam Dei, quam in omnibus sine respectu ad commoditates corporis intueri debet. Deinde pergat constanter petere lumen, curaque singulari caveat sibi ab omni peccato, etiam deliberato ve-

niali, ne lumini impedimentum obiciat. Quodsi nesciat ista ut oportet expendere, iuvet eum confessarius; ad nullum autem statum prae alio eum inclinet, sed permittat Deum agere in creaturam suam. Electione facta, iubeatur petere constantiam etc. Quodsi confessarius compererit eum iam matura deliberatione determinatum ad certum statum, suggerat ei salutares doctrinas pro statu illo. Si autem reperiat, male institutam esse deliberationem, v. gr. factam esse determinationem ex mundano vel humano motivo, iubeat eum aliter deliberare, secluso illo motivo, pure intuendo gloriam Dei et animae suae salutem. Ceterum caveat confessarius, ne facile permittat alicui, nisi forte ad tempus et maturioribus periculoque votum violandi minus obnoxiis, emittere votum castitatis; secus enim factum facile dolebunt idque aut violabunt, aut non servabunt nisi cum maerore et anxietate[1].

QUAESTIO III.

Ad quae sit attendendum in confessione sexus feminei.

Confessarii ratio agendi cum feminis; quomodo sint examinandae et instruendae circa ornatum, circa munuscula accipienda, vitanda scandala, circa choreas; sponsorum instructio.

110. Resp. I. Confessarius sexus feminei, si umquam alias, servet hic illud Eccli 41, 15: «*Curam habe de bono nomine*», ut non tantum sit castus, sed etiam curet haberi talis, procul omni suspicione conscientiae minus purae, exemplo Christi, qui contra castitatem numquam passus est sibi quidquam obici; neque enim quidquam plus imminuit viri ad curandas animas destinati auctoritatem quam suspicio animi minus casti. «Quid tibi revera cum feminis, qui ad altare cum Domino fabularis?» inquit *S. Hieronymus*[2]. Pro-

[1] Hoc imprimis nota quoad puellas, quippe quae magis pronae esse soleant ad emittenda vota.*

[2] Ep. 42 ad Oceanum n. 2 (ML XXX 288).

inde servet, quod sapienter commendat *P. Arsdekin*[1]: Cum feminis agendum raro, caute, prudenter. Hinc caveat confessarius a fixo aspectu, a blandis verbis, quae affectum carnalem redoleant aut possint suscitare. «In audiendis confessionibus, praesertim feminarum», inquit *S. Ignatius* (reg. 16 sacerd. S. J.), «severos potius se quam familiares exhibeant, universim tamen paterna quaedam et spiritualis gravitas in eis eluceat.» Deinde non facile credat earum lacrimis et querelis, sed potius hortetur ad patientiam; neque fidat earum revelationibus, sed iubeat servare mandata Dei. Etiam extra confessionale circumspecte cum illis agat; solus cum sola secreto et absque arbitrio vel teste ne sedeat; nullius vel manum tangat nec suam ab ulla tangi permittat. Oculos humi defixos habeat, cumque pauca, quae animas perstringere et illustrare queant, locutus fuerit, statim avolet.

III. Resp. II. *Examen* iuniorum ex sexu femineo fere circa eadem peccata esse potest, quae pro examine puerorum et adulescentium rettuli. Habent tamen etiam peccata sibi propria, praesertim si sint aut putent se esse conditionis melioris; nam quaedam magnam anni partem comendo corpus et fucando faciem litant superbiae et vanitati; stant ad ostia et templa frequentant, ut videant et videantur; laudari et honorari appetunt; aliis laudem et honorem invident iisque detrahunt; sectantur luxum in vestibus, pectus gestant nudum, ut honesti oculi vix satis custodiri possint ab intuitu illius vitulinae pellis; amant visitationes, tempus ludendo et confabulando cum detrimento alienae famae perdunt, mane in plenam diem stertunt, divina negligunt, aut tandem ultimo Sacro interesse volunt. Idolum earum est commoditas et mundus muliebris.

Atque eiusmodi peccatis obnoxiae etiam quandoque sunt coniugatae, invigilantes magis vanitati quam rei domesticae et proli educandae. Talem quampiam si confitentem habeat confessarius, seposito omni respectu humano exponat illi ob-

[1] Theol. tripartita t. 3, p. 5, c. 2, § 3.

ligationes suas atque pericula et media emendationis praescribat. Iuverit ei proponere exemplum Beatissimae Virginis, quae quam corde humilis fuerit, quam verbis gravis et parca, quam modesta facie corporisque totius compositione, quam intenta operi, quam Deo coniuncta; honeste quidem vestita, mentis autem sectans pulchritudinem, quam in virtutibus, quibus homo creatori suo assimilatur, sitam esse noverat. Demum iniungat poenitentiam, ut antea dictum est, excessibus illis oppositam; quam si nolit admittere, quando sine incommodo potest, non est disposita ad absolutionem.

112. Resp. III. *Si quae interroget*: 1. qualem sibi liceat ornatum corporis adhibere; 2. liceatne se conspiciendam praebere ei, a quo novit se turpiter amari; 3. num liceat sibi ab eo admittere munera; 4. possitne permittere osculum, si ipsa nihil mali intendat; 5. num sine peccato possit adire choreas — respondendum:

Ad 1. Licitum esse ornatum corporis statui et personae convenientem; fieri autem venialiter malum, si fiat ad captandam vanam gloriam vel ex intentione mentiendi pulchritudinem; posse quoque evadere mortale peccatum, atque ita esse, si fiat cum gravi detrimento familiae vel alterius, aut si sit valde ad luxuriam provocans, ut si incedat pectore valde denudato vel leviter tantum tecto, aut si aliud grave malum intendatur.

Ad 2. Si animo non malo procedat, sitque vel necessitas vel rationabilis causa, posse eam licite facere, quod aliis honestis permissum est. Non enim dat, sed alter accipit scandalum, quod is sibi imputare debet; nec ideo ipsa privanda est iure suo. Iuxta *Sanchez*[1] non peccaret graviter, si conspiciendam se praeberet, v. gr. ne privaret se, saltem diutius, libertate exeundi domo etc.; secus esset, si data opera sine ulla causa id faceret[2].

[1] Decal. l. 1, cap. 6, n. 16 sq.

[2] Ita si agitur de scandalo viri certi seu determinati; nam scandalum indeterminatum, quod sumi possit, facilius etiam negligitur. Cf. S. Alph. II 53. *

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Ad 3. Vix excusabitur a mortali, quia acceptando munera fovet alterius impurum amorem spemque illi facit obtinendi consensum ad turpia et se exponit periculo concipiendi malum amorem.

Ad 4. Peccat graviter admittendo a tali osculum, quia cooperatur eius peccato. Et universim, nisi et adsit causa rationabilis honesti amoris et absit periculum ab utroque (quod raro abest, si actus reiterentur vel fiant cum mora aut ardore), illicite fiunt oscula cum altero sexu, ut constat ex dictis; peccat etiam permittens graviter, nisi gravis causa excuset, si merito timetur, ne alter voluptatis causa id faciat, quia cooperatur eius peccato. Et idem est de tactu turpi; qui si ex obiecto turpis est, sine peccato mortali non potest permitti, secundum ea, quae habes supra n. 71.

Ad 5. Censet *Lacroix* l. 5, n. 272 choreas, praesertim nocturnas, quas puellae cum adulescentibus concurrentes agant, esse occasionem proximam peccandi graviter: eo quod interveniant oscula, amplexus, gesticulationes turpes, petulantes tactus, sermones impudici etc., a quibus moraliter vix abesse possunt pravi motus, imaginationes, delectationes, desideria venerea. Hinc[1] *S. Ephraem* choreas vocat «pompam diaboli», *S. Antoninus*[2] «iter diaboli», *S. Chrysostomus* «tripudia, quibus saltat diabolus». Alii mitius loquuntur de choreis diurnis, quae in loco publico fiunt. Caveat autem confessarius, ne nimium indulgeat, ob gravia mala, quae saepe aut comitantur aut sequuntur choreas. Sed nec nimium interrogantis conscientiam restringat, ne, si tamen forsan aditura sit, gravius peccet. Expedit interrogare, quales soleant isthic saltus institui; utrum in iis interveniant gestus inverecundi, exigantur oscula, an sit simplex circumcursitatio sine eiusmodi actibus. Item, quare velit choreas adire. An non ipsi vel alteri, uni vel pluribus in particulari timendum sit scandalum.

---

[1] Apud Lacroix l. c. [2] P. 2, tit. 6, c. 6, § 2.

Ex his colliget confessarius, quid hic et nunc respondendum et quid dissuadendum vel monendum sit. *Sporer* (tract. 5 in praeceptum 5, c. 1) putat puellam non teneri abstinere ab honesto saltu, etsi timeat, ne indeterminatus quispiam sit accepturus scandalum, quia timor ille est communis rebus innumeris, et vix est quo abuti non possit hominum malitia. Aliud esset, si timeretur ruina alicuius in particulari nec rationabilis causa esset illam permittendi.

113. Resp. IV. Si puella, *contractis iam sponsalibus*, initura matrimonium *cupiat instrui*, monenda est: 1. Sponsis veneream voluptatem non licere magis ante matrimonium quam aliis liberis non sponsis; proinde cavenda omnia, quae ingenuam et verecundam puellam dedeceant. 2. Caveat nimiam familiaritatem cum sponso, praesertim clam aliis. 3. Matrimonium institutum esse non habendae voluptatis causa, sed ut augeatur numerus fidelium, ad quos habendos Deus hunc mundum condidit. Proinde quae in matrimonio agere liceat, fieri debere honesto fine, verecunde, ut creaturam rationalem decet, Deo a mente numquam excluso. 4. Post sponsalia matrimonium non diu differendum esse ne tentationibus exponantur. 5. Curandum, ut matrimonium ambo in statu gratiae ineant, pacifice dein vivant, pars una alterius onera portet, memores homines se esse, defectibus obnoxios. 6. Uxor viro in licitis et honestis oboediat, quia vir teste Apostolo «caput est mulieris» (Eph. 5, 23); illi irato cedat, verbis suavibus errantem moneat, Deum pro illo oret; rem domesticam bene administret, reverentiae erga parentes ne obliviscatur; liberos, si Deus dederit, bene educet, redditura de iis Deo rationem; omnibus suis sit bono exemplo. — Atque pleraque haec etiam conveniunt sponso, qui uxorem tractare debet non ut famulam, sed ut sociam et consortem: quae nisi serventur, avertent a se Dei benedictionem. Demum suaderi potest, ut certum e coelitibus domus suae patronum eligant, quam quotidiano licet exiguo cultu et in die illi sacro susceptione sacramenti poenitentiae et Eucharistiae colant;

cultus enim quotidianus, etsi tenuis, teste experientia magnae est utilitatis.

Ceterum pro re nata in examine sponsorum a parocho plenior quaedam instructio danda est[1] tum circa finem matrimonii, tum circa prolem quam Deus daturus sit conservandam, baptizandam, educandam.

CAPUT III.

De confessario rusticorum aliorumque plebeiorum et rudium.

QUAESTIO I.

Quomodo sint examinandi.

114. Resp. Si exposuerint, quae in conscientiae examine occurrerunt, videaturque examen, ut ab eiusmodi saepe fit, non satis accurate institutum, examinentur percurrendo praecepta Dei et Ecclesiae, eorumque occupationes et occasiones, ut magis videbitur convenire, v. gr.: 1. De peccatis internis seu cordis. Num turpibus cogitationibus dederint locum? Num odium contra aliquem foverint, alicui inviderint, malum optaverint, de eo eveniente gavisi sint? 2. De peccatis oris. Num blasphemaverint, iuraverint, maledixerint, detraxerint vel de proximis male locuti sint, defectum obiecerint, rixati sint? Et haec quomodo, quibus etc. secundum dicta n. 91. Si iuraverint: falsone, an vere et cum causa, quomodo? Num intenderint Deum vocare in testem? 3. De peccatis operis et omissionis: v. gr. die festo num laboraverint serviliter, Missam neglexerint, ad eam sero venerint vel exposuerint se periculo sero veniendi; hoc enim faciendo peccant, etsi dein Missae intersint. Num se inebriaverint plene vel semiplene, et quid tunc egerint? Istane futura praeviderint vel timuerint? Nulli damnum causarint, nullum defraudarint, in aliena silva ligna

[1] Quae instructio praecepta est can. 1033; cf. can. 1113.

cum damno exciderint vel subduxerint, pecora in aliena pascua duxerint, nihil turpe egerint? etc. Si quis ad omnia nihil sciat respondere, nisi quod iuraverit vel pecoribus maledixerit: examinetur de scitu necessariis; est enim prudens suspicio crassae ignorantiae.

QUAESTIO II.

Quomodo instruendi rudes et consolandi pauperes.

115. Resp. Moneri possunt: 1. Ut salutem animae suae omnibus temporalibus praeferant, cogitent quandoque brevitatem vitae, nihilque sibi postmodum quidquam profuturum, nisi servisse Deo. — 2. Ut memores exempli Christi Domini, qui in laboribus fuit a iuventute sua, difficultates suas et labores recta intentione perferant et perficiant; cogitent magnam mercedem se manere; Dei voluntatem esse, qui in illo statu ipsos collocavit, ut ita patiantur et agant animosque suos a terrenis abstrahant et salutem aeternam quaerant; sanctitatem consistere in eo, ut quis statui suo convenienter ex voluntate Dei vivat; maiorem esse, non qui ditior aut in maioribus sit deliciis vel honoribus, sed qui melius voluntati et beneplacito Dei se conformet. — 3. Ne nimium differant confessionem sacramve communionem; haec sacramenta digne suscepta semper augere gratiam sanctificantem; quae quo maior sit in aliquo in fine vitae, eo maiorem esse eius in coelo gloriam; huius enim semen et mensuram esse gratiam.

Si quis paupertatem queratur, confessarius soletur eum et excitet ad patientiam et conformitatem voluntatis propriae cum divina, dicendo v. gr.: 1. Non difficile fuit Deo facere te divitem; amat te et voluit esse pauperem, ne per abusum divitiarum esses in aeternum miser. Nescimus, quid magis nobis expediat: «Ipsi cura est de vobis» (1 Petr 5, 7); «iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet» (Ps 54, 23). Pascit volucres coeli, et corvis ad se clamantibus escam dat; nec tibi, qui pluris es, deerit, si ei servias. 2. Considera Salvatorem tuum, qui «propter vos egenus factus est, cum

dives esset», ut ait apostolus (2 Cor 8, 9), Pater noster coelestis illi vult nos conformes fieri in hac mortali vita, ut in aeternum cum illo gaudeamus in coelis. Age gratias, quod te voluerit conformari pauperi Iesu. Multi in coelo non essent, si non fuissent pauperes; multi nunc non arderent in inferno, si divites, si principes, si reges non fuissent. «Dives difficile intrabit in regnum coelorum», uti nos docet Christus (Mt 19, 23). Hinc *vae* dicit divitibus. At oculi eius in pauperem respiciunt: ipsi derelictus est pauper. Paupertas igitur favor est; et hinc tot Sancti, abiectis mundanis omnibus, sponte elegerunt paupertatem, ut Christo se conformarent; cui quo quis est conformior, eo maior est. 3. Vita hic nostra comoedia est, in qua unus sustinet personam regis, alter aulici, alter pauperis mendici. Quo quis melius sustinet personam suam, eo magis laudatur. Tu age personam tuam bene, et magnus eris apud Deum, qui personas distribuit. 4. Considera, quam benigne et clementer hactenus tecum egerit Deus, quam patienter tulerit te ipsi non servientem, quam misericorditer a se fugientem receperit. Num poterit tibi deesse, si ipsi te committas et illi oboedias? «Petite, et accipietis» (Io 16, 24). Dedit tibi Filium suum exemplar, magistrum, redemptorem; omnia quae eius sunt et ipsum voluit esse tuum; quomodo minus negabit, qui, quod plus est, tam paterne et non rogatus dedit! «Numquid oblivisci potest mulier infantem suum? . . . si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui», dicit Deus (Is 49, 15). Haec serviunt etiam ad erigendos alios desolatos. Dives est, qui veras suas divitias numerare et consumere non potest; talis est, qui Deum habet.

QUAESTIO III.

Quomodo rudes specialiter disponendi ad dolorem.

116. Resp. Post peccata ut oportet exposita expedit, ut rudes iubeantur elicere actus fidei, spei, caritatis et doloris cum proposito emendandi; sic enim illos actus discent fre-

quentare. Si deficiant, praeeat confessarius et doceat, neve omittat umquam modo illorum ingenio accommodato eos ad dolorem excitare, nisi appareant satis instructi et ipsi finita peccatorum confessione vel ante elicuerint dolorem cum proposito. Iniciat illis timorem, proponens brevitatem vitae, mortem certam, horam incertam, deinde iudicium et aeternitatem felicem aut infelicem, oblivionem illorum post mortem in animis omnium. Commemoret Dei beneficia amore salutis nostrae nobis collata: desiderium eius summum, ut sibi obsequentes salvemus animas nostras; at etiam decretum aeternum a se proiciendi eos, qui desiderio eius omnes salvare cupientis nolunt obtemperare. Demum proponat summam Dei bonitatem, maiestatem, misericordiam, suavitatem, sapientiam, pulchritudinem, ob quae sit dignissimus omni amore, vel infinito, multo magis exiguo nostro amore, cultu et obsequio; obsequia tamen nostra liberalissimum Deum velle praemiis infinitis coronare, cum ipse velit esse merces nostra magna nimis. His propositis iubeantur ex corde elicere dolorem et propositum. Iuvantur eiusmodi maxime, si illis proponatur apta similitudo, v. gr. ducta a filio in patrem optimum rebelli, a servo contumaci contra dominum, ab ingrato in benefactorem, ab homine valde sollicito, ne amittat hereditatem vel temporalia, vel ab amante suum patrem. Hoc vel simili modo: 1. Si pater aliquis cum summo amore tractaret filium, diu noctuque sollicitus de eius felicitate, eius errata modo dissimularet, modo clementer corrigeret, et nihil exspectaret ex obsequiis filii, nisi ut illi bene esset; filius autem non vereretur patrem offendere, eius honorem et aestimationem imminueret, in conspectu eius eum inhonoraret, donis patris abuteretur in eius contemptum etc.: num talis filius non mereretur expelli e domo paterna? An non, si gutta ingenui sanguinis in ipso esset, merito erubesceret et defleret ingratitudinem suam? Et quid, si post plura delicta in gratiam a patre saepius fuisset receptus et tamen rursum rediret ad priora? Num is auderet iterum in conspectum patris ve-

nire? Nonne erubescere deberet? Num vel oculos attollere in conspectu eius auderet? Ecce! tales non sumus filii. Cogita, quae fecerit tibi Deus; cogita, quoties te in gratiam paterne receperit. Et non doleas, quod iterum offenderis tam benignum patrem? etc. 2. Si esset magnus dominus, a quo haberes omnia, et a quo totus dependeres, qui pro exiguis obsequiis, quae ei debes, vellet te facere heredem ingentium bonorum, intentaret autem et inferre tibi posset maximas poenas, si debita ei obsequia negares; si hunc dominum offendisses inoboedientia tua staresque in conspectu eius iam ad mortem condemnandus: numquid doleres de ingratitudine et offensa? Ita. Nonne talis dominus est Deus, a quo vitam habes et omnia, qui paratus est hereditatem aeternam omnium bonorum suorum tibi dare in coelis et coheredem te facere unigeniti Filii sui? Numquid hoc credis Deo revelanti? An non ergo merito doleas, quod Deum tam bonum, tam benignum, tam liberalem bonorum operum nostrorum remuneratorem, sed etiam iustum malorum vindicem, in se omni amore dignissimum offenderis, a quo coelum speras? Dic ergo corde, quod ego dico verbis: Deus meus et Dominus meus, doleo, quod umquam offenderim te, quem credo in natura unum, in personis trinum, creatorem omnium, remuneratorem bonorum operum, et malorum vindicem iustissimum; qui licet toties a me sis offensus, paratus tamen es mihi ignoscere et gratiam ad salutem necessariam dare. A tua bonitate, per merita Iesu Christi Filii tui pro me incarnati, passi et in cruce mortui, spero peccatorum meorum veniam et aeternam beatitudinem, quia haec poenitentibus et tibi servire volentibus promisisti fidelissimus et omnipotens Deus! Ex amore tui doleo ex toto corde, quod te Dominum et Deum meum umquam offenderim, et diabolo, tuo et meo hosti, serviverim; statuo deinceps tibi soli servire et te numquam amplius offendere. Da ad id uberem gratiam; scis sine ea me nihil posse. 3. Si quis patri tuo detraheret, eum inhonoraret: nonne indignareris? Si quis ad

mortem condemnatus, suo liberatori postea ingratus, cum eius hoste conspiraret: nonne facinus esset morte dignum? Si filius venderet suam hereditatem teruncio; si paterfamilias traderet alteri domum suam pro levi gulae delicio: numquid insaniae non essent arguendi? Ecce haec omnia committit homo, qui Deum graviter offendit. Iudae scelus detestamur, qui Christum vendidit 30 argenteis. Insanum dicimus Esau, qui fratri suo Iacob pro edulio lentis vendidit primogenita. Ecce peius facit, qui gravi peccato Deum offendit. Vendit enim pro nihilo aeternam in coelis paratam sibi hereditatem; abdicat a se Christum, adhaeret eius hosti, ipsum ludibrio exponit, quasi tantus eius in nos amor oboedientiam in re tantilla non mereretur, mereretur audiri diabolus, qui nos odit et quaerit perdere. Certe, si tale re admissa perdere deberes summam gravem pecuniae, non committeres etc.

QUAESTIO IV.

Quid agendum, si homo rudis nullum in particulari peccatum confiteatur.

117. Resp. Si rudis, ut quandoque contingit, de nullo in particulari peccato se accuset, dicens: «Nihil scio, sumus omnes peccatores», examinetur, ut pueri solent et rudes. Si nihil possit elici ab ultima confessione, interrogetur *ex vita praeterita,* v. gr.: Numquamne sit mentitus in vita sua, numquam parentes offenderit, numquam fuerit iratus et impatiens, numquam traduxerit proximum, Sacrum neglexerit aut negligenter audiverit etc. Si nihil fateatur, interrogetur *scienda necessitate medii;* prudens enim est suspicio haec ab eo ignorari. Si nesciat nec possit modo instrui, dimittatur monitus, ne sumat sanctam communionem, ut curet se instruendum et mox redeat; quod si non possit, adeat alium et indicet illi, ut se instruat; interim expendat, quibus offenderit Deum, an non cogitationibus, verbis, operibus, domi, in templo, hac illave occasione.

Si scit scitu necessaria aut instrui in praesenti potest, eliciantur cum illo actus fidei, spei, caritatis, doloris et pro-

positi, uti iam et de pueris dixi, eoque deducatur, ut doleat de omnibus, quibus umquam Deum offenderit, etiam de eo, quod hactenus fuerit tam negligens in negotio animae suae. Si doleat et dispositus appareat diuque non sit confessus, v. gr. per medium annum, nec videatur rediturus, monendus est, ut maiorem suae animae curam gerat, et absolvi potest; certum enim est ad validam absolutionem, quando aliter poenitens se accusare non potest, sufficere, ut signis vel verbis ille se fateatur peccatorem. Extra casum necessitatis vel impotentiae quidem non licet absolvere eum, qui se accusat de venialibus in genere tantum, v. gr. dicendo: «Saepe venialiter peccavi»; nam quantum fieri potest, iudicium debet esse ordinatum, tale autem non est, nisi exprimatur peccatum in specie determinatum. Attamen certum videtur in praesenti casu etiam licite absolvi posse, tum quia est quaedam necessitas et impotentia, tum quia, qui confitetur se peccatorem, implicite aliquam determinatam et certam dat notitiam confessario, scl. quod in vita sit aliquando mentitus, fuerit negligens in divinis, parentes, si cum iis vixerit ratione utens, offenderit, verbo proximum laeserit; quis enim est, qui talia non admiserit? Cf. *Lugo* [1] et alios. Immo, si talis diceret: «Fui iratus, sed fuit causa irae; fui distractus in oratione, sed non potui evitare»; et interrogatus, num excesserit in ira, negligens fuerit in reiciendis distractionibus, et affirmaret, iam haberetur explicite peccatum in specie.

Quodsi quis tam stupidus et hebes reperiretur, ut *ne apprehendere quidem possit necessaria necessitate medii:* conetur confessarius intelligere, utrum hebetudo proveniat ex peccatis quibusdam, quae mentem obcaecent, ut sunt luxuria

[1] *Lugo*, ubi hoc expresse dicat, inveniri non potest; at id sequi videtur ex iis, quae disp. 17, n. 22 docet de absolvendo etiam extra mortis periculum puero, de quo dubitatur, an habeat usum rationis. Consentit Lehmkuhl, Theol. mor. II[9], n. 362.

et ebrietas, an vero ex naturali complexione. Si prius, differatur absolutio et antea abducatur a peccatis, quia frustranea erit instructio durante impetu passionum. Si posterius, sitque poenitens bonae voluntatis et innocentis vitae, inducatur ad eliciendum actus fidei, spei et dilectionis Dei pro eius capacitate, et sic dispositus absolvatur sub conditione permittaturque accedere ad sanctam communionem. Hebetudinem provenire ex naturali complexione indicium est, si ad temporalia quoque hebes sit, si non male vivat bonaeque sit voluntatis; si autem ad temporalia fuerit sollers et industrius, suspicio est hebetudinem provenire a peccatis. Unde discrete erit examinandus de materia luxuriae. Ita *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1809. Deinde, si ita hebes esset, ut nullam cognitionem de mysteriis fidei formare posset, fatuo vel infanti comparandus videretur. Ita *Tanner*[1] et *Gobat*[2]. Denique, si hebetudo fuerit ex senectute senexque antea sciverit necessaria necessitate medii, absolvi poterit et sanctam communionem sumere, etsi non ita clare iam videatur ista credere. Si vero ista hucusque ignoraverit, laborandum est, ut cito addiscat, ne crescente senio decrescat magis capacitas. Videri potest *Lugo,* De poenit. d. 17, n. 8[3]; *Dicast.,* De poenit. d. 9, n. 744; *Burghaber,* Cent. 3, casus 41.

QUAESTIO V.

Quae poenitentia rudibus iniungenda, praesertim assuetis maledicendo vel iurando.

118. Resp. Rusticis et plebeis pro poenitentiis fere preces sunt iniungendae eaeque plerumque tales, quas statim eodem die persolvant aut proximo festo, nisi aliud quid suadeat consuetudo vel negligentia in divinis. Hinc si negligentes sint in suscipiendo sacramento poenitentiae, iniungetur utiliter, ut post mensem vel proximo festo maiore, aut si tunc non

[1] Theol. schol. t. 3, disp. 1, q. 7, n. 49. [2] Alphab. conf. n. 311.
[3] Lugo l. c. agit de eo, qui in genere confessus postea sensibus destituitur,

possint, proxima post illud occasione iterum confiteantur. Si consuetudinem habeant v. gr. maledicendi vel iurandi, per dies 14 vel per mensem mane recitent ter *Pater* et *Ave* in laudem sanctissimae Trinitatis; petant veniam suorum peccatorum, labores suos et difficultates isto die obeundas simplici modo offerant Deo in satisfactionem petantque gratiam emendandi; vespere easdem preces repetant, doleant petantque veniam, dicendo v. gr.: «Deus, propitius esto mihi misero peccatori»; aut iniungatur eis, ut, quoties iterum maledixerint vel iuraverint, pectus percutiant et veniam petant; monendi tamen sunt, si quando obliviscantur, sufficere, ut postea resarciant vel compensent. Si quis multorum gravium peccatorum reus esset nec conveniens alia poenitentia occurreret, iniungi posset, ut per mensem vel usque ad proximam confessionem diebus dominicis et festis Sacrum, quod iam debet audire, devote offerat Deo in satisfactionem suorum peccatorum[1] iisdemque diebus rosarium dicat in Sacro, vel ut libuerit. Utile quoque erit, praesertim si timeretur, ne poenitens in sufficienti dolore et proposito efficaci deficeret, ei iniungere, ut ante communionem eliciat fidem, spem et caritatem cum dolore, vel saltem contritionem cum proposito, hosque actus post communionem renovet et Christo confirmandos offerat; sic enim consuletur reverentiae et fructui sacramenti, quoad fieri poterit. *Videlicet generatim quidem confessarius, ut absolvat, prudenter iudicare debet poenitentem non deficere in vero dolore et proposito ad sacramentum rite recipiendum necessario. Quodsi serium de hac re dubium exsistat, poenitens ad meliorem dolorem eiusque sufficientia signa inducendus, alioquin differendus est. Nihilominus potest accidere, ut, ne poenitens, qui insufficientis dispositionis sibi non sit conscius, ex dilata absolutione in peius ruat, confessarius prudenter iudicet absolutionem potius esse sub conditione dandam quam denegandam vel differendam. Quod

[1] Cf. supra n. 16, 5.*

idem accidere potest, si ex rudi poenitenti meliora dispositionis signa extundere res fuerit desperata. (Cf. supra dicta n. 26.) In eiusmodi casibus abs re non erit ea industria uti, quae notatur hic ab ipso auctore. Quo saepius enim adhibeatur conatus actuum caritatis et contritionis eliciendorum, maxime post sanctam communionem, cum ipse Dominus noster, omnium gratiarum et causa et largitor, realiter praesens exsistat, eo facilius demum actus verae caritatis atque perfectae contritionis elicientur, qui poenitentem istum, si forte iustificatus nondum fuerit, vi sua iustificent seu in statu gratiae sanctificantis constituant.*

Universim utiliter cuique suadetur, ut statuat certum peccatum singulari studio cavere, et hoc propositum Christo post communionem offerat.

*CAPUT ADDITICIUM.

Observanda in confessionibus virorum.

118 a. Antequam ea, quae maritum et patremfamilias spectant, singillatim pertractentur, operae pretium videtur esse pauca praemittere, quae in viris eorumque confessionibus excipiendis universim observanda sint.

I. *Mala et pericula nostri temporis.* 1. Notum est nostris temporibus ex una parte vitam catholicam etiam publicam multis locis novas sumpsisse vires atque causam catholicam ab eximiis catholicis viris ita egregie defendi ut vix umquam alias; ex altera tamen parte etiam notum est magnam virorum partem, imprimis in maioribus urbibus, eosque ex omnibus fere ordinibus, a sacramentis religionisque exercitio abalienatos exsistere. Cuius mali deplorandi complures sunt causae. Nam immerguntur quam plurimi ita in res materiales et temporales, ut animum ad altiora attollere vix possint. Dein mores exsistunt depravati, quos multi emendare nolunt aut se posse desperant; unde fit, ut a sacramentis Ecclesiae se ipsos excludant. Denique fides ipsa languet vel etiam exstinguitur

atque ita ipsa radix omnis vitae christianae morumque integritatis iacet evulsa.

2. Quae si penitius inspiciuntur, fidei iacturam praeparant et faciunt: sciendi curiositas, superbia et omnimodae libertatis atque dissolutionis nisus, qui aegre ferat subiectionem quamlibet eamque erga ipsam divinam auctoritatem, cupido legendi impia et irreligiosa atque usus conversandi familiarius cum incredulis, quos habes innumeros et inter homines cultos atque literatos et inter ipsam plebem et vulgus. Haec fidem concutiunt atque prosternunt, nisi homo cautus et vigil pravos animi motus discat compescere atque externa pericula non necessaria cavere, necessaria tum humili divinae gratiae petitione tum profundiore rerum religiosarum studio atque scientia efficere remota. — Mores christianos corrumpit luxuria, quae late admodum patet, immo, omni pudore deposito, in publicum prodit atque palam vel laudatur vel non iam pro vitio sed pro morbo reputatur; corrumpit abusus matrimonii, quem et medici consulere saepe non erubescunt. — Immo etiam labores immoderati, sive ex necessitate et sustentationis habendae causa, sive ex naturali agilitate mentisque instabilitate, sive etiam ex imprudenti zelo suscepti vigorem supernaturalem paulatim corrodunt, pietatem et curam religiosam exstinguunt neque ad cogitanda coelestia tempus relinquunt. Re ipsa autem nostris temporibus, si umquam alias, periculum est, ne viri, qui et familiae prospicere debent et publicae vitae plus minusve partem habere volunt, laboribus et negotiis obruantur atque divino cultui animaeque saluti diligens studium impendere obliviscantur.

Ex quibus facile cernitur, quid in tractandis viris universim a confessario attendi debeat.

118 b. II. *Remedia.* 1. Quantum fieri potest, facilis et commodus viris reddi debet aditus ad confessionem. Proin, si necessarium fuerit, potius cum dispendio confessionum mulierum viris locus et tempus assignentur, quo ipsi, ipsique soli, admittantur. Nam ex una parte mulieres facilius redibunt;

ex altera parte viros in vita christiana bene instituere et confirmare bonum melius est, quod latius patet et maioris est efficaciae quam solas mulieres ita instituere.

2. In confessionali viri benigne suscipiendi et tractandi sunt. Viri etiam inferioris conditionis aegerrime ferunt asperum quo tractentur modum. Certe confessarius non ita benignitate et lenitate diffluere debet, ut munus suum prodat, ut indispositos absolvat, ut non audeat eos monere de obligatione obsistendi peccatis, exigere occasionum fugam damnive illati reparationem atque serium sese emendandi animum. Verum, utut firmus et inflexibilis manere debet, si munus ita exigit, numquam oblivisci debet paternae caritatis, ut poenitens intelligat confessarium, etiamsi duriora exigat, ex vera caritate agere nihilque magis intendere quam Dei gloriam poenitentisque verum bonum et aeternam salutem. — Ceterum si quando debiliores in spiritu reperiat, qui tamen bona fide se dispositos putant, fieri potest — id quod inferius patebit in tertia parte huius operis —, ut conditionate potius poenitentem absolvat quam dimittat vel differat. Quod nostra aetate, ubi fides adeo languet, facilius evenire potest, quam temporibus, quibus fides viva homines ad reconciliationem cum Deo utcumque demum obtinendam impellebat.

3. Insistendum est, ut viri matrimonio iuncti curam familiae vitaeque domesticae ne negligant, sed hanc obligationem ut primam et praecipuam diligenter servent secundum apostoli monitum: «Si quis autem suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit et est infideli deterior» (1 Tim 5, 8). Vita domestica et cura familiae bene instituta vel restituta, multa mala evanescunt.

4. E contrario autem viri non adeo inter parietes domesticos inclusi esse debent, ut a rebus publicis plane abstineant. Nam nostra aetate vix non ubique officium civibus incumbit partem curae rerum publicarum gerendi. Quare pro conditione sua quisque bonorum catholicorum partem tueri atque promovere studeat oportet, atque hoc modo non solum rerum

civilium sed etiam Ecclesiae bono prospicere potest et debet. Imprimis omnibus incumbit, ut in eligendis viris deputatis vel magistratibus suffragium ferant non pro Ecclesiae adversariis, sed pro iis, qui bonum publicum vere promoveant, impediant mala.

5. Ut fert nostri temporis conditio, cum mali unitis viribus suos fines prosequantur atque contra Ecclesiam moliantur, etiam catholici viri viribus unitis in suos fines prosequendos incumbere debent. Quapropter in diversos coetus coire necesse est, atque singuli adhortandi sunt, ut pro facultate et conditione sua eiusmodi coetus et associationes iuvent iisque se adscribendos curent: quamquam non ita iis rebus debent occupari et distrahi, ut domestica vita et cura propriae familiae patiatur detrimentum.

6. Cum legendi et sciendi cupiditas omnium ordinum homines invaserit, confessarii erit, maxime in confessione virorum et patrumfamilias, attendere, quid legi soleat, quae folia publica quive libri domi habeantur. Plane avertendi sunt idque efficaciter a legendis foliis vel libris pravis, non solum iis, quae per Constitutionem Leonis XIII[1] de editione librorum positiva lege prohibita sunt, sed ab omnibus, quae sive bonos mores corrumpunt sive res fidei catholicamque Ecclesiam etsi indirecte tantum carpunt vel frigido tractandi modo contemnunt. Quando autem eiusmodi res aliquis ex officio suo legere debet, licentiam ecclesiasticam sibi procuret, verum etiam huius licentiae clausulas bene observet, ne negligenti custodia domesticis suis pericula creet. — Cultiores igitur viros confessarius retrahere debet a lectione eorum, quae liberalismi et indifferentismi errores spargunt, plebem imprimis a scriptis socialisticis. — Loco impiorum scriptorum bonorum librorum et foliorum lectio commendanda est, tum ut horum editio promoveatur, tum ut legens instruatur, in catholica religione firmetur atque habeat, unde hauriat responsa, si

[1] Cf. etiam can. 1395—1405.

— ut saepe fit — impossibile erit omnem cum impiis conversationem eorumque contra fidem cavillationes vitare.

Ceterum hortandi sunt omnes, ut quam maxime intimius consortium cum impiis et infidelibus hominibus declinent, neve umquam erubescant se catholicos profiteri et Ecclesiae Romanae addictissimos. (Cf. insuper, quae supra dicta sunt de confessione adulescentium post n. 107.)*

CAPUT IV.

De confessario coniugum, parentum, patrum matrumque familias.

Confessarium oportet scire horum obligationes, bona specialia et communia, tentationes modumque eos dirigendi et tentationes elidendi.

QUAESTIO I.

Quae sint obligationes coniugum.

Coniuges sibi debent mutuum amorem et correctionem; uxor debet marito subiectionem, maritus uxori sustentationem; alter alteri tenetur praestare coniugale debitum, servata castitate coniugali. — Coniugum peccata.

119. Resp. Sunt sequentes. *Prima obligatio:* Debent sibi invicem amorem verae caritatis; unde possunt, et aliquando tenentur, se invicem corrigere. Uxori tamen convenit sola monitio et adhortatio; viro autem monitio, adhortatio et correptio, at ut plurimum levis tantum, quia uxor est socia viri, non serva. Debet autem correptio procedere ex caritate vel amore iustitiae, aut zelo procurandi rectam familiae gubernationem, esseque multo levior, quam culpa mereatur, ne pax inter coniuges et amor pereat[1].

Secunda obligatio: Tenetur uxor marito oboedire in iis, quae spectant ad bonos mores et domus gubernationem, quia

[1] Quae auctor porro dicit de facultate puniendae uxoris eiusque diversis pro diversa conditione modis, expungenda putavi, cum nostrorum temporum moribus minus conveniant, immo etiam ipsis legibus civilibus sint contraria. *

maritus est caput uxoris, cui oboedientiam et reverentiam debet. Unde uxor peccat graviter, si auctoritatem sibi non convenientem arroget, qua viro dominari et insultare attentet, estque incapax absolutionis, nisi serio statuat se emendare. Econtra tenetur maritus uxorem tractare tamquam sociam et consortem eique praestare alimenta et vestitum statui convenientem ceteraque, quae talis conditionis uxoribus secundum loci consuetudinem competunt, quia haec in contractu matrimonii continentur et ideo maritus ab uxore accipit dotem. Quodsi duxerit pauperem, tenetur nihilominus ad ea, quia censetur persona fuisse contentus. Si autem divitem quidem, sed dote non constituta, haec vel ab uxore vel a parentibus eius constituenda est. Si tamen uxor a viro sine iusta causa discederet, hic eam alere non teneretur; qui enim non facit, quod debet, aequum est, ut non recipiat, quod oportet. Similiter non teneretur, si ob inopiam non posset, quo in casu ab uxore divite alendus esset maritus; nec teneretur, si dos promissa non esset soluta, quia maritus de dote conveniens sub conditione dotis se ad alimenta obligavit. Econtra, si uxor discederet a marito ob iustam causam, v. gr. ob saevitiam vel adulterium mariti, hic adhuc teneretur eam alere, quia ex delicto mariti innocens uxor non debet habere detrimentum nec ille commodum. *Haec etiam a iuribus civilibus recentioribus statui solent atque accuratius definiri. Sic ius Germanicum novum ex ipso matrimonii contractu deducit hanc obligationem § 1360: «Maritus uxori sustentationem debet pro *sua* vitae conditione, bonorum possessione et acquirendi facultate. — Marito, qui se sustentare nequeat, sustentationem *ipsius* statui convenientem debet uxor, quantum pro suis bonis et acquirendi facultate id praestare potuerit.»*

Tertia obligatio: Tenentur coniuges cohabitare, quia convenerunt in individuam vitae societatem. Unde si maritus ex quacumque causa non turpi velit alibi figere domicilium, tenetur uxor eum sequi, si sine dedecore status sui et gravi suo incommodo possit; non tenetur, si maritus vagari vellet,

nisi forte vagandi consuetudinem ante habuerit, eaque uxori nota neque ab illa fuerit excepta in contractu; tunc enim censeretur uxor in id consensisse [1].

Quarta obligatio coniugum est: ut sub mortali sibi invicem reddant debitum coniugale, ubi petitur serio neque est legitima causa negandi [2], quia ad hoc se obligarunt, estque materia gravis. Nam vir, dicente apostolo, corporis sui potestatem non habet, sed uxor; et mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir (cf. 1 Cor 7, 4); videlicet in ordine ad generationem, cuius velut unum sunt principium et hinc una caro. Dixi 1: «ubi petitur serio»; quia tunc petens censetur animum obligandi et utendi iure suo habere. Secus esset, si solum rogaretur amice, aut si irrationabiliter peteretur (hoc enim in casu petens non potest velle obligare, cum altera pars non obligarit se ad assentiendum petitioni irrationabili); nec severe obligatur ad reddendum statim, unde per se non peccaret saltem graviter, si ex causa ad breve tempus differret [3]. Dixi 2: «et non est legitima causa negandi»; haec enim si adest, non est obligatio, quia coniuges cum hac conditione se obligarunt vel aliter se obligare non potuerunt.

120. *Unde* 1. Non tenetur uxor viro petenti parere, si sibi vel marito vel proli iam conceptae inde timeat grave damnum [4]. 2. Si vir laboret morbo contagioso, v. gr. peste, morbo gallico vel etiam lepra, nisi tamen haec ante contractum

---

[1] Ius Germanicum dicit § 1354: «Mariti est determinare habitationem et locum habitationis. Uxor tamen sequi non tenetur, si mariti voluntatem abusum iuris esse pateat.» *

[2] Id etiam lege ecclesiastica statuitur can. 1111: «Utrique coniugi ab ipso matrimonii initio [sublata facultate, primo bimestri negandi debitum ad deliberandum de statu religioso amplectendo] aequum ius et officium est, quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae.»

[3] Adde: et si modo abfuerit incontinentiae periculum. *

[4] Pro gravitate damni eiusque certitudine esse potest, ut ne liceat quidem obsecundare, cum nemo dominium habeat vitae suae vel alienae. *

fuerint cognita neque sint nimis gravia[1]. 3. Si uxor laboret febri vel alio morbo, ob quem usus matrimonii noceat graviter. 4. Si non possit prolem parere nisi mortuam[2]. Ordinarie tamen non excusat numerositas prolis, quia ob periculum incontinentiae non poterit negare in perpetuum, proinde frustra negaret ad breve tempus, post quod tamen concipiet[3]. 5. Si petens sit amens aut ebrius, quia non est capax usus dominii, nec petit ut homo[4]. 6. Si auctoritate publica i. e. ecclesiastica fecerunt divortium, aut si mutuo consensu castitatem voverint[5]. 7. Si petens commisit adulterium, quia frangenti fidem fides licite frangitur, nisi tamen altera pars sit causa adulterii aut

[1] Si agitur de morbo contagioso eoque graviter nocivo, attende ad notam praecedentem. Quod ad morbos venereos attinet, nisi *iudicio medicorum contagio sit exclusa,* debitum reddere uxor certo non tenetur, aliquando ne licebit quidem. Si vero in statu tertiario, quem vocant, morbi gallici pro uxore consorte periculum infectionis cessaverit, nihilominus in prolem concipiendam contagio miserrima transire potest: quae quidem consideratio non efficit, ut ad coniugale commercium excludendum uxor nolens *teneatur.* *

[2] In quo casu *licebit* tamen ex gravi causa debitum reddere et petere, quia etiam tali proli melius erit, ex sententia nunc communi, esse quam non esse. *

[3] Licebit autem in hoc casu eligere ex communi consensu eos dies ad opus coniugale, quibus minor spes est concipiendi, abstinendo videlicet per totum iliud spatium, quod continetur aliquot diebus ante fluxum menstruum uxoris usque ad quindecim dies post illum fluxum finitum. Reliquis enim diebus circiter octo vel decem possibilitas quidem concipiendae prolis non est exstincta, multo tamen minor spes est quam diebus modo enumeratis. *

[4] Id verum est de eo, qui in perfecta ebrietate petierit; non ita de eo, qui non fuerit perfecte ebrius. Si igitur in tali statu vir petierit, ex una quidem parte expendenda sunt mala, quae facile sequuntur pro prole concipienda, animi vel sensuum hebetudo, ex altera parte autem mala ex denegato debito coniugali oritura, pacis perturbatio, viri incontinentia, ut videatur, num consultum sit uxorem viro debitum denegare; quod saltem, ut patet, consultum non est, quando ex debito praestito conceptio prolis sequi non possit. *

[5] Adde: *et iuri suo mutuo cedere voluerint.* Alias petens quidem peccat ex sua parte, verum ius erga compartem non amisit: proin compars serio postulanti et post monitionem persistenti debitum non reddens iniuste ageret et peccaret. *

ipsa quoque sit moechata. 8. Si sine iusta causa petatur usus quidem ex se legitimus at innaturali modo vel situ, quia copula *hoc modo* facienda venialiter est illicita; honestari tamen potest ex iusta causa, v. gr. si aliter fieri non posset aut uxori a viro alias immineret grave malum. 9. Si petens ante matrimonium emiserit votum castitatis, quia non tenetur cooperari alterius peccato. Immo sunt, qui tenent id ne posse quidem fieri, quia, licet quis possit ex causa gravi alterius malae actioni cooperari materialiter, quando is, cui cooperatur, hic et nunc potest illam licite ponere, etsi ex sua culpa non ponat licite; non tamen licet, quando eam non potest licite ponere. Alii tamen rectius tenent posse et teneri alteram partem debitum reddere[1], eo quod ius ad copulam per votum non sit sublatum, sed cum voto consistat. Sic si quis vovisset non repetere depositum, retineret ius repetendi, et ego tenerer repetenti reddere, nec ideo cooperarer formaliter eius peccato, quia id in voluntate et petitione iam praecessit, et ponerem actum et de se et mihi licitum; ergo a pari. Teneretur tamen uxor, si commode posset, marito rem dissuadere; vel, maxime si immineat grave incommodum, *petat* ipsa, et iam *licebit* alteri actum coniugalem exercere[2].

Quinta obligatio coniugum: Tenentur coniuges non uti matrimonio nisi fine honesto; qualis est: 1. Ut propagetur genus humanum et augeatur numerus servorum Dei. 2. Ut satisfaciant suae obligationi. 3. Ut vitetur periculum incontinentiae. Quodsi utantur immoderate solius voluptatis causa, peccant venialiter saltem, quia voluptas est subordinata fini matrimonii et medium tantum. Unde inordinatum est in ea sistere; quae tamen inordinatio de se gravis non est, quia usus matrimonii de se est licitus neque eius finis primarius

[1] Quae sententia iam communis est. Vide notam praecedentem et S. Alph. VI 944.*

[2] Quod auctor hic adiecit de iure petendi debitum ob incestum amisso, exstinctum est, quia haec incestus poena in iure novo non amplius sustinetur.

per hoc impeditur nec positive excluditur. Idem valet de aliis actibus coniugibus licitis, ut sunt tactus, oscula, aspectus, si fiant voluptatis solius causa et citra periculum alterius gravis incommodi aut effectus graviter mali. Horum unum si adsit vel eius periculum proximum, peccatur graviter.

121. *Sexta obligatio:* Tenentur coniuges ad fidem et continentiam coniugalem. Unde 1. peccant graviter coniuges, si per tactus etc. exponant se probabili periculo pollutionis, aut si generationem positive impediant, semen extra vas effundendo. Alias autem *S. Thomas* (in 4, dist. 31) nihil eorum, ait, quae facit maritus cum uxore aut haec cum viro, servato vase, secundum se est mortale. 2. Uti matrimonio tempore menstrui, nisi iusta adsit causa, v. gr. periculum incontinentiae, est veniale ex indecentia. Lex antiqua tunc prohibens copulam, nunc cessat. *Peccatum augeri tamen potest ex damno pro uxore forte orituro. Vide *Capellmann-Bergmann,* Pastoralmedizin [17] 280 sqq.* 3. Uti matrimonio, dum uxor est gravida, mortale non est, si absit periculum abortus, sicut plerumque abest; est tamen iuxta aliquos veniale. Sed *Sanchez* [1], *Aversa* [2], alii hoc quoque negant, quia matrimonium etiam est in remedium concupiscentiae, cumque uxores magna parte temporis sint gravidae, nimis periculosum esset obligare sub peccato ad abstinendum tanto tempore. 4. Mutare situm in usu matrimonii, si absit periculum pollutionis, mortale non est, quia non obest generationi, est tamen veniale, quia est innaturale; potest autem etiam ab hoc excusare indispositio corporis ad alium situm etc., quo casu petenti obtemperare debet altera pars. 5. Quando ob circumstantiam intrinsecam, v. gr. morbum, periculum abortus etc., coniugibus copula est illicita, licet illis tactus, aspectus et oscula habere, modo absit periculum pollutionis et ex debito

[1] De matrimonio l. 9, disp. 22, n. 3.

[2] Theol. schol. q. 21, sect. 6, v. Sexto; cf. S. Alphonsum, qui consentit l. 6, n. 924.

fine fiant, quia status matrimonii ea honestat, fitque per accidens, ut hic et nunc non conducant ad copulam. Quod nisi verum esset, coniugibus non liceret oscula et tactus exercere, nisi dum actu vellent habere copulam; at sic matrimonium et societas coniugalis esset illis occasio proxima aeternae damnationis. Iis solum igitur tales actus prohibiti sunt, quibus *per se* copula non permittitur. Illi vero, qui obstrictus est voto castitatis, nihil licet facere, nisi copulam etc., dum alter petit. Nam is obligavit se ad vitandas venereas etiam delectationes; quod autem petenti possit assentiri, ex petentis iure est. 6. Si coniux, habens occasionem copulae, sine animo eam habendi veneree ob voluptatem se tangat, per se loquendo non peccat mortaliter iuxta *Sanchez*[1] et alios, quia, cum adsit potentia proxima copulae, merito censetur, saltem ex natura sua, tactus ille referri ad copulam. Idem tenent de eo, qui absente coniuge id faceret ob eandem rationem. *Vasquez*[2] autem et alii in utroque casu censent peccari mortaliter: in primo quidem eo, quod coniux non habeat ius ad explendam veneream voluptatem nisi communicando cum comparte; in secundo autem insuper, quod non liceat facere coniugibus nisi quod ad copulam refertur (id autem solum ad eam referri, quod ad eam proxime habendam conducat), neque habeat coniux ius ad usum venereum sui corporis nisi in ordine ad actum coniugalem hic et nunc possibilem, ideoque tactum illum hic et nunc non referri nisi ad pollutionem excitarique naturam in praeiudicium matrimonii. Postrema sententia probabilior est videturque vera pro casu secundo. *Pro praxi tamen cave, ne agas severius. Etiam *S. Alph.* (VI 936), loquens de solo casu compartis *absentis,* dicit quidem eandem sententiam, de qua agitur, «probabiliorem et in praxi omnino suadendam». Attamen id ita intellige, ut coniuges a solitariis tactibus ma-

[1] De matrim. l. 9, disp. 44, n. 16.

[2] In Summam S. Thomae 1, 2, q. 74, a. 8; disp. 113, n. 4.

xime sint dehortandi, praecipue comparte absente, idque imprimis ex ea ratione, quod pollutionis periculum facile oriatur; non vero poenitentes docendi sunt tactus illos *etiam secluso pollutionis periculo* esse peccata *mortalia*. Quod cum a magno numero gravissimorum theologorum negetur, confessarius excederet, si hanc opinionem contra probabilem opinionem contrariam poenitenti vellet *imponere*.* 7. Coniux veneree se oblectans per repraesentationem copulae coniugalis, etsi alter coniux sit absens, per se loquendo, non peccat graviter. Ita *S. Thomas*[1], *S. Antoninus*[2], *Caietanus*[3], *Suarez* (De peccatis disp. 5, sect. 7, n. 9), *Vasquez*[4], *Sanchez*[5], alii plurimi teste *Lacroix* (l. 6, p. 3, n. 337). Ratio est, quia delectatio morosa in coniugibus non potest esse gravius peccatum, quam sit actus, de quo est et ad quem refertur; copula autem in coniugibus non est peccatum; neque est mortale peccatum, quando solius voluptatis causa fiat, idque certum est, cum solum probabiliter hoc dici possit de tactu proprii corporis, eo quod coniux non habeat ius utendi proprio corpore ad voluptatem explendam nisi communicando cum coniuge. *Nihilominus in *eiusmodi cogitationibus* cavendum est, ne tam diu vel intense foveantur, ut periculum grave pollutionis inducant. Deliberate enim ita iis inhaerere propter istud periculum peccatum mortale est, nisi periculum illud possint et velint coniuges per coniugalem actum praevenire.* 8. Peccant coniuges per tactus et oscula, si terminos honestatis excedant, quia non nisi intra illos ad ea ipsis concedi potuit licentia. **Mortaliter* tamen peccaminosa non sunt, nisi grave periculum pollutionis inducant. Quae autem ex se non sunt inter coniuges turpia, ne ex pollutione quidem per accidens aliquando secutura sed nulla-

[1] De malo q. 15, a. 2 ad 17.

[2] Summa theol. mor. P. 2, tit. 5, c. 1, § 6; aliter vero P. 3, tit. 1, c. 20. § 6.

[3] Summa, v. Delectatio morosa, § Secund. . . . Tertio, quod vir.

[4] In 1^am^ secundae disp. 113, n. 2 sq. [5] L. 9, disp. 4, n. 3.

tenus intenta neque approbata evadunt graviter illicita, immo ex graviore causa ab omni malitia sunt immunia. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[12], n. 1066 sqq.* — Quando igitur coniux interrogaverit, quae sint licita coniugibus, respondeat confessarius licere coniugibus, quae *conducant* ad prolis susceptionem et matrimonii finem, omnia honeste et secundum ordinem a natura institutum agenda esse; *graviter* illicita esse ea, quae sint *contra* matrimonii finem; nec descendat ad particularia ex se, sed sinat ipsam coniugem exponere, si qua habeat, quae angunt.

*Abs re autem non erit caute inquirere de onanismo, quem sub variis formis diversisque artibus exercendum libelli obscoeni inter vulgus usque ad minimos pagos sparsi nostra aetate coniuges docent, sive ne mater ex uteri gestatione damnum capiat, sive ne numerosior proles parentes gravet. Neque — proh dolor — desunt medici, qui coniugibus hunc matrimonii abusum suadeant. Inquirendum etiam est, qua fide seu conscientia haec agant. Nam si mala vel dubia fide egerint, certissimum est eos dedocendos esse neque absolvendos, nisi serius dolor seriumque propositum appareat in posterum ab abusu abstinendi. Si bona fide egerunt neque nunc dubium de honestate suae actionis conceperunt, aliquando, quamquam raro, satius esse potest rem silentio praeterire; at regulariter ne tum quidem confessario silendum est, cum agatur de re naturali legi prorsus repugnante atque commune bonum generis humani radicitus subvertente, cuius malitia difficulter diu ignoratur. Atque ita etiam iam die 10 Maii 1886 Sacra Poenitentiaria respondit, videlicet ad Dub. I: «Quando adest fundata suspicio, poenitentem, qui de onanismo omnino silet, huic crimini esse addictum, num confessario *liceat* a prudenti et discreta interrogatione abstinere, eo quod praevideat plures a bona fide exturbandos multosque sacramenta deserturos esse; annon potius *teneatur* confessarius prudenter ac discrete interrogare.» Dub. II: «An confessarius, qui sive ex spontanea confessione sive ex

prudenti interrogatione cognoscit poenitentem esse onanistam, teneatur illum de huius peccati gravitate aeque ac de aliorum peccatorum mortalium monere, eumque, ut ait Rituale Romanum, paterna caritate reprehendere, eique absolutionem tunc solum impertiri, cum sufficientibus signis constet eundem dolere de praeterito et habere propositum non amplius onanistice agendi.»

Resp. Ad I: «Regulariter negative ad 1^m^ partem; affirmative ad 2^m^.» Ad II: «Affirmative, iuxta doctrinas probatorum auctorum.»

Neque perinde est, sive uno sive altero modo onanismus fiat. Nam si tota culpa est ex parte viri, qui se retrahat, ex parte mulieris nihil fiat neque illa ullo modo virum ad id inducat, sed potius abusum istum sibi omnino displicere ostendat: uxori licebit coniugale debitum reddere, quod non ad abusum postulatur, sed in quo abusum fieri praevidetur, immo etiam petere licebit ex graviore aliqua causa. Verum si ipsa mulier obstaculum ponat, quominus copula perfecta ad concipiendam prolem apta fieri possit, v. gr. interposito instrumento vel spongia, aut etiam si vir instrumento utatur, copula onanistica in se illicita atque utrique coniugi mortaliter peccaminosa est.

QUAESTIO II.

Quae sint bona coniugibus communia et quae cuique ex illis propria.

Bona dotalia, praeterdotalia, communia; vel: communia, propria reservata aut non reservata. — Quae incumbant marito circa bona; quae uxori agere liceat; ad quid teneatur uxor circa debita a viro contracta.

122. Resp. Bonorum coniugum sunt quattuor genera; nempe dotalia, contradotalia, paraphernalia seu praeterdotalia et communia. 1. Dotalia seu dos sunt illa, quae viro ab uxore vel ab alio eius nomine traduntur, ut ex eorum fructibus vel proventu onera matrimonii sustineat. Horum dominium, si aestimata non sunt in venditionem nec consisunt

in pondere, numero et mensura, pertinet ad uxorem; unde huic durante matrimonio etiam competit eorum vindicatio et augmentum, at etiam eorum decrementum sine culpa mariti oriturum; nec potest ea, si sint immobilia, alienare maritus aut hypothecae subicere, nisi uxoris consensus sine fraude et metu accedat iuramento confirmatus. Administratio autem dotis est penes maritum, ad quem etiam spectat fructus cuiuscumque dotis, si onera matrimonii sustineat, salva tamen semper dotis substantia: idque verum est, etsi fructus essent maiores oneribus; si vero dos aestimata in venditionem est, eius dominium est penes maritum, perinde ac si maritus eam emisset: unde ad eum quoque spectat periculum et incommodum eius; aestimatio tamen seu valor eius aestimatus pertinet ad uxorem; qui si soluto per mortem mariti matrimonio obtineri non posset, dos rediret ad uxorem, ac si numquam esset vendita, exclusis quibuscumque creditoribus. Similiter si dos consistit in pondere, numero et mensura, etsi aestimata non sit in venditionem, eius dominium cum suo periculo pertinet ad maritum; qui potest illam ad arbitrium suum distrahere, sed sine damno uxoris. Soluto autem matrimonio tantundem eiusdem bonitatis et speciei redit ad uxorem vel eius heredes, quantum traditum erat, nisi antea conventum fuerit, ut eius pretium numeraretur; hoc autem taxandum est secundum pretium, quod res habent tempore restitutionis faciendae vel dissoluti matrimonii, nisi aliter conventum sit. Porro dos aestimatur in venditionem, si valor eius taxetur et maritus se obliget ad servandum uxori eius pretium, sive a se sive a suis heredibus, si ante uxorem e vivis excedat, illi solvendum; ita enim censetur maritus dotem emere et uxor vendere.

123. 2. Contradotalia, quae etiam donatio propter nuptias dicuntur, sunt, quae maritus vel alter eius nomine assignat uxori ad assecurandam eius dotem. Haec debent esse aequalia doti; quamquam artifices aliud vix assignent nisi suam artem, alii quidam solam suam scientiam. Horum dominium, usus,

administratio et fructus est penes maritum, salva tamen eorum substantia, ut dos uxoris maneat assecurata.

124. 3. Bona praeterdotalia sunt, quae uxor praeter dotem affert, vel quae ei obveniunt v. gr. ex hereditate vel donatione. Haec pleno iure pertinent ad uxorem, nisi ita tradantur, ut instar dotis mariti fiant; in hoc enim casu sequuntur naturam dotis, praeterquam quod maritus non lucratur eorum fructus, licet possit eos expendere in utriusque simul utilitatem. Capitalia tamen quae refunduntur, aut fundi qui retrahuntur, debent in aequivalenti servari uxori, nec possunt a marito in suam et uxoris simul utilitatem expendi, nisi hac consentiente, sed ad eas tantum causas, ad quas ipsa voluerit. Porro, etsi praeterdotalia non afferantur instar dotis, administrationem tamen eorum habet maritus, sed ad nutum uxoris revocabilem.

125. 4. Bona communia sunt, quae coniuges, stante matrimonio, communi labore, industria, v. gr. mercatura etc., acquirunt; item census ex utriusque capitali, fructus ex officio utriusque vel unius, modo uterque ut oportet fungatur officio suo, empta ex iis, quae ita acquisierunt etc. Haec pertinent tam quoad proprietatem quam quoad utilitatem ad utrumque coniugem, administratio vero illorum ad solum maritum. Aequum enim est, ut, quod communi labore acquiritur, commune fiat; et quia vir praesumitur capacior administrationis, haec ad ipsum pertinet. Hinc, soluto matrimonio, pars superstes potest disponere de media parte acquisitorum. Excipe, nisi vir industrius antea cum sponsa paupere contraxisset de certa tantum lucrorum parte ipsi tribuenda; hoc enim in casu ipsa deberet ea parte esse contenta. Constant haec omnia ex legibus, eaque servanda sunt, nisi alia pacta intervenerint, aut leges locorum particularium, quae attendi etiam debent, aliud statuant[1].

[1] Quae hic dicta sunt circa bona et iura coniugum, maxime quoad uxorem, accuratius in sua quisque regione ex legibus loci discere debet. Communius in recentioribus iuribus distinguuntur quoad uxorem: bona reservata, non

126. His accedunt arrha, sponsalitia largitas, donum matutinum. *Arrha* est, quod tempore sponsalium sponsi invicem tradunt in pignus futuri matrimonii. Haec redit ad illum, qui dedit, si sequatur matrimonium, quia non est donatio, sed velut pignus. Ut tamen aliquid habeat rationem arrhae, non debet tantum de facto dari ante matrimonium, sed expresse addendum est, dari hoc in signum futuri matrimonii. Alias erit *sponsalitia largitas*, quae est donatio facta sponsae post sponsalia intuitu futuri matrimonii; haec dicitur etiam mundus muliebris et dotalitium, et secuto matrimonio est manetque uxoris; si autem hoc non sequatur, redit ad sponsum, quia donatio fuit conditionata. *Donum matutinum* est, quod a marito datur uxori altero nuptiarum die pro thesauro pudicitiae sibi credito: hoc pertinet ad uxorem, quae pro libitu de eo potest disponere. Ex dictis resolves:

127. 1. Peccat vir graviter, si grave nocumentum eius culpa inferatur bonis uxoris; haec pariter peccat, si viro rationabiliter invito rem gravem usurpet vel alienet, de qua non possit disponere, aut si notabiliter se ingerat in administrationem domus sine consensu viri. Excipe, nisi hic prodigus esset vel dissiparet rem domesticam aut eius curam negligeret.

2. Si vir desit officio et obligationi suae, potest uxor ex fructibus dotis, paraphernalium vel ex lucro communi impendere, invito etiam marito, quae ad convenientem suam sustentationem spectant, v. gr. ad victum, vestitum, donationes, eleemosynas, recreationes honestas, quae aliis talis conditionis

---

reservata, cum marito communia, non quod singula bonorum genera semper adsint, sed adesse possunt. Reservata bona ea sunt, quorum administrationem et usumfructum uxor sibi pleno iure reservat; non reservata, quorum administratio et usufructus sit mariti, uxoris dominium, ita ut soluto matrimonio vel facto divortio pleno iure ad uxorem redeant; communia, quae soluto matrimonio dividantur, interea autem sub administratione mariti exsistant atque pro utriusque coniugis atque familiae necessitatibus providendis servire debeant *

honestis mulieribus permitti solent, nisi tamen aliud status rei familiaris exigeret. Ratio est, quia ad convenientem uxoris sustentationem se maritus obligat et illa socia est bonorum.

3. Potest viro non consulto expendere, quae ad eius conversionem aliudve spirituale magnum bonum necessaria iudicat.

4. Si vir desit officio suo, potest uxor expendere, quae requiruntur ad avertendum grave damnum a familia, vel quae filio ex voluntate patris in bello vel in studiis versanti sunt necessaria.

5. Potest clam reservare ad providendum sibi et familiae, si ex viri excessibus immineat periculum indigentiae; immo potest clam subducere ex bonis communibus, quantum maritus potando dilapidat, etsi periculum indigentiae sibi vel familiae non immineat, quia dimidium ad ipsam pertinet[1] nec potest illud maritus ipsa invita imminuere.

6. Potest pecuniam a viro ad solvenda debita acceptam expendere in usus domesticos graviter necessarios, quia pecunia, etsi uxori tradita, manebat sub dominio viri, qui eam etiam potius ad sublevandam gravem necessitatem familiae quam ad solvenda debita debebat impendere; nec uxor sic contrahit obligationem *ex suo* solvendi creditoribus.

7. Non tenetur ex bonis dotalibus suis concurrere ad solvenda debita a viro ante matrimonium contracta, etsi communia bona ad hoc non sufficiant. Tenetur tamen ex bonis aliis, si quae habet, concurrere ex dimidio ad solvenda de-

[1] Videlicet hoc ita intellige, ut, quae soluto matrimonio vel sublata communione vitae supersint, eorum dimidia pars uxoris sit, atque ut maritus peccet, si irrationabili et prodiga administratione causa sit, cur haec bona diminuantur; non vero ita intelligenda sunt, quasi quovis momento uxori sit ius impediendae administrationis mariti atque postulandae bonorum divisionis. Quodsi prodiga administratione vir bona *uxoris* in periculum inducat, bonorum separationem iudicialiter petere potest, vel etiam propter prodigam bonorum administrationem impetrare, ut administratione iudicialiter interdicatur. — Ex quo sequitur, ut in foro conscientiae, si uxor apud iudicem agere nolit, facile ei illa in casu necessitatis permitti possint, quae auctor indicat. *

bita stante matrimonio in bonum familiae et *de consensu utriusque* contracta, non vero ad contracta ante matrimonium, aut ad ea, quae hoc stante sine eius consensu vel non in bonum familiae a viro sunt contracta.

8. Potest uxor suis parentibus et liberis ex primo toro pauperibus moderatas, pro more aliarum feminarum suae conditionis, eleemosynas ex bonis communibus, marito etiam contradicente, largiri; quia hoc spectat ad decentiam status eius, nec ipsa est serva, sed socia bonorum. Unde maritus non potest esse rationabiliter invitus. Quodsi dicta quantitas non sufficeret ad gravem illorum necessitatem levandam et ipsa aliunde iuvare non posset, posset clam plus subducere et egentibus succurrere; quia ad decentem quoque eius statum et honorem pertinet, ut non permittat egere illos, cum ipsa bona habeat. Marito tamen mortuo deberet in partitione bonorum cum heredibus mariti subtrahere suae parti, quae ultra dictam partem elargita fuit[1]; quia aequum non est, ut ex alienis subveniat consanguineis, si habeat propria. Potest quoque aliis pauperibus minus dare, ut magis suis possit succurrere.

9. Ea quae similis conditionis uxoribus permissa sunt, potest facere uxor, etsi dotem non attulerit vel nondum adsint bona communia, quia, cum maritus teneatur uxorem et familiam alere, accipi possunt ex propriis eius bonis. Nec tenetur uxor propria, si quae haberet, expendere, nisi forte alendi essent eius parentes vel proles ex alio patre vel fratres et sorores; tunc enim, si haberet, prius ex propriis desumere debet extraordinaria. Recte autem monet *Gobat*[2] non semper

[1] Hoc tamen, si bona uxoris propria non adfuerint, in divisione bonorum communium *ius Germanicum* non imponit, cum sustentationem parentum vel filiorum prioris matrimonii recenseat inter onera, quae ferri debeant ex bonis communibus, atque compensationem solummodo exiget in eo casu, quando sustentandi obligatio illa fundabatur in possessione propria bonorum coniugis. Cf. *ius Germanicum* § 1604 cum § 1463. *

[2] Opp. moralia tract. 5, c. 24, n. 48.

expedire haec dicere uxoribus, ne iis abutantur; sed potius consulendum, ut ad concordiam conservandam faciant omnia marito conscio et consentiente, si ita fieri possit.

10. Si maritus moriens relinquat bona debitis onerata maioribus, quam ut ex iis solvi possint, potest uxor ex iis subducere, quae necessaria sunt suae suaeque prolis sustentationi. Ratio est, quia sustentatio est illis debita et privilegiata ante omnes creditores, excusassetque maritum debitorem, proinde multo magis heredes. Et idem est, si vir adhuc vivens iuridicam bonorum cessionem creditoribus fecit, quia cedens foro (nisi bona sua ex industria dissipasset; hoc enim casu non gauderet privilegio cessionis) potest retinere necessaria sustentationi etiam suorum, attamen probabilius in conscientia postea, si ad meliorem fortunam redeat, tenetur satisfacere creditoribus. *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 432 et 436. *Id non probabiliter tantum, sed indubie tenendum est, quando solvendi impotentia culpabiliter vel immo voluntarie inducta est. Si quis vero inculpabiliter solvendi impos effectus coactus est cedere bona sua, quaestio magis intricata est, utrum hoc modo debita quae restant censeantur exstincta, an eorum tantum solutio tamdiu dilata, dum debitor ad meliorem sortem facultatemve *commode solvendi* pervenerit. Prius universim quidem non potest dici, dici tamen potest aliquando et fortasse non raro, sive ex consensu creditorum satis manifestato, sive ex consuetudine regionis, quae legem ita intellexerit, ut debitor plene a solvendo absolvatur. Quae consuetudo et legis interpretatio quomodo vim aliquam accipere possit ex hodierno usu percipiendi fenoris annui ex pecuniis, vide *Lehmkuhl,* Theologia moralis I[12], n. 1230.*

11. Si vir sumpserit capitalia ad censum assignando bona sua cum bonis uxoris pro hypotheca, bona uxoris non obligantur, nisi illa consenserit et privilegio, quod habet ex senatusconsulto Velleiano, renuntiaverit vel cum iuramento vel sufficienter de privilegio suo instructa coram

notario[1]: id quod bene notandum iis, qui capitalia ad censum elocant aut titulos ordinationis ex bonis alienis erectos accipiunt; nisi enim addatur uxorem, si bona ad eam simul pertineant, consensisse et privilegio renuntiasse, acta non subsistunt.

QUAESTIO III.

Quae sint obligationes parentum.

128. Resp. Ex lege naturali parentes debent liberis suis 1. *amorem* sincerum et prudentem. 2. Debent *educationem corporalem* et curam, ut avertant noxia vitae, sanitati et felicitati corporali, alimenta necessaria pro qualitate status sui procurent, ut filios ea edocenda curent, quae ipsis conveniunt, ut sunt artes honestae, literarum studia etc. 3. Debent illis *instructionem et educationem spiritualem,* ideoque eos vel per se vel per alios docere debent necessaria ad salutem vitamque christianam, praeire iis bono exemplo, delinquentes prudenter corrigere etc.[2]

Unde peccant parentes:

129. 1. Si *proli conceptae noceant*, v. gr. mater nimium laborando, onera nimis gravia portando vel levando, saltando, currendo, passionibus irae et melancholiae nimium indulgendo sicque eas passiones proli ingerendo. Pater vero peccat uxorem praegnantem exasperando, percutiendo cum periculo nocendi proli.

2. Si, ubi mater *prolem lactare* non potest, non provideant, cum possint, de nutrice bonae valetudinis et vitae; quia proles defectus et inclinationes ad vitia facile cum lacte

[1] *Quae consensus forma* ex parte uxoris adesse debeat, in singulis iuribus videndum est. *

[2] Cf. can. 1113: «Parentes gravissima obligatione tenentur prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi, et etiam temporali eorum bono providendi.» Haec eadem obligatio quoad christianam liberorum educationem can. 1372, § 2 extensa est ad omnes, qui parentum locum tenent.

imbibet. In hoc casu tenetur pater ad expensas pro nutrice; mater enim tantum ad sustentandam prolem ex iure Romano tenetur primo triennio, i. e. ad lactandum si possit, pater autem ad reliqua usque ad emancipationem, nisi esset pauper et mater dives. *Iure naturali utrique parenti in solidum incumbit obligatio necessariae curae filiis impendendae. Quoniam autem mater natura sua pro prolis educatione personalia incommoda laboresque magnos subire debeat, nihil aequius est, nisi ut pater maiores debeat sumptus pecuniarum necessarios facere. Quapropter leges positivae quoad haec mutua patris et matris obligationes et iura definierunt accuratius, non ubique plane eodem modo. Quae leges sane servandae sunt, ita tamen, ut, quando alteruter parentum desit, naturalis obligatio alterius integra persistat necessaria proli praebendi vel procurandi.*

Si autem mater lactare sine gravi incommodo prolem possit, ad id tenetur; sique nolit, tenetur ad expensas pro nutrice, quam si habere non possit sine periculo gravis nocumenti prolis, peccat graviter non lactando. Secus tantum venialiter secundum aliquos. *Duae sunt causae, cur, quantum fieri potest, insistatur, ut ipsae matres filios lactent: tum educatio corporalis, tum educatio spiritualis. — Nam si loco lactis maternae artificialis fit nutritio, haec causa est, cur longe facilius filioli immatura aetate moriantur; si loco matris nutrix substituitur, non raro huius proles celeri morti devovetur. — Insuper difficulter bona nutrix substituitur; verum qualem vim mores non bonae nutricis exerceant pravas inclinationes filios inserendo, notissimum est (cf. *Capellmann-Bergmann,* Pastoralmedizin[17] 86 sqq).*

3. Si liberis, qui non possunt se alere (ubi enim possunt, parentes non tenentur), *negant alimenta necessaria,* aut sua dilapidant, labores convenientes negligunt, curam rei domesticae non habent, ut eos honeste pro suo statu alere hereditatemque iis relinquere possint, qua ad convenientem statum pervenire et honeste vivere valeant.

4. Si in viis publicis vel ad fores templi aut hospitalis *prolem exponant* sine gravi necessitate, et in hac eam exponentes non caveant ei a periculo mortis alteriusve gravis incommodi; tenentur enim parentes ipsi alere prolem suam etiam illegitimam seu naturalem seu spuriam eique providere, donec ipsa alere se poterit. Quomodo hi succedere possint parentibus, habetur in tractatu de testamentis et successione et apud *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 1163 sqq.

5. Si liberis negant sine causa iusta *hereditatis suae partem legitimam*. Haec ex iure Romano communi, quando plures sunt quam quattuor, est media pars bonorum. Alias tertia tantum pars inter liberos est dividenda, modo talis sit, ut accedente liberorum industria convenienter statui possint vivere[1].

6. Si filium et filiam *cogant ingredi religionem* aut *ab ea impediant* negando partem legitimam vel dotem; quia liberi ius habent eligendi statum et impedientes ab ea sine iusta causa aut ad eam cogentes ipso facto sunt excommunicati per Trid. sess. XXV, c. 17 de Regul.[2] Quodsi cogant eos, qui religionem volunt ingredi, ut renuntient bonis et iuribus suis, non tantum graviter peccant, sed renuntiatio est re ipsa irrita, quia involuntaria. Similiter peccant graviter, si prohibeant filios ab ineundo matrimonio; secus, si tantum a certis nuptiis ob iustam causam impediunt vel ad certas suaviter inducant, modo caveantur incommoda.

7. Si, quantum in ipsis est, non curent, ut liberi *bonis moribus instruantur* discantque, quae ad vitam christianam

[1] Pars legitima secundum diversa iura diversa assignatur. In iure Germanico semper est *dimidia pars* bonorum in filiis aequaliter divisa: quod in conscientia servandum est. *

[2] Haec excommunicatio can. 2352 ita determinata est, ut eos solos attingat, «qui quoquo modo *cogant* sive virum ad statum clericalem amplectendum sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam».

pertinent, eamque ducant; si permittant frequentare mala consortia, fovere illicitos amores etc.

8. Si mittant filios ad *scholas haereticas,* aut *acatholicis magistris* filios scientia vel arte imbuendos tradant sine necessitate et sine cautela; paulatim enim imbibunt errores aut ad eos saltem inclinantur, incipiunt minoris aestimare supremum in terris Christi Vicarium, in quem dicteriis et calumniis scatent haereticorum libri non pauci; liberius transgredi discunt praecepta Ecclesiae; imprimunt sibi propositiones falsas et iuri etiam naturae repugnantes; dumque haereticorum conversatio et mores liberiores melius placent, minus afficiuntur erga catholicos religionemque catholicam vix pluris faciunt quam haereticorum sectas. Quod liberis grande malum est; faciunt eiusmodi parentes, quod facit qui seminat in agro zizania vix eradicanda. Proinde videant, quomodo Deo sint reddituri rationem, qui de manibus eorum repetet animas filiorum. Tales parentes, qui sine gravi ratione et sine cautelis, quae pericula illa omnino minuant, liberos suos istis periculis obiciunt, per se loquendo excusari non possunt a peccato mortali [1].

*Quoad scholas anticatholicas vel non-catholicas complura officia catholicis incumbunt: 1. ut, quantum apud ipsos est, studeant *erigendis scholis catholicis;* 2. ut, ubi sunt scholae catholicae, filios his committant, aut, si hae scholae desunt

[1] Cf. can. 1374: «Pueri catholici scholas acatholicas, neutras, mixtas, quae nempe etiam acatholicis patent, ne frequentent. Solius autem Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit, ut eae scholae celebrentur.» Quam stricte Ecclesia hanc legem urgeat, inde liquet, quod iuxta can. 2319 § 1 excommunicationi Ordinariis locorum reservatae ipso facto subsunt catholici, qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito, ut omnis vel aliqua proles educetur extra Ecclesiam catholicam (ib. n. 2); item parentes vel parentum locum tenentes, qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt (ib. n. 4).

vel ex causis omnino gravibus hae scholis non-catholicis postponendae videantur, filios in eiusmodi scholas non-catholicas non mittant, nisi periculum, quod fidei vel bonis moribus immineat, factum sit periculum remotum seu non grave, atque continuo invigilent, ut remotum quoad filios maneat. Haec imprimis spectant scholas inferiores seu primarias; verum applicari suo modo debent omnino tum ad scholas medias tum etiam ad altiores scholas seu universitates; ita saltem, ut non permittatur filiis eorum magistrorum lectiones frequentare, a quibus timendum est, ne fides atque religio labefactetur (cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12], n. 816 not. et n. 937 not.).*[1]

9. Si *delinquentes non corrigant,* aut ubi necesse est, non puniant; si puniant non ex caritate vel zelo iustitiae, sed ex passione solum, poena ipsis non conveniente aut iusto graviore; neque enim parentes habent dominium in membra liberorum, sed ius puniendi ad correctionem. Unde poena non debet excedere delictum nec potestatem punientis, sed potius minor esse delicto. Proinde peccat mortaliter pater, si filium mutilet, graviter vulneret, atrociter caedat, vel si utcumque notabiliter gravius puniat, quam ille meretur; carnificibus annumerat *Gobat*[2] parentes et ludimagistros, qui suos ita fustibus, alapis, pugnis aut ferulis excipiunt, ut inde fiant surdastri, hebetes, stupidi, tremuli manibus etc. Puniri possunt subtractione cibi, aliqua detentione in conclavi vel vinculis imperfectis, virgis etc., verbis gravioribus, sed secundum leges prudentiae, caritatis et iustitiae, dicente apostolo: «Vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros» (Eph 6, 4). Quare culpa gravi non vacat, si parentes identidem filios vocent patibularios, nebulones, trifurciferos, filios diaboli, quia dant illis ansam iustam iracun-

[1] Can. 1379, § 3 monentur «fideles, ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas.»

[2] Opp. moralia tract. 5, c. 29, n. 43.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

diae, faciunt eos morosos et contumaces. Potest pater filium, qui contra ipsius voluntatem matrimonium non conveniens iniit, ex zelo iustitiae ad emendationem delinquentis, ad honorem familiae et cautelam aliorum ad tempus excludere a communibus beneficiis, in domum non admittere etc., at non in perpetuum, sed eo usque, dum videatur poena conveniens.

10. Si *occulta* filiorum vel domesticorum *delicta sine iusta causa manifestent externis;* possunt tamen parentes sibi invicem illa revelare, quia communicant in potestate puniendi expeditque saepe constare utrique, ut invigilent periculis et perversionem caveant; immo mater tenetur revelare patri, si ipsa corrigere et avertere pericula non possit. Ceterum parens non tenetur in punitione filiorum servare procedendi modum iudicii forensis, sed procedere potest ex vehementibus indiciis seu semiplena probatione, ideoque ex unius fidelis oculati testis delatione; sic enim exigit bonum familiae et filiorum; tunc tamen poena non debet esse aequalis delicto, sed spectanda simul illius cognitio.

11. Si *curent castrari pueros,* etiam consentientes, ut sint apti ad cantum licet sacrum, quia nec ipsi nec pueri sunt domini membrorum suorum. Oppositum tenent *Tamburini*[1], *Salonius*[2] et *Pasqualigo*[3]. Sed sententia illorum non videtur certo probabilis. Unde multo magis peccant, qui liberis suis adhuc teneris frangunt crura, ut mendicando se possint alere[4].

12. Denique, quandonam in praedictis singulis parentes peccent graviter, quandonam tantum leviter, pensandum est ex gravitate materiae, damni, laesionis et ex circumstantiis.

---

[1] Decal. l. 6, c. 2, § 3, n. 4. [2] In 2^am 2^ae, q. 65, a. 1, controv. 2.

[3] Decis. mor., decis. 498, n. 6.

[4] Quod addit auctor de bannito non occidendo, expunxi, eo quod ista poena a nostris iuribus et moribus sit aliena.*

QUAESTIO IV.

Quae sint praedictorum tentationes propriae et quomodo in iis dirigendi.

Mulierum querelis non facile credendum. — Quid, si queritur uxor de severitate viri; vir de dominandi cupidine uxoris; alter de alterius ebrietate. — Querelae de filiorum inoboedientia, de penuria rerum.

130. Tentationes illorum ex tribus potissimum capitibus proveniunt: 1. ex ipsorum vitiis, 2. ex malis liberorum moribus, 3. ex cura inordinata pro liberis alendis et ditandis. Circa has

Resp. I. Si *coniux contra coniugem* queratur, non statim credat confessarius querentem culpa vacare, nec incognita causa alterutrum condemnet, nec coram uxore culpam in maritum coniciat, quamvis hic sit certo reus, quia mulieres ex natura sua procaces facile viris noxas, praesertim si iudicio confessarii condemnatae sunt, obiciunt; quare melius est, re dissimulata, commendare orationem, patientiam, mansuetudinem. Potissima discordiarum causa est garrula et indomita mulierum lingua; unde non minus prudenter quam lepide chirurgus mulierem a viro vulneratam curaturus emplastrum imposuit ori, ut radicem curaret, et medicus uxori in dies vapulanti suasit, ut, marito irato, in os sumeret aquam teneretque tamdiu, dum ira deferbuisset.

131. Resp. II. Si uxor queratur de *severitate et iracundia viri,* suadeat confessarius, ut pro eo diligenter oret Deum, in cuius manu sunt corda hominum; sit diligens in obsequiis christianis, ordinariis addat extraordinaria, v. gr. cibos gratos, dicatque, se id facere, ut bene sit illi; sit exacte oboediens; ita enim suo tempore obtinebit, quod volet, exemplo sanctae Monicae, quae coniugem suum Patricium sic mitigavit et ad fidem convertit. Taceat, dum maritus iratus aut bene potus est; immo postridie veniam petat aut tam se gerat benignam, ac si ipsa peccasset. Si monitio profutura videatur, moneat, dum maritus est bene affectus. Si irato respondendum sit, respondeat suaviter. «Responsio mollis frangit iram: sermo

durus suscitat furorem» (Prv 15, 1). Si haec nihil iuvent, per parochum vel alium prudentem virum curet monendum maritum. Si neque hoc prosit, patientia opus est et ex tanto malo fructus meritorum in coelis colligendus. Hoc enim nisi fecerit, patietur tamen, idque gravius, et dabit insuper in altera vita poenas; si autem, quae Deus ipsi ferenda offert, patienter tulerit, patietur quidem, attamen cum magno fructu meritorum et levius magnoque cum solatio a Deo accipiendo, qui nobiscum est in tribulatione. Praeprimis caveat, ne obloquutionibus aut exprobrationibus malum augeat.

132. Resp. III. Si viro *uxor attentet dominari,* suadendum, ut ab ea re dehortetur uxorem suaviter; iubeat interrogare confessarium, num id ipsi conveniat; minime autem se ostendat timidum (alias enim mulieris procax insolescet superbia); si verba suavia non proficiant, obsistat gravioribus et faciat in honestis ac licitis contrarium eius, quod vult mulier, consentiat tamen quandoque, suoque officio bene fungatur, ne ansam querendi iustam praebeat mulieri neve illa ita magis insultet.

133. Resp. IV. Si vir conqueratur *ebriosam* esse suam *uxorem,* interrogetur, an non et ipse nimio potui sit deditus. Si non, suadeatur, ut uxori ad mensam concedat, quantum similis conditionis mulieribus concedi solet, aut etiam aliquanto plus; si nihil proficiat, conetur rationibus adducere ad moderamen; aliorum etiam adhortationes curet adiungi. Si nec haec iuvent, minetur verbera, et si conditio humilior id fert, quandoque, ut ait *Gobat*[1], det, raro tamen et cum moderamine. Refert P. *Lacroix* (l. 6, p. 2, n. 1854) experientia alicuius poenitentis se scire, exemplum viri sobrii patientiamque et moderatam eiusdem admonitionem plus profuisse quam verba vel rixas.

Quodsi *et vir sit ebriosus:* 1. Monendus, ut vitet occasiones, et obligandus, ut diebus illis abstineat ab omni potu inebriante,

[1] Opp. moralia tract. 5, n. 9 sqq.

quibus praevidetur futura occasio; vel plus non bibat, quam per experientiam sciat se posse salva temperantia ferre. 2. Vel nisi quid obstet, voveat per aliquod tempus abstinere a potu inebriante, vel omnino a vino usto, vel non adire tabernam, vel saltem non plus bibere, quam sciat rationi non obesse. Quodsi votum faciat omnino abstinendi, id non debet se extendere ad longum tempus, v. gr. ad integrum mensem, quia ob assuetudinem nimis graviter feret ab uno extremo transiens ad alterum, nisi id fiat sub cura medici. Quare aliquando melius erit paulatim sibi subtrahere, donec periculum se inebriandi evanescat. *Aliquando tamen iuvabit sola integra abstinentia: ad quam perficiendam et porro servandam confert ebriosum ad tempus suscipi in hospitium ad curandam ebrietatem institutum, quo melius sine detrimento valetudinis quolibet potu alcoolico desuescat.* 3. Iuvat quoque iniungere illi, ut a confessione domum reversus dicat uxori, ut, quoties viderit adesse periculum, moneat et invitum etiam impediat. 4. Iubeatur considerare quandoque haec quinque puncta: Quid fecisti? Quantum perdidisti? Qualis per ebrietatem evasisti? Quae supplicia meruisti? Quid iam toties promisisti? Vide etiam dicta n. 88. 5. Si cogatur prandere vel agere cum aliis bibentibus nec omnino possit declinare, suggerenda sunt media naturalia pro cavenda ebrietate, quae suggerit *Gobat* in Quinario[1] tr. 5, c. 51, s. 1, n. 3, quibus tamen uti non licet sine rationabili causa neque tantum ad plus bibendum, quia nec sobrietas nec valetudinis frangendae periculum id permittit. Media autem eiusmodi sunt: 1) mane sumere ientaculum; 2) cibos ante potum solidos edere; 3) comedere ante amara vel brassicam acidam; 4) non bibere varia vina; 5) inter bibendum non edere cibos flatulentos; 6) in principio tarde bibere praetendendo suam indispositionem; 7) post haustum liberaliorem aquam large bibere, edere brassicam et.; *8) etiam aliquando

[1] Id est Opp. moralia tract. 5 etc.

commendari potest, ut secum portet globulum, quo furtim excipiat potum, quem videatur bibere et quem postea proiciat. *

134. Resp. V. Si parens queratur *liberos suos inobocdientes* esse, ab iis se incitari ad impatientiam, maledictiones etc., confessarius consulat ipsi: 1. Ut peccare desinat et oboediat primum ipse Deo; non esse mirum, quod alii ipsi non oboediant, cum ipse nec oboediat Deo. 2. Ut examinet, num sua fortassis culpa et negligenti educatione ista eveniant. Si liberi durius tractentur, exasperantur, fiunt tetrici, contumaces et inoboedientes, praesertim si maledictionibus et ignominiosis verbis compellantur. 3. Meminerit iuventutis suae, an non et ipse erraverit. Proinde cogitandum homines defectibus obnoxios esse nec obtineri posse omnia ex voto. Hinc dissimulet minores defectus, ut maiores efficacius corrigat, exemplo piscatorum, qui pisces minores negligunt, ut maiores capiant. 4. Si correctio facienda sit, fiat potius cum lenitate quam nimia severitate; nam, leniter castigatus exhibet reverentiam castiganti; nimia autem asperitate increpationis offensus nec correptionem recipit nec salutem. 5. Bonis verbis incitet suos ad officium, immorigeris in mensa aliquid subtrahat et det morigeris, hosque laudet. Hac ratione ab ingenuis plus obtinebit quam verberibus. Vide remedia contra iram n. 9.

135. Resp. VI. Si querantur de defectu mediorum ad *sustentationem* necessariorum: confessarius 1. soletur eos ex dictis n. 115. 2. Hortetur, ut liberos suos in timore Dei educent; haec optima erit hereditas, quam nemo iis auferre potest. Exemplo sit Tobias (4, 23) dicens filio suo: «Pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum.» 3. Excitet ad fiduciam in Deum, qui dixit: «Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius: et haec omnia adicientur vobis» (Mt 6, 33). 4. Liberi multis titulis sunt magis Dei quam parentum; ipsi cura erit de illis, si ei serviant. Sufficit homini mediocritas; ampla hereditas multis occasio est perditionis et aeternae damnationis.

QUAESTIO V.

Quomodo generatim instruendi parentes etc.

136. Resp. Instrui debent, ut totius familiae bene instituendae curam sedulam habeant, speciatim vero:

1. Ut curent suos liberos bonis moribus ac etiam artibus pro sua facultate instruendos; illos una cum domesticis suis ad catechismum mittant, reduces examinent, bene meritos laudent vel etiam praemiolo aliquo excitent.

2. Ut praebeant toti domui bona exempla: nihil faciant vel loquantur, quo pueri scandalizari queant vel domestici.

3. Ut omnes suos diebus sacris ad divina diligenter mittant; ne ab exhortatione vel concione sine iusta causa eos detineant, neve durius increpent ancillas, si forte paulo serius redeant, ne forte postea non statim nactae occasionem audiendi Sacri illud aut eius partem ex timore omittant. Laboribus servilibus sine urgente necessitate suos ne occupent, otium tamen domi suae ne permittant; commendent lectionem pii libri; curent litanias et preces vespertinas ante decubitum a tota familia collecta recitari: sic descendet benedictio coelestis; pietas enim ad omnia utilis est. Suadeant illis cultum Sanctorum, praesertim Beatissimae Virginis, Sancti Iosephi, angeli custodis et sancti cuius nomen gerunt, et horum festis et alias per annum iubeant suos confiteri et ad mensam Domini accedere. Sublatis e domo vanis imaginibus, prostent piae imagines, videlicet Crucifixi, Beatae Virginis etc., ut subeat animum quandoque pia cogitatio et occasio sit Deum Sanctosque venerandi: uni alterive sodalitati (pluribus adscribi non expedit, quia ob negotia domestica tot legibus satisfacere non possunt) dent sua nomina, eam adeant, iuxta eius leges divina frequentent. *Imprimis commendanda est unio Sanctissimae Familiae, quae d. 14 et 20 Iunii 1892 speciali modo a Leone PP. XIII est laudata atque spiritualibus gratiis ditata. Haec enim omnia familiae membra complexa ad pietatem informat atque ea praescribit, quae impletu facillima magnam

vim habent ad omnes in officiis vitae vere christianae continendos. — Praeterea summopere suadenda est adscriptio ad aliquam associationem, qua exercetur caritas et misericordia in proximos atque zelus animarum. Nihil enim magis decet christianum quam spiritu apostolico agi, nec quidquam coelestem benedictionem divinamque misericordiam magis conciliat quam misericordiam exercere in alios eorumque necessitates sive corporales sive spirituales sublevare. Exsistunt eiusmodi associationes complures, v. gr. associatio dicta a Sancto Xaverio, a Sancto Petro Claver, a Sancto Bonifatio, Sanctae Infantiae, Associatio Sancti Vincentii, immo addi potest ad meram spiritualem misericordiam impendendam tum in hunc finem tum in alios fines nobilissimos Apostolatus precum et Confraternitas Sanctissimi Cordis Iesu, vel Confraternitas Purissimi Cordis B. M. V. pro conversione peccatorum.

Hae sunt associationes directe religiosae; aliae, quae nostra aetate viris commendandae sunt, iam occurrerunt supra in capite addititio post n. 118 et recurrent infra post n. 156.

4. Ut tum inter se, tum inter suos maximi aestiment et curent concordiam; ubi enim haec non est, nec benedictio erit. Caveant quoque, ne sine speciali causa necessitatis unum ex filiis prae aliis foveant advertentibus aliis; hoc enim invidiam et aversionem parit. Neque dum proles a patre punitur, si cum moderamine fiat, mater palam obsistat aut proli postea blandiatur, ac si innocens passa esset; hoc enim correptionis fructum aufert et liberos facit contumaces. Si pater monendus videatur, fiat hoc clam pueris. Et haec eadem servet pater, si mater moderate puniat.

5. Ut pro facultatibus suis sint misericordes in pauperes: «Beati» enim «misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur» (Mt 5, 7). «Foeneratur Domino, qui miseretur pauperis» (Prv 19, 17). «Qui dat pauperi, non indigebit: qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam» (Prv 28, 27). Proinde pauperes ne despiciant, ne repellant dure, sed si succurrere non possunt, benigne dimittant; si possunt, id faciant bona intentione

tamquam Christo, qui quibusdam voluit esse superflua, aliis deesse necessaria, ut illi in his sibi gratificarentur et mererentur misericordiam. Expedit etiam, ut parentes pueris committant eleemosynam pauperibus porrigendam; sic enim a teneris induent affectum misericordiae. Bonam matremfamilias describit Salomon (Prv 31, 10 sqq) vocatque mulierem fortem. «Byssus», inquit, «et purpura indumentum eius», id est, si spiritualiter sumas, candor seu integritas vitae seu verecundia. «Consideravit semitas domus suae», hoc est, mores suos et suorum. «Panem otiosa non comedit», id est, labore acquisivit. «Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus», quod spiritualiter sumere licet pro scientia congrua et virtutibus. «Os suum aperuit sapientiae, et lex clementiae in lingua eius», id est, verbis prudens et clemens seu suavis. «Accinxit fortitudine lumbos suos, et roboravit brachium suum», id est, excitavit se ad onera matrimonii fortiter ferenda. «Digiti eius apprehenderunt fusum», id est, dedit se laboribus mulieri et matrifamilias convenientibus. «Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem.»

CAPUT V.

De confessario liberorum seu filiorum familias.

Nosse oportet confessarium horum obligationes, bona et iura indeque iudicare de eorum peccatis.

QUAESTIO I.

Quae sint obligationes liberorum erga parentes eorumque peccata specialia contra pietatem.

137. Resp. Liberi debent parentibus amorem, reverentiam et oboedientiam. Ratio est, quia, sicut rectus ordo in republica rationalis creaturae et lex naturae exigit, ut parentes prolem suam ament eique procurent, quae ad corporis et animae salutem necessaria sunt: sic pariter exigit, ut filii parentes suos, a quibus post Deum vitam, educationem et sustentationem habent, ament, adiuvent, revereantur, iisque,

saltem quamdiu iis subsunt et in patria sunt potestate constituti, oboediant. Unde peccant graviter:

138. 1. Si pauperibus parentibus, qui se alere honeste non valent, non subministrant alimenta et necessaria; si parentes in infirmitate negligunt, medicum non arcessunt, dum possunt; si pauperes parentes nolunt agnoscere cum gravi eorum maerore; secus tamen, si iis providerent et ex gravi rationabili causa exterius tantum dissimularent; tunc enim ad tempus parentes non possent esse rationabiliter inviti. — 2. Si a testamento, piis legatis faciendis eos vi vel dolo impediunt vel eorum testamenta et legata non implent; si defunctis pro more christiano non succurrunt etc. — 3. Si iis signa odii ostendunt et aspere eos tractant vel torvo semper vultu intuentur, ac si odio habeant; si verbis contumeliosis, vel quibus sciunt graviter eos offendi, afficiunt; si maledicta vel convicia in eos coniciunt; si eos percutiunt vel ad percutiendos manum attollunt, nisi id necessarium esset ad vitam vel integritatem membrorum conservandam. Si sunt causa, ut parentes merito graviter contristentur; si grave illis malum, v. gr. mortem, optant, vel de ea secuta deliberate gaudent contra ordinem caritatis; si eos in iudicio de crimine etiam vero accusant: excipe, nisi crimen esset eiusmodi contra bonum commune, ut denuntiari omnino deberet neque aliter posset impediri; tunc enim bonum publicum privato praeferendum est. — 4. Si in re gravi spectante ad mores, animae salutem et gubernationem domus parentes non audiunt, vel contra voluntatem eorum cum persona indigna contrahunt matrimonium, ex quo spectatis circumstantiis et moribus in patria vigentibus grave dedecus sequatur familiae; vel si illud ineunt inconsultis parentibus in iis circumstantiis, in quibus hi merito graviter offendi possunt; licet enim liberi non subsint parentibus quoad electionem status nec teneantur oboedire, quando parentes sine rationabili causa dissentiunt, decet tamen omnino, ut eos consulant. — Denique graviter peccant per omnem rebellionem, contumaciam contra expressa parentum mandata,

nisi materiae levitas vel indifferentia aut negligentia aliqua humanae fragilitatis excuset atque absit omnis mandati contemptus. Ratio horum omnium est, quia pietas erga parentes in materia gravi per se obligat liberos sub peccato mortali. Dixi: «per se»; quia per accidens quandoque a mortali excusari possunt, v. gr. ratione aetatis, infirmitatis, iudicii obtusi, educationis etc., ita ut parentes rationabiliter non possint graviter offendi. Hinc, si in genere se quis accuset de inoboedientia vel irreverentia contra parentes, spectanda est indoles et aetas poenitentis. Si igitur aetas est tenera, supponi potest delictum non esse grave; si autem aetas est grandior et indoles videtur audax, interrogandum est de modo irreverentiae et materia inoboedientiae; quae enim respectu aliorum in materia odii, contumeliae, malevolentiae, contemptus sunt mediocria, respectu parentum filiis sunt gravia, quia his illi sunt proximi post Deum. Ceterum mos et aestimatio gentis etiam spectari debent, ut iudicetur de gravitate irreverentiae filiorum contra parentes. Quodsi filius dubitet, an causa aliquid faciendi vel omittendi, quo parens graviter affligi possit, sit iusta, tenetur abstinere, quia possessio est pro parente; immo licet certo constet exacerbationem parentis oriri ex malevolentia vel natura eius difficili et morosa, tamen pietas exigit, ut filius omnem quoad potest eius exacerbandi occasionem fugiat. Si tamen praeter filii praevisionem oriatur exacerbatio, ipsi non imputatur.

QUAESTIO II.

Quae sint filiorum bona et iura eorumque peccata contra iustitiam.

Bona filiorum diversa diversaque in ea iura. — Filiorum iniustitiae atque restitutionis faciendae obligatio et modus. — Admonitio et instructio filiorum.

139. Resp. Bonorum filiorum quattuor genera esse possunt, nempe castrensia, quasi castrensia, adventitia, profectitia[1]. *Castrensia* sunt illa omnia, quae filius acquirit

[1] Hanc Romani iuris divisionem recentiora iura solent relinquere, distinguendo bona filiorum libera et non libera; videlicet libera, quorum dominium

castrorum seu militiae causa, ut equus et reliqua omnia, quae eunti ad militiam *donantur* a patre aut ab alio. Item, quae *acquirit* ratione militiae, ut sunt stipendia, spolia, et quae ex memoratis bonis proveniunt. Horum dominium plenum liberamque sine consensu patris dispositionem habet filius; si tamen pubes non esset, id est, annum decimum quartum non complevisset, de iis disponere et testari non posset, ne privilegium cedat in detrimentum infirmae adhuc aetatis.

140. *Quasi castrensia* sunt, quae filio donata sunt a principe, vel quae sunt acquisita officio publico non mechanico, ut iudicis, advocati, medici, professoris scientiae liberalis, aut officio clericali vel beneficio ecclesiastico. Item quae donata sunt a patre pro titulo ordinationis. Horum dominium et dispositionem habet filius eodem modo ac castrensium. Titulus tamen ordinationis probabilius computari debet in divisione bonorum, quia censetur legitima pars hereditatis.

141. *Adventitia* sunt, quae aliunde, non intuitu patris, saltem non principaliter, filio adhuc sub patria potestate constituto adveniunt: v. gr. per testamentum aut alio modo, a matre, avis vel consanguineis maternis aut extraneis, aut ex privata propria industria et labore, famulatu apud externos, ex negotiatione filii, qui ex proprio peculio suis sumpti-

et usûsfructus pertinet ad filios, administratio sola in minore filiorum aetate ad parentes; non libera, quorum dominium quidem apud filios est, administratio tamen et usufructus spectat ad parentes. Quae dispositio a iure Romano non multum dissentit. Huius enim iuris bona *profectitia* non proprie bona sunt filiorum, neque in recentioribus iuribus inter ea recensentur; bona *adventitia* fere coincidunt cum bonis filiorum *non liberis*, bona *castrensia* et *quasi castrensia* cum bonis *liberis*, videlicet iis, quae filius proprio labore separatave industria lucratur vel donatione sibi personaliter facta acquirit. Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. I[13] 1058 sqq. Ceterum accuratiora iura ex singularum regionum legibus discenda sunt. Quapropter si in confessione occurrerit quaestio dubia in re iustitiae commutativae inter filios et parentes neque ex sola aequitate iuris naturalis solutio dari possit, consulendae sunt leges loci. — Quae in sequentibus notantur circa peccata filiorum, ea sunt, quae fere ex ipso iure naturali definiri possint. *

bus vivit, opera extraordinaria, aut fortuito, v. gr. inventione thesauri, aut ex donatione, quae intuitu quidem patris, principaliter tamen ex affectu erga ipsum filium facta est. Horum dominium ad filium pertinet, usufructus vero, quamdiu filius est sub patria potestate, ad patrem; hinc mortuo patre ea bona non sunt cum aliis dividenda, et si uti res consumptibiles fuerint consumpta, filio sunt in aequivalenti restituenda. Idem valet de castrensibus et quasi castrensibus.

142. *Profectitia* sunt bona a prioribus distincta, quae filio obveniunt ex donatione facta principaliter intuitu patris, et quae filius acquirit ex bonis paternis, v. gr. ea administrando, cum iis nomine patris negotiando. Horum proprietas et usufructus spectat ad patrem; proinde eo mortuo in omnes heredes sunt dividenda. Si tamen filius etiam clam negotiaretur pecunia patris nomine suo, suscepto in se eius periculo et damno, lucrum esset adventitium, quia sic pecunia velut sua negotiaretur. Unde

143. *Infero* I. Peccat filius contra iustitiam et tenetur per se loquendo ad restitutionem, si sub patria potestate constitutus *ex bonis adventitiis* eorumve fructibus aliquid *expendit,* donat vel alia ratione alienat contra voluntatem patris; quia usufructus illorum pertinet ad patrem. Item, si de bonis profectitiis aut aliis bonis patris sibi assumit vel eis damnum grave infert; quia horum bonorum et proprietas et usufructus spectat ad patrem. Dixi: «per se loquendo». Nam 1. non tenetur restituere, si pater condonet, aut si prudenter praesumatur condonaturus esse, si rogaretur, etsi filius prae verecundia rogare non audeat; praesumitur autem condonaturus, si pater sit liberalis et magno affectu feratur in filium. 2. Si pater scit neque exigit restitutionem; et raro, inquit *Laymann*[1], censetur pater tam severus, ut damnum passus in bonis filii adventitiis reparari ab eo id velit. 3. Si damnum sit leve. 4. Si bona sint donata vel legata filio ea

[1] Theol. mor. l. 3, tract. 4, c. 12, n. 7.

conditione, ut ipse solus usumfructum habeat, vel legatus filio sit solus ususfructus; quia super hunc alius ususfructus constitui non potest. 5. Si filius cum patre vel eo invito adeat hereditatem. Ratio est, quia in his postremis casibus ususfructus spectat ad filium. *In quo casu filius non assumpsit vel damnificavit bona aliena, sed *propria;* proin deest omne fundamentum restitutionis.* Filius tamen, quamdiu est impubes, nihil de bonis suis pro foro externo alienare potest; neque pubes factus sine consensu patris ad profanas causas potest testari nisi de bonis castrensibus vel quasi castrensibus. Dixi: «pro foro externo»; nam, si impubes ratione praeditus tibi donaret de bonis, quorum dominium et administrationem habet, licite id retineres donec repeteretur. *In eiusmodi causis, si filius ratione plene usus omnino libere neque ullo dolo fraudeve circumventus aliquid donavit, eadem teneri possunt, quae valent generatim de contractibus minorennium. Habere eos licet pro validis, sed infirmis seu solubilibus, atque invocata eorum solutione, etiam in conscientia sunt invalidi.*

144. *Infero* II. Filius, *si rem gravem subducit,* quam putatur rationabiliter pater non negaturus esse, si ab eo peteretur, non peccat graviter; secus, si putatur rationabiliter pater negaturus aut invitus esse, ut si filius subduceret ad lusus vetitos, compotationes, luxum etc. Ratio est, quia in posteriore casu pater est invitus quoad substantiam, in priore autem tantum quoad modum. Quae quantitas respectu filii patri aliquid surripientis sit gravis, non potest una regula definiri, sed spectari debent parentum status, facultates, affectus in liberos, multitudo filiorum, finis ad quem res accipitur. Si enim parentes sunt divites, liberales in suos, filii pauci, et res accipitur ad usus honestos, parentes sunt minus inviti, saltem quoad substantiam, quam si sunt mediocris fortunae, parci, numerosam habent prolem vel res accipitur ad usus inhonestos. Haec omnia diligenter consideranda sunt, ne vel nimis facile filiis ingeratur conscientia peccati mortalis vel laxentur habenae ad furandum.

145. *Infero* III. Peccat filiusfamilias, si aliquid *de lucro,* quod *in domo patris* opera *ordinaria* laborans, v. gr. agriculturam exercendo, aut negotiando nomine patris, v. gr. mercatoris, cauponis, acquirit, sibi *retineat* sine consensu patris, vel nisi ex contractu cum patre id sibi postulare possit tamquam salarium. Ratio est, quia iura (apud *Laymann* l. 3, tr. 4, c. 8, n. 12) volunt omnia acquiri patri, quae filius in domo patris laborans lucratur, idque merito; nam sic providetur liberis omnibus tam infirmis et debilibus quam sanis et validis litesque vitantur. Neque consuetudo habet, ut filius a parente exigat salarium in eiusmodi labore, cum victum et vestitum a patre habeat et addiscat sibi necessaria acquirere[1]. Deinde, etsi plures (apud *Laymann* l. c. et *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 1034) putent filio in domo patris laboranti deberi salarium, eo quod sit velut socius negotiationis nec debeat esse deterioris conditionis quam famulus vel extraneus ad lucrum concurrens, praesertim si alii liberi parum aut nihil laborent aut ad lucrum conferant: non potest tamen clam sibi assumere salarium, quia non permittitur occulta compensatio nisi habenti ius certum; ius autem filii ad salarium, nisi cum patre de parte lucri contraxerit, certum non est, tum propter iam dicta, tum quia, si vellet cum patre contrahere, posset eum pater repellere, ei, cum ipse se alere possit, victum negare et uti alterius opera. Praeterea, ut advertit *Molina* (tr. 2, d. 554), gestor negotiorum, quando praesens est ille, cuius negotium gerit, non potest petere salarium, de quo mentionem non fecit, sed censetur facere gratis, proinde in praesenti re non est consensus patris in salarium, nisi contractus intervenerit. Hinc si filius, defunctis iam parentibus, praetendat plus in divisione hereditatis, timensque, ne ab aliis id sibi negetur, velit occultare aliqua et sibi reservare, eo quod parentes senes sustentare, rem

[1] Consentit quoad substantiam *ius Germanicum* §§ 1617 1618. Quomodo post factum aliquando res paulo mitius tractari possit, vide mox infra. [3]

domesticam administrare et conservare debuerit, vel etiam auxerit, cum interim fratres et sorores matrimonio iuncti sua curaverint aut alibi lucrum fecerint: bene expendenda sunt omnia. Nam forte alii quoque in domo paterna ante ipsum laborarunt et parentibus adfuerunt auxilio, idque absque salario, aut ipse victum et vestitum ex bonis parentum habuit diutius quam alii etc. Si consideratis omnibus aequum videatur, ut compensetur ipsi labor pro parentum sustentatione bonisque administrandis impensus maior, eo quod plus fecerit quam alii: interrogetur, an pater promiserit ei compensationem curae maioris? Si ita, compensanda est iudicio prudentum; si non, conveniat cum fratribus, audito aliorum consilio, ut fiat, quod aequum est; permittere enim, ut ille ipse sibi compensationem taxet, nimis periculosum est. Putant *Laymann*[1] et alii ob sententiam oppositam, quae tenet, deberi filio salarium, posse confessarium mitius agere, ita ut non obliget ad restitutionem, si filius iam subduxerit compensationem, modo ne sit iusto maior certumque sit eum plus lucratum esse parentibus quam alios.

Dixi 1: «opera ordinaria»; nam quae filius lucratur opera extraordinaria, bonis adventitiis seu bonis filii propriis annumerantur, ideoque licet peccet patri non concedens usumfructum, potest tamen facilius quandoque excusari ob pericula non accipiendi postea, quod ipsi prae ceteris debetur. Denique censet *Laymann*[2] posse filium ex operis artificialibus in domo patris exigere salarium, deductis tamen expensis, quas pater ipsi sustentando impendit. Rationem dat, quia filius, nisi pater se alere non posset, potest e domo paterna discedere, ut artem discat vel quodvis honestum vitae genus amplectatur, ergo etiam, ut alteri operam suam locet et lucretur. Quod ex eo probat, quia alias servilis conditionis efficeretur et velut in perpetuo carcere in domo paterna detineri posset. At nisi contractus saltem tacitus intervenerit,

[1] L. 3, tract. 4, c. 8, n. 12. [2] L. 3, tract. 4, c. 8, n. 11.

censetur laborare gratis. *Per se de auxilio, quod filius praestet patri in *arte* exercenda, idem dicendum est atque de auxilio praestito in re oeconomica vel mercatoria; etiam ius Germanicum § 1617 universim statuit filios, quamdiu ad domesticam societatem parentum pertinent atque a parentibus educantur aut aluntur, *debere* pro viribus et conditione status parentibus servitio esse in re domestica et parentum negotio. Aliae leges paulo maiora iura filiis tribuunt. Post factum igitur caveri debet, ut iam supra dictum est, ne facilius restitutionis obligatio iniungatur, eo quod complures rationes exsistant, quae a restitutione filium excusent.*

Dixi 2: «filiusfamilias», id est, sub patria potestate constitutus; nam si hac sit liber, v. gr. per mortem naturalem vel civilem patris, avo paterno non superstite, per emancipationem coram iudice aut contractum matrimonii esparatamque domesticam societatem, ea, quae lucratur, sibi acquirit.

146. *Infero* IV. Quae filius *invito patre subduxit iniuste,* tenetur mortuo patre in divisione hereditatis subtrahere suae parti, quia iustitia exigit, ut alii coheredes serventur indemnes et aequalitas adducatur. Excipe, nisi alii tantundem subduxissent aut scientes agendi modum compensationem non exigerent, vel si pater in vivis remisisset, vel denique si solus esset heres. In postremo casu solus quoque tenetur solvere patris debita, quamquam non ultra vires hereditatis, idque in foro conscientiae, etiamsi inventarium non fecisset. Similiter in divisione hereditatis subtrahenda sunt, quae praeter necessaria alimenta (id est convenientem sustentationem) necessario alicui ex filiis pater impendit, ut sunt data in dotem ob nuptias, ordines, ingressum religionis per professionem, ad liberandum filium ex carcere, in quem ob delictum coniectus fuit. Ita, nisi pater expresserit ea non esse subtrahenda. Ratio est, quia pater censetur ista dedisse, quia debuit, ideoque de portione huius prolis. Quae vero data sunt pro alimentis in studiis, pro addiscenda vel profitenda arte etsi

mechanica, pro convivio doctorali vel nuptiali, in prima Missa, primo ingressu in religionem, reducuntur ad alimenta, quia haec spectant ad decentem sustentationem et honorem patris. *Etiam expensae pro studiis etc. computari debent pro parte hereditatis, si pro conditione parentum excessivae erant adeoque aequalitatem filiorum earum neglectus notabiliter laedat. Cf. etiam ius Germ. § 2050. Alioquin voluntas parentum vel expressa vel aliunde satis nota attendenda est.*

Haec de *bonis* filiorum atque de peccatis, quae circa haec bona facilius committi possunt. Pauca addenda sunt de reliquis peccatis filiorum.

147. 1. Si filius (idem est de filia) se accusat de *inoboedientia* erga parentes, moneatur, ut meminerit, quanta tulerint fecerintque pro liberis, quot noctes duxerint insomnes, quot molestias adhuc sustineant, ut eos honeste alant iisque in futurum provideant; indignum esse haec incommoda augeri a liberis, a quibus nunc auxilium et solatium exspectent. Numquid vis manducare cum parentibus? Numquid vis esse heres eorum? Nonne ergo decet te simul laborare et obtemperare? Mandat Deus, ut parentibus oboedias; si iis es inoboediens, Deo es inoboediens; quomodo ergo ab eo benedictionem exspectabis? — 2. Si *graviter offendit parentes* sive inoboedientia sive laesione honoris, imprecatione aliove modo, iubeatur redux domum veniam petere et emendationem promittere, vel si hoc videatur difficulter facturus, suavibus verbis et promptis obsequiis debito suo satisfacere et eos sibi conciliare. — 3. Si putat filius se a parente *durius tractari*, alium contra foveri, interrogetur, sitne ille forte magis reverens erga parentem; si ita, faciat ipse similiter; si non, conetur ipse in omnibus gratificari parentibus; ita fore, ut non minus ametur. Amor erga unum ex liberis, v. gr. iuniorem, est quandoque magis tener, non ideo natu maior minus amatur. Quodsi parens asperius eum habeat, iubeatur aut tacere aut benigne et reverenter respondere; sic vincet et emollict parentis animum, et si ad tempus

patiendum sit, patientiam Deus multiplici benedictione coronabit etc. — 4. Si queritur et ad excusandam inoboedientiam vel irreverentiam adfert *parentem rei domesticae non bene praeesse,* potitare, sua dilapidare: moneatur, ut ipse eo diligentius rebus suis invigilet, patre ebrio sileat, sobrium et bene dispositum benigne et reverenter moneat et roget, ut suis sibique consulat, vel curet per virum prudentem, v. gr. pastorem aliumve amicum, patrem ad meliora reducendum; Deumque saepe pro eo oret, et quae omnibus adhibitis emendare non potest, patienter ferat, sibique certo persuadeat in praemium patientiae Deum in terris benedictionem et gloriam daturum esse in coelis.

CAPUT VI.

De confessario superiorum et subditorum.

QUAESTIO I.

Quae sint speciales obligationes et peccata herorum seu dominorum.

148. Resp. Heri aliique superiores tenentur habere curam famulorum et subditorum suorum, iisque praestare, ad quae vi contractus seu taciti seu expressi sese obligarunt; ait enim apostolus: «Si quis suorum et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior» (1 Tim 5, 8). Ratio autem est, tum quia sunt loco parentum caputque suorum morale, tum quia iustitia exigit, ut, de quibus contraxerunt, servent. Unde

149. 1. Peccant heri, si *non curant, ut praecepta Dei et Ecclesiae observent* famuli et famulae; si non impediunt eos ab occasione peccandi vel pericula ab eis non avertunt, quantum in ipsis est; si delinquentes non corrigunt; si negligentes necessaria ad salutem non monent vel ad ea addiscenda non adducunt[1].

[1] Iuxta can. 1335 «heri ... obligatione adstringuntur curandi, ut omnes sibi subiecti ... catechetica institutione erudiantur».

2. Si non dant iis convenientia *alimenta et mercedem iustam;* si hanc, quando famuli fideliter serviverint, non dant tempore consueto, nisi in dilationem famulantes consentiant. Est autem merces iusta, quae spectatis circumstantiis loci et temporis pro tali ministerio eiusmodi hominibus pendi solet; estque triplex, alia summa, alia media, alia infima. Minorem quam hanc famulo dare domino non licet, etsi hic paupertate coactus se locaverit vel res arbitrio domini sine conventione explicita fuerit relicta, nisi forte ministerium sit tale, pro quo nihil exigi darique soleat praeter honestam sustentationem victumque convenientem, vel nisi herus aliquem receperit potius misericordiae quam obsequii causa hocque illi indicaverit. Ceterum sicut copia mercium saepe imminuit earum pretium, sic copia famulantium horum salarium, quod praeter convenientem sustentationem solvitur, potest imminuere, ita ut modo iustum sit, quod alias iustum non fuisset.

3. Si famulos *ante tempus sine iusta causa,* quae sit ex parte famulorum, ex servitio *dimittunt,* vel ita tractant, ut cogantur antea discedere. Atque in hoc utroque casu tenentur solvere mercedem integram, per se loquendo, et famulos servare indemnes.

4. Si *negant salarium* vel eius partem, eo quod nolunt vel non possunt eorum opera uti, v. gr. quia heri sunt infirmi aut aliunde impediti, nisi aliter conventum sit. Alias enim, cum per famulos non stet, quominus operam suam praestent, potius heri ex casu fortuito quam famuli innocentes damnum ferre debent. In hoc casu, si famulus locaret operam suam alteri ad tempus, stipendium pro ea cederet domino impedito, quia opera illius temporis illi debetur, ergo et pretium eius; neque damnum pateretur famulus, quod compensari deberet (*Lacroix* l. 3, p. 2, n. 1050; *Laymann* l. 3, tr. 4, c. 22, n. 3). Quodsi herus monuisset vel imperasset famulo, ut interim operam suam locaret alteri, hic vero id neglexisset, detrahi famulo posset, quantum domino decedit.

Putat quidem *Lessius*[1] libertatem se locandi interim alteri, famulo concessam, esse pretio aestimabilem, ideoque aliquid pro ea, si alteri non se locarit, posse detrahi; at libertas illa, ut recte observat *Molina*[2], est parum aestimabilis, nisi famulus reapse alteri se locare potuit, sed libertatis amans noluit.

5. Si famulis *aegrotantibus* ad breve tempus pro consuetudine loci non dant alimenta; quia, si consuetudo ita habet, tacite ad id in conducendis famulis se obligarunt. Attamen infirmis non tenentur solvere medicinas; immo si conductus, v. gr. ad annum, aegrotaret diu, v. gr. ad duos vel tres menses, in rigore herus nec alimenta tamdiu nec totum salarium, sed pro rata temporis tantum dare teneretur. Hic quando graviter, quando leviter tantum peccent heri, determinandum est ex gravitate vel levitate materiae, ut in aliis iniuriis. *Compluribus tamen locis huic rei provisum est legibus positivis et instituto assecurationis, cui inscribendos curare debent heri famulos seu operarios conductos: quo fit, ut in casu morbi et infortunii vel in hospitio curentur vel certum salarium recipiant. Assecurationum praemia quae vocantur quoad maiorem partem solvere quidem debent domini, quod pro aliquo salarii complemento haberi licet, cuius ius lex publica famulantibus tribuit. Quapropter domini si omiserint curam inscribendi conductos famulos, contra eos peccant, atque in casu infortunii famulis re ipsa id debent, quod hi alias ab instituto assecurationis accepissent. Cui consonat ipse usus tribunalium.*

Ceterum non peccant heri timendo et invigilando, ne a famulis defraudentur, quia timor fundatur in periculo communi.

150. Si circumstantiae id ferant, *monendi* sunt *domini,* ut suae obligationi satisfaciant, famulantes benigne tractent, non appellent verbis contumeliosis; eorum errata corrigant, leviora

[1] De iustit. et iure l. 2, c. 24, n. 9.
[2] De iustit. et iure disp. 493, n. 1.

quandoque dissimulent, memores humanae fragilitatis; eorum famae consulant nec defectus aut vitia divulgent, nisi forte caritas postulet, ut revelentur alteri, cui illi suam operam deinceps vellent addicere; quo etiam in casu plus non est dicendum, quam quod conducit ad cautelam heri futuri.

QUAESTIO II.

*Praenotanda. Quae dicta sunt numeris prioribus et quae in hac *Quaestione* dicuntur, respiciunt famulos, qui ad tempus transeunt in familiam domini, in aedibus domini habitant et aluntur, sive pro servitio personali domini conducti sunt, sive pro variis laboribus in rebus domini praestandis. Nam quod alios operarios attinet, qui conducuntur quidem ad praestandos labores pro salario, non autem alimenta recipiunt, sed ceteroqui sunt sui iuris, postea, quando sermo erit de operariis et opificibus, complura specialia notanda sunt.*

Quae sint obligationes famulantium.

Quid debeant circa oboedientiam, obsequium, damnum avertendum. — Salarium; occulta compensatio; in rebus domini tractandis fidelitas eiusque defectus. — Observantia praeceptorum Ecclesiae, impedimenta contra ea a dominis creata. — Cooperatio in peccatis.

151. Resp. Tenentur 1. oboedire heris suis in iis, quae spectant ad bonos mores, et in iis, ad quae se obligarunt vi contractus. 2. Praestare fidele obsequium heris suis, quale ordinarie ab eiusmodi famulis exigi et praestari solet. 3. Quod etsi possit esse exactissimum, quale solent exhibere diligentissimi, et medium, quale solent diligentiores: satisfaciunt tamen suae obligationi, nisi aliter conventum sit, si praestant infimum iustum, seu quale solent praestare diligentes, ita ut non vergat in desidiam. 4. Manere in obsequio dominorum tempore, de quo conventum est, nisi causa interveniat, ex qua pro consuetudine loci liceat discedere. 5. Non uti rebus dominorum vel eas distrahere ipsis rationabiliter invitis, cavereque eorum damna pro ratione officii sui. Unde deduco:

152. 1. Peccat famulus, si negligens est et *servitium iustum saltem infimum* praestare *omittit.* Et in hoc casu tenetur domino de damno emergente et lucro cessante; item si ante

tempus sine iusta causa discedit aut relicto ante servitio non redit. Verum si dominus nullum ex discessu damnum patiatur, non poterit famulo per se negare *totum* salarium, quia dignus est operarius mercede sua pro tempore, quo laboravit (*Lugo,* De iustit. et iure d. 29, n. 56); potest tamen negare post iudicis sententiam, *vel etiam quando vi legis exsistentis ipsi licet iudicis interventum invocare, siquidem leges hoc modo discessum iniustum possunt punire: attamen de *iniusto* discessu clare debet constare,* vel si famulum redeuntem nolit, ubi non tenetur, recipere.

2. Si *non impedit damna domini sui.* Non impediens semper quidem peccat contra caritatem, cum facile et sine gravi incommodo potest impedire neque facit; contra iustitiam autem et cum obligatione restituendi in defectu aliorum, si damna non impedit in iis, quae ipsi specialiter sunt commissa. Sic cui commissa est cella, granarium, penus, hortus, culina vel tota domus: hic tenetur de damnis, quae eius culpa sunt illata istis rebus vel ab ipso non impedita, cum impediri potuissent. Si autem non impedit in iis, quae ipsi specialiter commissa non sunt, etsi, ut dixi, peccare possit contra caritatem, probabiliter tamen non peccat contra iustitiam, ideoque ad restitutionem non tenetur; nam illa obligatio nimis difficilem redderet famulatum, neque videtur imposita. Admittunt hoc omnes, si damna inferantur a domesticis; negant vero *Lugo, Tamburini*[1], *Lacroix,* si ab extraneis inferantur rebus dominorum, circa quas solent occupari famuli, ut sunt res omnes domesticae, fruges agrorum etc., eo quod sit communis persuasio videaturque esse iuris gentium, quod cuilibet famulo res domini sui commissa sit contra iniurias externorum. *Verum neque *Lugo* (De iust. et iure d. 19, n. 106) neque *Lacroix* (Theol. mor. l. 3, p. 2, n. 46) absolute pronuntiant, famulum, cui specialis cura rerum commissa non sit, si damnum ab homine extraneo inferendum

[1] Decal. l. 8, tract. 4, c. 2, § 6, n. 8.

non impediat, teneri ad restitutionem: quamquam Lugo dicit, *verius* eum teneri, Lacroix, *probabilius*. Uterque tamen fatetur, contrarium sentiri ab aliis magnae auctoritatis theologis, ut a *Molina, Azor, Bonacina* etc., qui nimirum ea ratione ducuntur, quod soli ii negative cooperantes ad damnum restituere debeant, qui ex munere suo seu ex iustitia curam istarum rerum gerant; at non evinci, recte dicunt, famulos ex munere suo constitui custodes omnium rerum domini sui relate ad extraneos; si enim vi muneris sui hanc curam domino debent, debent eam etiam contra famulos socios, si qui furentur vel damnificent — id quod nemo dixerit, nisi agatur de rebus sub speciali cura certi famuli constitutis. Quae magis etiam nostra aetate licebit tenere, eo quod vinculum familiale inter famulos et heros, in quo severior illa sententia nititur, non amplius ita arctum est ut prioribus temporibus, immo famuli parum iam a conductis operariis diurnis distinguuntur.*

3. Si *exigit salarium summo iusto maius;* admittere tamen potest a domino liberali plus, quam mereantur eius opera, siquidem sunt magnates, qui putent ad decus suae familiae spectare, ut suis plus solvant.

4. Si salario iusto infimo, de quo pactus est, non contentus *praetendit se plus mereri* et *utitur occulta compensatione,* ordinarie peccat pro gravitate materiae. Nam, ut occulta compensatione uti liceat, requiruntur hae conditiones: 1) Debitum debet esse iustitiae, idque certum et nunc vel saltem proxime praesens: quia in dubio, an alter mihi aliquid debeat, ipsum sine iniustitia privare re sua non possum. 2) Res, quae accipitur, debet esse debitoris, non alterius, ipsi commodata vel apud ipsum deposita. 3) Res, quae accipitur, si fieri possit, debet eiusdem esse speciei ac res mihi debita, ne dominus cogatur rem aliam cum re mihi debita commutare. 4) Debet compensatio fieri sine damno debitoris et tertii. 5) Debitum non debet posse facile impetrari alia via. Prima autem conditio, quae praecipua est, raro adest

in famulis; hi enim saepe amore lucri excaecati persuadent sibi, se minus iusto accipere, cum tamen sint alii, qui eadem mercede servituri essent. Angustiae temporum saepe imminuunt salarium; et quod huic decedit, non raro compensatur per alios favores, instructionem, spem commodi, cuius intuitu ab initio renuntiarunt famuli maiori salario. Quae omnia cum saepe sint ignota, generatim non est permittenda famulis occulta compensatio, etsi dicant, sibi esse evidens, se iusto minus accipere, sed iubeantur dominis causam suam exponere et cum illis convenire, ut aut plus accipiant aut permittatur quaerere alium dominum. Innocentius XI damnavit hanc propositionem 37^mam^: «Famuli et famulae domesticae possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam maiorem iudicant salario, quod recipiunt.» Haec propositio, si vera esset, sicut iacet, aperiret ostium furtis plurimis. *Ut igitur occulta compensatio locum habeat, requiritur, ut *constet* de iniustitia illa, non ex opinione famuli et operarii, sed ex iudicio prudenti et maturo.*

5. Si *res domini, ipso inscio et rationabiliter invito, expendit* etiam in bonum eius, v. gr. si famulus equis, ut eos vegetos et pingues conservet, clam frumenti plus apponat, quam velit dominus. Facilius tamen in tali casu excusabitur a mortali peccato et ab onere restitutionis, nisi valde magna quantitate modum excesserit; quia totum cessit in bonum domini, qui etiam facilius praesumitur non exigere in tali casu restitutionem. Sic etiam excusatur ancilla, si de accepta pro emendis pecunia, ubi minoris emit, partem restantem reservet in bonum domus alias impendendam, ne a domina reprehendatur, ubi carius emendum erit; nam talem iniustam reprehensionem subire non tenetur. *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 1043.

6. Si in *itineribus vel negotiis* pro hero gestis *plus consumit,* quam necesse sit et herus permiserit, quia heri censentur tantum consentire in sumptus honestos et necessarios.

7. *Si missus, ut quid emat, id sibi emit heroque dein vendit carius;* quia tenebatur nomine heri emere, hinc ei tenetur ad restitutionem. Idem est, si rigide mercatus detractam de pretio communi pecuniam sibi retinet; quia illa manet sub dominio domini, neque sibi eam pro industria appropriare potest, quia emit nomine heri, qui ex iustitia ipsi nihil debet pro industria, quam non exegit, sed quam famulus libere adhibuit. Idem dicendum est communiter, si iussus pretio ab hero determinato emere, minoris emit, vel iussus vendere pluris vendit, et quod superat taxam, retinet; quia herus censetur pretium constituisse, ne famulus pluris emeret vel minoris venderet, nisi de contrario constet. *Ratio in omnibus istis negotiis ea est, quod famulus nomine heri agat; proin commodum et lucrum ex actione oriundum pro domino esse debet. Per se idem valet de proxenetis et commissariis, qui pro aliis negotia, emptiones et venditiones peragenda susceperunt; nihilominus hi facilius per accidens aliquando lucrum extraordinaria diligentia vel industria factum pro se factum habere possunt, si revera, in diligentia ordinaria utilitatis eius qui mandaverat procurandae non deficientes, in extraordinaria occasione lucri *proprio nomine* negotium egerunt (quod, cum habitualiter plane sui iuris sint, aliter ac famuli atque facilius possunt) et dein ipsi cum mandante novum negotium sincero animo inierunt.

*In famulis autem et commissariis alii quoque modi habendorum lucrorum occurrere possunt atque non raro reipsa occurrent. Ipsi venditores non raro praemiis datis famulos atque mandatarios alliciunt, vel etiam de pretio rerum, quas emerunt, aliquid remittunt, dicentes: «Hoc tibi, non domino tuo, remittimus.» Possuntne haec revera ut dona retineri, cum certo constet, propter eiusmodi dona pretium rerum, quae venduntur, ita augeri deberi, ut donis istis non obstantibus venditores iustum lucrum faciant? Quod ad dona attinet, si immoderata non sunt, facilius haec transmitti possunt;

haec communi consuetudine fiunt, atque ratio ipsa adest, cur famulis dentur eo, quod saepe in eorum arbitrio est, quem malint mercatorem adire, cum apud complures aeque bene emere et domini utilitati prospicere possint. — Quod pertinet ad partem pretii remittendam in favorem non domini sed mandatarii, res periculosior est. Nam si alii venditores sunt, qui hoc remissiore pretio res domino vendant, sane domino infertur damnum, quando plus solvere debet, idque non sine culpa famuli; quare famulus ita procedere non potest, sed domino lucra facta debet cedere. Facilius fieri potest, ut mandatario seu commissario, qui pro compluribus dominis negotia tractanda suscepit atque *multa* coemere solet, intuitu tantae copiae rerum, quas emit, pretium diminuatur ultra id, quod singulis emptoribus remitti soleat. Quod si ita est, atque ceteroquin pretium *a domino* solvendum non superat illud, quod cum ordinaria diligentia mandatarius, quantum potuit, infimum assecutus esset, non constat de iniustitia, quando commissarius lucrum sibi concessum retinet. Cavendum tamen est a fraude et illusione, cum facile eveniat, ut commissarius revera apud alios mercatores eo pretio pro domino res emere possit, quod alter dicit solius commissarii intuitu se ita vile constituisse.

*Si famulus accepta a domino pecunia rationes persolvit, et creditor ex oblata sibi summa aliquid remittens id expresse *famulo* remittit, hic illud sibi retinere potest; alias remittitur in favorem domini et famulus domino reddere debet. Quod etiam per se fieri debet, si famulus proprio marte minus pecuniae solvendo obtulit, quam rationes indicant, et creditor contentus silet; nam in hoc casu totum negotium nomine domini absolvitur et famulus domini negotium utiliter gerit, non suum; aliter, si creditor animadvertens summam minorem dixerit: «Reliqua dono *tibi*», vel etiam si consuetudo famulis in hac re aliquid indulgeat.

*Ceterum si munera eiusmodi et dona, quae a venditoribus creditoribusque domini dantur, magna sunt, facillime

sternunt viam ad corruptionem, qua inducatur famulus vel mandatarius ad prodendum suum officium, ut videlicet defectus rerum tegat, pretium maius domino imponat atque similibus fraudibus contra dominum suum cooperetur. Quae, si fiant, iustitiam laedere atque restituendi onus secum ferre patet.*

8. Si accepta ab hero *pecunia missus*, ut eam offerendo alium *avertat a damno hero inferendo*, ipse illum verbis bonis avertit et nihilominus *retinet pecuniam*. Ratio est, quia primario missus est, ut nomine heri damnum averteret, nec voluntas heri fuit, ut offerret pecuniam, si aliter averti posset; si vero putavit aliter placari inimicum non posse, error fuit, quo ductus pecuniam tradidit famulo.

9. Si famulus ab hero accepit 300 nummos aureos, ut certo creditori debitum exsolvat, et *commutat illos cum lucro in aliam monetam* debitumque solvit, non peccat lucrum retinendo; quia pecuniam non commutavit nomine heri, sed lucrum est fructus industriae nomine famuli adhibitae. Excipe, nisi expresse dominus voluisset illas pecuniae species tradi creditori, aut sibi reservasset lucrum, vel potuisset ideo a creditore plus obtinere. Similiter quaestor, si negotiatur, domino inscio, cum eius pecunia sine damno domini, periculumque in se suscepit, potest lucrum retinere; quia, cum pecunia de se non sit frugifera, fructus ex ea censetur esse industriae; potest tamen et in hoc et in priore casu peccari contra observantiam domino debitam, uti v. gr. si, re cognita, merito crederetur id aegre laturus. Non videtur tamen graviter, idque contra iustitiam, quaestor peccare, etsi dominus prohibuerit, quia hac agendi ratione non facile laeditur graviter ius proprietatis domini.

*Utrum grave an leve tantum peccatum committatur, pendet a variis circumstantiis. Si pecunia domini *nulli periculo* exponitur, neque ullum est periculum, ne dominus forte carituras sit pecunia, quando ad alios usus ea uti voluerit: generatim exigui temporis usurpatio illa pecuniarum in quae-

store, cui alioquin pecuniae concreditae sunt, est veniale tantum peccatum. Si vero pecuniae summa esset *valde* magna, periculum vix aberit, atque peccatum in grave transire potest, cum in tali casu dominus rationabiliter sit graviter invitus.*

10. Si famulus ab hero missus, ut *heri nomine recipiat pecuniam a debitore* eius, *hanc permutat,* peccat et lucrum debet dare hero, quia eo ipso, quod tradebatur famulo, erat pecunia heri, qui censetur illam per famulum possidere. Contra pecunia solvenda creditori in priore casu (n. 9) nondum huius erat. Vide alium casum apud *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 1047.

11. Peccant graviter famuli et ancillae, si *esculenta in notabili quantitate extraneis vendunt* vel *donant;* quia domini sunt graviter inviti quoad substantiam, quod patet ex eo, quod graviter indignentur, id rescientes, detrahant partem salarii et quandoque ex domo famulos dimittant; et merito, quia illa licentia magnis damnis exponit dominos et famulos pervertit, ut inter quisquilias numerent, quae reservanda sunt mensae familiae. Peccant quoque, si cibos de mensa sua residuos vendunt aut donant extraneis, quia merito censentur domini inviti. Si tamen cibi ordinarii non pretiosi nec ad alteram mensam reservari soliti dantur pauperibus, qui quandoque iuvant in laboribus domesticis, id excusatur a culpa saltem gravi; nam domini non censentur ita rationabiliter inviti, saltem quoad substantiam, utpote talibus obligati, saltem ex caritate vel gratitudine. Immo si cibi alias corrumperentur vel porcis obicerentur, vel si hera parcissime remuneraret operas externorum, non peccaret ullo modo ancilla moderate illos pro bono domus in pauperes collaborantes erogando.

12. Si accipiunt famulantes *victualia pretiosa,* vel quae solent recludi neque ipsis dari, eaque absumunt, peccant pro gravitate materiae, nisi domini hic et nunc prudenter praesumantur contenti. Si autem accipiunt victualia non pretiosa

et quae statum illorum non excedunt omnino nec recludi solent, neque domini id rescientes contradicant, red rogati facile concedant, signum est, non esse invitos quoad substantiam. Sciunt, inquit *Lugo* (De iustit. et iure d. 16, n. 78), non posse exspectari a famulis, ut de rebus, quas tractant, nihil manibus adhaereat. Non est tamen hic laxanda famulantium libertas, sed potius restringenda, ne in abusum abeat[1], monendique sunt, ut heros suos aliquando interrogent, quid sibi liceat in iis rebus. Quandoque enim sibi persuadent licere, quae agere non licet; v. gr. putat ancilla vel famulus pistoris, sibi licere mane pro ientaculo sumere similaginem, inscio hero, eo quod ientaculum sibi debeatur; at facile errare potest, nisi intellexerit voluntatem heri sui, qui forte vult, suos esse contentos alio ientaculo. Et quamquam censet *Lessius*[2] furta minuta famulorum ex comestibilibus ordinariis, quae famulis dari solent nec recluduntur, non coalescere ad constituendum peccatum grave: id tamen non extendendum est ad alia, v. gr. vinum in cella vel panes, qui venales prostare solent, praesertim si damnum successive valde grave inferatur.

13. Peccant, si *dant* pauperibus *eleemosynas, domino rationabiliter invito,* de bonis eius; non tamen, si darent pauperi in extrema necessitate constituto, neque si dant id, quod sibi subtrahunt a victu, paucioribus contenti, cum laboribus adhuc apti maneant; cavendum tamen, ne, si sibi subtrahant de prandio in gratiam pauperum, ideo in cena plus absumant. Nec videntur peccare, si dant modicum et raro, aut in iis adiunctis, in quibus dominus non possit esse rationabiliter invitus, ut si res periret alioquin; nec denique, si prudenter praesumitur consensus domini, uti praesumitur, si famulo est commissa administratio.

[1] Quodsi aliqua restitutio imponenda fuerit, haec eo modo, sed quam primum, fieri potest, ut famulus diligentiore ac diuturniore labore, ad quem per se non teneatur, damnum illatum compenset. *

[2] De iustit. et iure l. 2, c. 12, dub. 8, n. 48 sq.

14. Peccant, si ab heris iussi sine rationabili causa diebus festis *laborant serviliter,* aut *Missae non intersunt,* ut vitent reprehensionem aliquam vel rixam; secus, si ob incommodum iudicio prudentum grave [1] ita agunt, quia cum hoc Ecclesia ad ista non obligat. Quae etiam illis permittit, ut illis diebus vestes necessarias reficiant a prandio, si aliis diebus id non possunt aut non permittuntur facere, et ut Sacrum omittant, si debeant custodire pecora vel domum, ideoque Sacro interesse non possint.

15. Peccant, si *servitium suum addicunt haereticis* cum periculo probabili perversionis, aut sine pacto, ut ipsis permittatur servare praecepta Dei et Ecclesiae. Nam exponere se periculo proximo probabili incidendi in haeresin, est intrinsece malum et nullo incommodo excusatur a peccato; unde si hoc successu temporis immineret, discedendum esset; pactum autem, de quo dictum est, non adicere, est se exponere periculo proximo praecepta Ecclesiae plerumque non observandi, ut sunt praecepta diebus festis audiendi Sacrum, non laborandi serviliter, abstinendi a carnibus diebus vetitis [2]. In horum autem valde frequenti violatione non excusantur, nisi ob grave incommodum, quale fuerit, si non possit haberi dominus catholicus, aut ille tantum, a quo non sit accepturus nisi dimidium salarium. Aliud esset, si raro impedirentur a Sacro, neque aliud quidpiam obstaret, quia etiam a dominis catholicis quandoque impediuntur. Si singulis mensibus

[1] Grave incommodum est, si famulus iuste timet dimissionem, ita ut non habeat unde vivat. Quando igitur ad ea adigitur, quibus lex Ecclesiae laedatur, sine iusta causa, non tamen ex odio religionis, ipse excusatur, si modo serio quaerat aliud servitium, donec servitium aliud invenerit. *

[2] In regionibus mixtis non raro permittitur per dispensationem generalem mandati quadragesimalis, ut famulis apud acatholicos constitutis liceat diebus alioquin abstinentiae consecratis carnes edere, si cibi esuriales non praebentur. Quodsi ita est, ratio, quod lex abstinentiae servari non possit, causa non amplius est, cur famulus catholicus obligatus sit e servitio acatholici heri recedere. *

bis impedirentur ab auditione Sacri, impedimentum esset frequens respectu anni. Si tamen id secum ferret officium, v. gr. si quis deberet custodire pecora, excubias agere, in mari navigare longiore tempore, itinera agere per loca haeretica: non obesset, quia talia etiam famulantes apud catholicos excusant. Qui ex legitima causa famulatum suum addixit domino haeretico, si apponuntur carnes diebus vetitis, non tenetur quidem solo pane esse contentus, etiamsi generali dispensatione instructus non sit, sed potest vesci carnibus, cum protestatione tamen, se ex necessitate id facere ideoque id permitti ab Ecclesia. Si tamen ille haberet unum ferculum esuriale iustae quantitatis praeter panem, illicite vesceretur carnibus, quia famuli etiam apud catholicos diebus esurialibus eiusmodi prandio debent esse contenti. Neque excusat periculum irrisionis, sed necessitas, ita ut aliter non habeat debitam sustentationem vel laborem debitum non possit peragere. Neque licet ex voluntate domini sui cooperari ad haeresin, v. gr. ministeria ad haeresin spectantia ordinare etc. *Ceterum cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor. I [12] 809 sqq.*

16. Peccant famuli, si directe formaliter aut moraliter proxime *heris suis cooperentur ad peccandum,* v. gr. si concubinam conducant, invitent ad actum turpem, literas ad eam deferant, quas sciunt turpem continere amorem; quia sic interpretative volunt peccatum. *Videlicet eiusmodi literas deferre, certe non licet ob solam rationem famulatus; sed cum cooperatio sit *non formalis,* ex causa gravissima, eaque sola id licebit.* Licite tamen possunt facere indifferentia, quae remote tantum se ad peccatum habent et iis ex officio incumbunt, v. gr. diebus vetitis coquere et apponere carnes, quia illa cooperatio est tantum remota et famulantes ex officio debent eiusmodi obsequia dominis, quibus ipsis, quod carnes comedant, imputatur, non famulo. Ex quo tamen nolim inferas, similia statim licere aliis, a famulatu liberis. Nam caupo illicite dat vinum se inebriaturis

ex eo praecise, quod petatur, aut ipse alias sit carituras lucro ex eo vino. *S. *Alphonsus* (II, n. 69) caupones tamen excusat «ob metum cuiuscumque gravis damni, puta si alias notabiliter laederentur ex diminutione emptorum».* Immo famulis non licet ratione famulatus eam cooperationem praestare, quae sit per actiones seorsim spectatas indifferentes quidem, quae tamen collective sumptae per se et propinque conducunt ad peccatum. Vide thesin damnatam 51 ab Innocentio XI.

*Thesis illa damnata est haec: «Famulus, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, et multoties ei subservit deferendo scalam, aperiendo ianuam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.» Agitur hic ex una parte de ianua *vi* aperienda, in inferendo gravissimo damno innocenti; ex altera parte causae, quae pro famulo afferuntur, ne adeo quidem graves sunt, immo incommodum sane leve «ne torvis oculis aspiciatur» ista thesi dicebatur causa sufficienter excusans — quae omnia illius thesis falsitatem clare ostendunt. Inde tamen perperam concluditur, semper graviter peccari, etiam ab eo, qui ex gravissima causa cooperationem non formalem quidem, at proximam materialem praestiterit.*

153. *Monendi* igitur sunt famuli et famulae: 1. ut heris suis sint fideles oboedientesque propter Deum, cuius auctoritate domini mandant; ne divulgent, quae domi fiunt; apud externos heros suos ne contemnant; alia, quae ex famulatu et officio hominis christiani praestare debent, ut fideliter impleant.

2. Si ancilla vel famulus se accusat de mendaciis, eo quod iussus a domino dixerit quandoque, dominum non esse domi, cum revera adesset: instruendus est, ut verbis utatur eo modo, quo vitetur mendacium. De quo in *Reuter,* Theol.

mor. P. 2, a n. 239. *Nimirum poenitens dedocendus est: ipsa enim illa verba potest adhibere sine mendacio, cum ex communi usu verba haec alium sensum non prae se ferant, nisi dominum domi non esse ad alios recipiendos — quod verum est, si noluit in negotiis suis vel quiete sua turbari.*

QUAESTIO III.

Quae sint obligationes pastorum aut parochorum et specialia illorum peccata.

Debita scientia. Obligatio: residendi in paroecia; administrandi sacramenta, praesertim tempore morbi; instruendi paroecianos; bono exemplo praeeundi; offerendi Missam pro populo.

154. Resp. 1. Tenetur parochus habere *scientiam* et *linguae necessariae notitiam,* quantum requiritur ad officia rite implenda; nam obligatio faciendi involvit obligationem sciendi.

2.[1] †Tenetur parochus ante possessionem aut in ipso possessionis beneficii capiendae actu coram Ordinario loci eiusve delegato *professionem fidei emittere:* alioquin non facit fructus suos (can. 461 et 2403).†

3. Tenetur *residere in paroecia,* ita ut ei non liceat intra annum ab ea abesse sine causa rationabili et licentia episcopi ultra bimestre; alioquin peccat graviter teneturque fructus restituere respondentes illi tempori, etiam ante sententiam iudicis; ita enim statuit Trid. sess. XXIII, c. 1 de ref.[2] Probabile tamen est, quod docent *Bonacina*[3] et alii, illum non teneri restituere nisi fructus respondentes residentiae neglectae, cum parochus fructus percipiat non

[1] Quae auctor n. 2 de parochis non-sacerdotibus asseruit, expuncta sunt, utpote nunc temporis practico momento carentia.

[2] Etiam can. 2381, n. 1. — Ordinarius parochi, qui residentiae legem negligat, impensis providere debet, ne salus animarum detrimentum patiatur iuxta can. 2168, § 1.

[3] Tract. var. disp. 5, punct. 4, n. 5.

tantum pro residentia et oneribus illi annexis, sed etiam pro horis recitatis aliisque officiis: hinc, si horas recitat et alia officia per alium explet, poterit fructus *his respondentes* percipere. *Consentit *S. Alphonsus* (IV, n. 127, dub. 4), restituendos esse tantum fructus *residentiae respondentes.**

†Ipsa lex residentiae nunc compendiose et clare exhibetur in codice iuris canonici. Etenim canon 465 ita habet:

«§ 1. Parochus obligatione tenetur residendi in domo paroeciali prope suam ecclesiam; loci tamen Ordinarius potest iusta de causa permittere, ut alibi commoretur, dummodo domus ab ecclesia paroeciali non ita distet, ut paroecialium perfunctio munerum aliquid inde detrimenti capiat. — § 2. Eidem abesse permittitur per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos, nisi gravis causa, iudicio ipsius Ordinarii, vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat. — § 3. Dies, quibus parochus *piis exercitiis* (spiritualibus) vacat . . ., *non* computantur, semel in anno, in duobus vacationum mensibus, de quibus in § 2. — § 4. Sive continuum sive intermissum sit vacationum tempus, cum absentia ultra hebdomadam est duratura, parochus, praeter legitimam causam, habere debet Ordinarii *scriptam licentiam* et *vicarium substitutum* sui loco relinquere ab eodem Ordinario probandum; quodsi parochus sit religiosus, indiget praeterea consensu Superioris et substitutus tum ab Ordinario tum a Superiore probari debet. — § 5. Si parochus *repentina* et *gravi* de causa discedere atque ultra hebdomadam cogatur abesse, quam primum per litteras Ordinarium commonefaciat, ei indicans causam discessus et sacerdotem supplentem, eiusque stet mandatis. — § 6. Etiam pro *tempore brevioris absentiae* parochus debet fidelium necessitatibus providere, maxime si id peculiaria rerum adiuncta postulent.

†Si parochus illegitime abest, *eo ipso* privatur fructibus beneficii pro tempore illegitimae absentiae (can. 2381, n. 1);

illegitima autem (iuxta can. 2170—2172) censetur absentia, quae nititur causis non legitimis. Quodsi causae sint in se legitimae, absentia quoque, licet Ordinarii licentia non habeatur, adhuc legitima censetur. Ad absentiam ultra bimestre «gravis» requiritur causa (can. 465, § 2).† Eiusmodi quadruplex assignatur a Tridentino [1]: 1) christiana caritas, ut si exigat gravis necessitas proximi; 2) urgens necessitas, ut gravis infirmitas corporis, compositio litis de iuribus beneficii; 3) oboedientia; 4) evidens Ecclesiae vel reipublicae utilitas. †Ex quacumque autem causa parochus ultra hebdomadam abest, debet substituere alium idoneum; si breviore tempore, id fieri convenit, sed hoc in casu supplere potest vicinus parochus. Etiam ad absentiam vel unius diei ferialis (a mane usque ad vesperam), etsi nullus sit infirmus, convenit petere vicinum parochum, ut pro quocumque casu talis absentiae suppleat, et monere paroecianos, ut ipsum adeant, si necessitas ingruat. †Non obest continuae residentiae, si divertat ad viciniam, v. gr. ad funus, officium anniversarium aut etiam recreationis causa eadem die reversurus; aliter, si saepe per noctem remaneret.

4. Tenetur *sacramenta administrare,* quoties necesse est aut paroeciani rationabiliter petunt [2]. Unde tenetur: 1) curare, ut nullus infans sine *baptismo* decedat [3], ac proinde instituere obstetrices [4], ut sciant in necessitate rite conferre baptismum, et si prudens dubium aut suspicio sit de valore baptismi ab iis collati, sub conditione rebaptizare: quod ut, sicut oportet, exsequatur, examinanda est obstetrix, qua materia, qua forma sit usa, quae pars corporis infantis sit abluta, quomodo processerit, num perturbate et festinanter, num

[1] Sess. 23, de reform. c. 1. [2] Can. 467, § 1.

[3] Can. 770: Debet parochus frequenter commonere fideles de gravi eorum obligatione curandi, ut infantes quam primum baptizentur.

[4] Can. 773: «Curet parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant.»

bene meminerit formam totam esse prolatam. Dein volentibus ex sola etiam devotione *confiteri*[1] et *communicare* tenetur parochus satisfacere sub mortali, dummodo ne nimis frequenter[2] petantur ea sacramenta neque sit alius, qui praebeat. Tempore pestis vel alterius morbi contagiosi, etiam cum periculo vitae, tenetur sacramenta ministrare suis. *De hac obligatione parochi tempore contagionis cf. *Lehmkuhl*, Theol. mor II[12] 51. Videlicet per se *gravis* obligatio administrandi sacramenta non est nisi quoad ea, quae sunt necessaria, i. e. baptismum et poenitentiam (vel pro casu extremam unctionem); convenit autem, ut etiam s. viaticum detur. Ita ex S. C. C. responsis. — Dein ex eadem S. C. C. non licet parocho tempore pestis recedere, etiamsi relinquat vicarium idoneum; licet ei tamen sibi curam sanorum reservare, si vicarius paratus est atque sufficienter potest exercere curam aegrotorum. Paroecianorum curam sic distribuere, ut et aegroti et sani habeant, ad quem confugiant, potest esse consultum[3].* Unde peccat mortaliter, si tempore pestis vel belli lateat vel fugiat. Ratio est, quia, sicut miles pro proelio, sic ille pro tali necessitate conductus est et bonus pastor debet pro ovibus suis ponere animam suam.

Hinc peccat graviter, si per eius negligentiam aliquis moriatur sine sacramentis, ut si scit, posse esse morale periculum mortis, et nihilominus vel longe abest vel per crapulam se ineptum reddit ad succurrendum, vel si non vult surgere, atque ita infirmus moriatur aut periculum probabile sit, ne moriatur sine sacramentis. Hinc novus pastor tum initio curae suae tum quando ingruunt morbi contagiosi vel tales, qui

[1] Can. 892.

[2] Nimis frequens non est confessio hebdomadaria vel communio quotidiana (can. 863): attamen non videtur constare de gravi peccato, si quotidie communicare volenti semel tantum vel bis in hebdomada communio negetur.

[3] Haec quidem in novo iure non enuntiantur, sed cum sint explicatio comprehensiva obligationis et cum novum ius cum vetere congruens ex iure antiquo aestimandum sit (can. 6), illa obligatio adhuc subsistere videtur.

mentem soleant cito evertere, nuntiet suis ex suggestu, se diu noctuque praesto fore ad sacramenta necessaria administranda, proinde ne vereantur noctu se advocare. Caveat quoque pastor, ne nimis fidat viribus infirmi, neve differat sacramentum, imprimis poenitentiae, quia morbi, corpore debilitato, mentem facile evertunt, ita ut infirmi aut plane non, aut minus vel dubie apti fiant ad sacramentum poenitentiae. Sed neque satisfacit suo officio pastor, si suos sacramentis iam munitos postmodum deserat eosque neque ipse neque per alium amplius visitet; cum enim vicinioribus morti maior instet a daemone tentatio et salutis periculum maiorque corporis animique deiectio, tunc vel maxime tenetur parochus eorum saluti consulere.

*De hac cura pro moribundis confer monita Ritualis Romani tit. 5, c. 4 et 5, atque etiam S. C. C. die 23 Martii 1879, ex quo apparet, officium parochi esse, ut pro diversis circumstantiis moribundo in ipso etiam mortis articulo sive per se sive per alium sacerdotem assistat; quod si fieri nequeat, ut saltem pium hominem laicum inducat ad moribundum hoc gravissimi momenti tempore iuvandum, sed eum, qui rite instructus sit et noverit actus fidei, spei, caritatis et etiam perfectae contritionis cum moribundo elicere. Vide *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[12] 821; Acta S. Sedis XI 189 sqq.*[1]

5[2]. Tenetur parochus suos *pascere salutari doctrina,* docendo eos necessaria ad salutem, facere bonum et declinare a malo. Unde, licet non teneatur ad conciones oratorias, utpote plebi saepe parum utiles, tenetur tamen tum ad

---

[1] Can. 468, § 1: «Sedula cura et effusa caritate *debet* parochus aegrotos in sua paroecia, maxime vero morti proximos, adiuvare, eos sollicite Sacramentis reficiendo eorumque animas Deo commendando.» Habet ex § 2 facultatem dandi infirmis benedictionem apostolicam cum indulgentia plenaria; «quam impertiri ne omittat».

[2] Quae auctor n. 6 de sacerdotibus parochis habitualibus habet, utpote fere obsoleta (cf. can. 452), expuncta sunt.

catecheses tum ad adhortationes populo accommodatas easque frequentes, ita ut, si notabiliter sit negligens, peccet mortaliter.

†Accuratius hac de re disponitur can. 1344: «§ 1. Diebus dominicis ceterisque per annum festis de praecepto proprium cuiusque parochi *officium est*, consueta homilia, praesertim intra Missam, in qua maior soleat esse populi frequentia, verbum Dei populo nuntiare. — § 2. Parochus huic obligationi nequit per alium habitualiter satisfacere, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam. — § 3. Potest Ordinarius permittere, ut sollemnioribus quibusdam festis aut etiam, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur.» Additur can. 1345: «*Optandum*, ut in Missis, quae, fidelibus adstantibus, diebus festis de praecepto in *omnibus* ecclesiis vel oratoriis *publicis* celebrantur, brevis Evangelii aut alicuius partis doctrinae christianae explanatio fiat; quodsi loci Ordinarius id praeceperit, opportunis datis instructionibus, hac lege tenentur non solum sacerdotes e clero saeculari, sed etiam religiosi, exempti quoque, in suis ipsorum ecclesiis.» Iuxta can. 1346, § 1 locorum Ordinarii curare debent, ut tempore Quadragesimae, itemque, si id expedire visum fuerit, tempore Adventus, in ecclesiis paroecialibus sacrae conciones frequentius habeantur.

†Can. 1329—1332 parochis «gravissimum officium» imponitur, *catecheticam institutionem* curandi, non solum puerorum ante primam confessionem et communionem et ante confirmationem, et postea quoque perfectiore et uberiore instructione, sed etiam totius plebis per sermones catecheticos diebus dominicis et festis habendos. Ad puerorum institutionem etiam aliorum clericorum, immo et laicorum, si opus fuerit, cooperationem exigere potest vel, si ipse legitime sit impeditus, etiam debet. Ordinarius religiosos quoque, licet exemptos, ad idem opus requirere potest.†

Tenetur parochus etiam instruere, si qui sunt, qui ad templum nequeant accedere, ut custodes pecorum aliosque, qui sunt in gravi necessitate.

6. Tenetur, cum suo etiam incommodo et quandoque cum periculo vitae, adhibere, quam potest, diligentiam, ut *suorum peccata* tum publica tum occulta *impediat,* quia cum Christo pactus est curam et sollicitudinem gregis.

7. Tenetur sub gravi peccato *suis esse bono exemplo,* quia alias est gravi scandalo, cum plebs existimet se satis bonam, si non sit peior suo pastore; alioquin perdit etiam auctoritatem, et conciones atque admonitiones erunt inefficaces. Proinde ostendat opere, se suos vere amare in Domino; absit ab omni specie avaritiae omnique suspicione amoris impuri; caveat lites cum suis quoad potest, nec ullam suscipiat, nisi prius ostenderit, se ad eam cogi. Quibus potest, benefaciat in vita; quae post mortem relinquit heredibus, raro prosperantur; apud suos auctoritatem et paternam gravitatem servet etc.

8. Tenetur parochus diebus Dominicis et festis de praecepto fructum medium seu ministerialem Sacrificii applicare suis paroecianis. Quae obligatio parochorum *applicandae Missae* pro populo comprehendit etiam festos suppressos, videlicet omnes dies festos catalogi Urbani VIII, addito festo Immaculatae Conceptionis die 8 Decembris. † Parochorum nomine veniunt etiam vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti (can. 451, § 2, n. 2), i. e. vicarius oeconomus, qui vacante paroecia ab Ordinario loci constituitur (can. 472, n. 1; can. 473). Quasi-parochus i. e. ille sacerdos, qui distinctae parti territoriali alicuius vicariatus apostolici vel praefecturae apostolicae ut peculiaris rector assignatur, Missam pro populo applicare debet festis Nativitatis Domini, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis B. V. M., S. Ioseph (19 Martii), SS. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum (can. 306).

In festo Nativitatis Domini et si quod festum de praecepto in diem dominicam incidat, satis est Missam unam applicare (can. 339, § 2).

Si festum ita transfertur, ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa applicanda est in die *ad quem;* secus in die *a quo* (ib. § 3).

Parochus, qui plures forte paroecias aeque principaliter unitas regat aut, praeter propriam paroeciam, aliam vel alias in administratione habeat, unam tantum Missam pro populis sibi commissis diebus praescriptis applicare debet (can. 466, § 2).

Ordinarius loci iusta de causa permittere potest, ut parochus Missam alia die pro populo applicet (ib. § 3).

Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia paroeciali, nisi rerum adiuncta aliud exigant aut suadeant (ib. § 4).

Legitime absens parochus potest Missam applicare vel ipse per se in loco, ubi degit, vel per sacerdotem, qui eius vices supplet, in paroecia (ib. § 5). †

QUAESTIO IV.

Quae sint obligationes paedagogi, praeceptoris, ludimagistri, discipulorum.

155. Resp. Inter hos et discipulos eadem fere est obligatio, quae inter parentes et filios. Unde 1. Tenentur suorum discipulorum profectum promovere in literis, bonos mores eos docere, et si officio suo desint, non adhibendo diligentiam iustam, qualem diligentes solent adhibere, tenentur de damno neque salarium saltem integrum faciunt suum. 2. Tenentur discipulorum pericula peccandi avertere, peccata quoad possunt corrigere, iis bono exemplo praelucere et iusto minervali esse contenti. Ratio est, quia tacito contractu discipulos admittendo ad ista se obligarunt; unde haec negligendo peccant contra iustitiam.

*Circa horum peccata specialia notanda sunt haec, quae tum ad magistros, tum suo modo ad magistras puellarum spectant: 1. Paedagogi iique praeceptores seu magistri, qui praeter scientiam discipulis debeant educationem, sive *loco* parentum sive *cum* parentibus, speciali modo peccant, i. e. duplicis malitiae peccato, si quem ex alumnis seu discipulis seducant vel ei utcumque scandalo sint.

2. Quod non solum spectat bonos mores presse sumptos; sed etiam gravissime contra munus suum delinquunt, si animos puerorum instituant ita, ut eos avertant a religione et fide catholica, si dubia contra fidem moveant, de Ecclesia vel sacerdotibus male loquantur atque ita iam a tenera aetate animos a fiducia erga ecclesiasticos superiores atque a religionis exercitio alienos reddant.

3. Quae religionis et fidei pericula facilius etiam creantur, quando educatio iam censetur finita, in scholis scilicet altioribus, ubi diversarum scientiarum disciplinae a professoribus tractantur. Certe etiam hi ex munere suo debent sanam tradere doctrinam, gravissimeque peccant, si falsis, acatholicis, atheisticis doctrinis mentes iuvenum imbuant, vel etiam liberalismi falsi doctrinis addicti iura civitatis extollere, Ecclesiae iura discipulos spernere doceant.

4. Etiam peccari potest personarum acceptione ac fraudulento suffragio in examinibus dato: sive ex aversione alicui, qui idoneus sit suffragio, minus faveant, sive ei faveant eumque aptum pronuntient, qui aptus non sit ideoque futuro muneri satisfacere non valeat et damna vel privatis vel bono publico illaturus esse praevideri debeat.*

Discipuli vero tenentur praeceptoribus oboedire in iis, quae ad studia et bonos mores pertinent, tempus studiis destinatum bene impendere, stipendium a parentibus pro praeceptoribus missum iis tradere; sunt enim a parentibus subiecti praeceptoribus, tenenturque parentibus obsequi: unde, si in his notabiliter deficiunt, peccant graviter, v. gr. si tempus valde notabile male impendant.

QUAESTIO V.

Quae sint obligationes tutoris, curatoris, pupilli et minorennis.

156. Resp. *Tutor* est constitutus, ut pupilli seu impuberis personam et bona loco parentum gubernet et administret; *curator,* ut curet bona minorennis seu puberis necdum 25 annos nati. *Haec quidem est distinctio iuris Romani; recentiora iura eam vix norunt, definiunt etiam aetatem maiorennitatis anno 21° expleto vix non omnia iura recentiora, quo munus curatoris desinit.* Tenentur 1. ex iustitia bona illorum administrare ea cura, quam diligens paterfamilias propriis suis rebus adhibere solet, tam ut emolumenta proveniant, quam ut damna avertantur; alioquin tenebuntur etiam in conscientia compensare, saltem si cum notabili negligentia culpa theologica gravis intervenerit. Ratio est, quia suscipiens tutelam vel curatelam per contractum tacitum ad illa obligationem suscepit. Unde, si pecunias minorum convertunt in suos usus, tenentur de lucro ex sua culpa cessante et damno emergente; si fructus, quos ex eorum bonis percipere poterant, sua culpa non perceperunt, tenentur compensare; quamquam possint ex eorum bonis donationes praecise remuneratorias, quas gratitudo a pupillis aut eorum utilitas postulat, facere; non possunt tamen facere gratiosas. 2. Tenentur bonorum inventarium conficere et singulis annis, et quando officium deponunt, rationes reddere. 3. Tenentur gerere curam personae sibi commissae et, imprimis tutor pupilli, providere, ut bene educetur, bonis moribus, artibus scientiisque convenientibus instruatur.

Econtra *pupillus* tutori et *minor* curatori suo tenentur oboedire, idque usque ad annos maiorennitatis completos; neque donare possunt vel alienare sine consensu tutoris vel curatoris, nec hereditati, legatis, fideicommissis aliisve iuribus renuntiare (nisi minor sit religionem ingressus) sine auctoritate iudicis, nec sine hac aliquid de bonis suis vendere tutori vel curatori aut personis illi subiectis, nec cum consensu illorum

alienare bona immobilia, vel mobilia pretiosa, quae servando servari possunt[1]. Neque pupillus infans seu septennio minor se alteri aut alterum sibi obligare potest; alias minor potest sibi alium, non se alteri obligare firmiter[2]: qui tamen dona a minore accepisset, probabiliter non teneretur reddere, nisi legitime cogeretur, quia donatio probabiliter subsistit interim iure naturae. *Lugo*[3] et alii.

* CAPUT ADDITITIUM.

De dominis seu patronis et de opificibus conductis.

Obligationes patronorum: quoad mercedem solvendam, assecurandos operarios, pericula ab illis avertenda; quoad pretium rerum confectarum; consilia vitae christianae. — Obligationes operariorum quoad contractum et operistitium, quoad laborandi sedulitatem.

Quae auctor sequenti capite notat de mercatoribus atque opificibus, certe etiam nostra aetate valent. Verum confectio et negotiatio mercium nunc saepe latiore et ampliore modo exercentur quam prioribus saeculis; ac proin in plane novis conditionibus etiam norma recti et iusti indaganda atque servanda est. Quod eo gravioris momenti est, quoniam opifices, etsi non sint famulis pares, maximam partem ex statu libertatis, in quo olim ad arbitrium suum laborabant et operam praestabant, ad conditionem magis servilem depressi sunt, coacti, ut ad alienum arbitrium pro mercede laborent. Quae rerum mutatio graves lites gravissimaque periculà excitavit atque totam societatem humanam eo periculosius concutit, quo magis etiam mores fidesque christiana coeperunt iacere.

[1] Quid et qua forma curatores et minores cum eius consensu agere possint, accuratius quilibet ex legibus suae regionis cognoscere debet. *

[2] Haec omnia iura statuunt, ut minores sine consensu curatoris non possint se firmiter obligare, ita ut contractus initus revocari seu rescindi possit in favorem minoris. Attamen id non impedit, quominus minor, si revera contra tertium fraudem commiserit, in conscientia ex fraude teneatur ad reparandum damnum, si vere *damnum* fuerit hoc modo causatum. *

[3] De iustit. et iure disp. 22, n. 286 sqq.

Eo magis igitur christianis tum patronis tum operariis incumbit, ut ipsi saltem leges iusti ac recti, quae ex novo rerum ordine nascuntur, fideliter servent.

Sacerdotes curam animarum exercentes et confessarii ad haec praecipue attendant:

156 a. I. *Patroni* seu *domini* 1. mercedem saltem eam debent, qua operarius se sustentare possit, nisi forte ad tempus cum proprio damno laborantes ex sola misericordia operarium admittant; sed ne haec quidem ratio excusat, si haec damna lucris aliorum temporum compensantur, ita ut tum saltem caritas postulet mercedem sufficientem. *Excultis* operariis sane plus debetur.

Immo generatim merces pro operario valido debet esse merces familialis rite intellecta. Explico: Dicitur: 1) merces ea esse debet, ut indicetur, quae debeat esse norma ex iustitia exigenda: nam merces datur vi commutationis pro re praestita, non ex liberalitate et misericordia ad arbitrium dantis. 2) «Pro operario valido»; nam iustitia sumitur ad normam communem; si quis igitur communes labores praestare non potest, miseriam patitur christiana caritate et misericordia sublevandam. 3) «Merces familialis rite intellecta»; nam stultum esset dicere, cum familia crescente salarium patrisfamilias, cuius labor idem maneat, crescere debere; sed familialis merces sic intelligitur, ut operario valido, sive matrimonio iunctus est sive non, illud salarium debeatur, quod sufficiat, ut suo tempore condere familiam eamque ordinariam alere possit eo usque saltem, quo secundum communiter contingentia solus pater sit, qui una cum cura domestica uxoris familiae membris providere possit: — filii adulescentes sane iam adiutorium aliquod familiae praestare possunt, et quamdiu sub potestate paterna constituti manent, iussi a patre etiam debent.

2. Si publica potestas patronis imposuit obligationem, ut curent assecurandos operarios suos contra casus infortunii, morbi, senii atque laborandi ineptitudinem, patronus hoc

praestare debet; quare si ex eius negligentia operarius damnum incurrerit, patronus id compensare tenetur, quod non solum lex naturalis in conscientia dictat, sed ipsa tribunalia ex positivae legis interpretatione iudicarunt.

3. Aliquando leges certas quasdam cautelas atque res in fabricis et officinis construendas praescribunt ad praecavenda pericula operariorum. Quae, si alias vera pericula exsistunt, fideliter praestari a patronis debent. Ceteroquin ea saltem instituere debent, quae moraliter loquendo periculum gravis infortunii removeant. Quae autem removeri nequeunt, diligentia operariorum sunt cavenda, ita tamen, ut pro graviore periculo, quod labor susceptus secum ferre soleat, salarium ultra id, quod soli labori respondeat, sit augendum.

4. Magis etiam provideri debet a patronis, ne animi pericula ab operariis subeantur. Hinc invigilare debent, vel fidos homines ad id constituere, ne inter operarios sint seductores, qui aliis scandalo sint; incorrigibiles regulariter plane sunt relegandi, cum aliter vix innoxii reddi possint. — Quamquam patronis saepe non ea cura incumbit singulorum operariorum, ut efficaciter eos inducere debeant ad implenda officia christiana, tamen tenentur his officiis implendis non ponere obstacula. Quare peccant, si sine necessitate diebus Dominicis aut festis operariis labores imponunt, vel etiam si eos permittunt; si, quando labores necessarii sunt, eos non ita, cum possint, disponunt, ut saltem Sacro praecepto operarii interesse possint etc.

5. In vendendis rebus confectis non peccat quidem patronus quasi ex pretio excessivo, etsi propter singularem peritiam vel industriam lucrum aliis longe maius faciat, dummodo teneat pretium vulgare ex communi concursu vendentium effectum; peccare tamen potest per conventionem cum aliis patronis ex quadam monopolii specie, sicut infra n. 158, 8 explicabitur.

Non raro fit, ut ipsi domini, utpote membra societatis anonymae, quae officinas illas et fabricas tenet, nullam curam

circa opera et operarios habeant, sed lucris suis quotannis dividendis contenti desidem vitam agant, in res curiosas et quotidiana oblectamenta intenti.

Hi sane non agunt vitam christianam exemplarem. Verum quod non strenue laborent, sed divitiis suis iuste acquisitis vivant, nondum peccatum est. Confessarius tamen imprimis videre debet: 1) num officia boni patrisfamilias impleant, suis invigilent neque periculosa oblectamenta iis permittant; 2) num igitur ipsi saltem abstineant a frequentatione spectaculorum graviter obscoenorum vel quae sibi sint gravi periculo; 3) num in augendas divitias ita incumbant, ut de iustitia mediorum parum sint solliciti, earum etiam associationum industrialium partem habentes, quae fines illicitos prosequantur: 4) num francomurariorum aliisve prohibitis societatibus sint addicti.

Quodsi his aliisve gravibus peccatis obnoxii non reperiantur: confessarius *suadendo* et *multum commendando* insistat: 1) ut vitam etiam communi bono utilem ducant atque ita in divino servitio copiosiora merita sibi colligant, quae alii gravioribus laboribus comparare sibi debent: nostra aetate occasiones non desunt; 2) ut largis eleemosynis atque opitulatione eorum, qui egestate sive corporali sive spirituali premuntur, amicos in coelis sibi faciant: hoc modo ipsos sibi faciliorem reddere rationem, quam Deo debeant de administratione bonorum temporalium, quorum dominos quidem ipsos esse quoad homines, quoad Deum solos oeconomos; immo etiam apostoli munere ipsos ita fungi posse; 3) ut aliquoties saltem in honorem Dei ab aliquo oblectamento etiam licito abstineant et Christo crucifixo aliquo saltem modo conformes se reddant; cui quo magis fuerimus conformes, eo fidentius in gloriae consortes nos fore licebit sperare.

156 b. II. *Operarii* debent 1. stare contractui iuste inito, ne ante tempus labores deserant neve maiorem mercedem postulent, neve occulta quadam compensatione mercedem augeant. — Quodsi *constaret* de contractus iniustitia domino-

rumque maiore lucro, compensatio quaedam occulta iniustitiae condemnari non posset.

2. In ipso praestando labore debent rebus domini attendere, ut nihil inutiliter consumant, sed utiliter res domini curent cura saltem ordinaria. Quo pertinet, ne fraude utentes colludant cum aliis, qui ex contractu res necessarias afferre vel construere debent, atque horum favore iniusto plus notent rerum consumptarum vel acceptarum, quam reipsa consumptae vel receptae sunt; ne deteriores res pro domino approbantes recipiant, quam quae ex contractu sunt debitae. — Pertinet eo etiam, ne res pro abiectis et derelictis habeant et sibi assumant, quae reipsa domino etiam sunt utiles.

3. Si pro diurno salario laborant, laborare debent tempore laboribus destinato diligentia saltem ordinaria; si pro rebus confectis salarium maius minusve recipiunt, cavere debent, ne cum dispendio qualitatis rerum quantitatem augeant atque defectus arte vel fraude tegentes res deteriores pro melioribus exhibeant.

4. Quamquam observato tempore contractu concesso contractum solvere atque labores deserere possunt, ut obtineant conditiones meliores, generatim tamen dominis impares sunt in acceptandis contractus conditionibus; nihilominus accidere potest, ut etiam ipsi operarii, conventione cum aliis facta, necessitate domini abutantur ad extorquendum salarium iusto maius — quod sane iniustum est.

5. Verum si rationabiliter iudicant, salarium esse minus quam conveniat, iustitiam non laedunt, si etiam conventionem cum aliis ineuntes et post contractus tempus elapsum operam suam negantes inducant dominos ad salarium augendum, intra tamen limites iustitiae; immo si rationabiliter putent, salarium hucusque infra iustitiam haesisse, illudque ad solos infimos iustitiae limites efferre volunt, possunt quadam morali coactione erga alios operarios uti, ut faciant eos consentientes, non autem violentia.

6. Si demum *aperte constiterit* de salario iniuste parco sive de aliis contractus iniustitiis neque domini post interpellationem iis mederi voluerint, licebit etiam non exspectato

termino contractus ex communi consensu et conventione labores deponere atque ita conari, ut ad conditiones iustas concedendas domini cogantur.

7. Haec quidem quoad iustitiam solam valent. Verum illa operistitia ex aliis rationibus dissuadenda et quantum fieri poterit cavenda sunt. Praeterquam quod operarii in hac lite raro vincunt, multa graviaque mala eam comitantur: odia, irae, violentiae, dein diuturnum otium omniaque vitia, quae otiositas parere solet. Quapropter et ad pacem publicam tuendam et ad privatum bonum operariorum promovendum clerus, quantum possit, eo laborare debet, ut, si lites inter operarios et patronos oriantur, hae amice vel per arbitros componantur, immo ut arbitrorum tribunal e numero patronorum atque operariorum desumptorum constituatur, ad quod lites exorituraе deferantur atque cuius sententia hae lites cum auctoritate seu cum utriusque partis obligatione finiantur.

Ceterum eiusmodi homines confessarius consolari debet et erigere exemplo Christi et intuitu praemiorum aeternorum, ut supra notatum est n. 115.*

CAPUT VII.

De confessario mercatorum, opificum, militum.

Pretium iustum triplex. Causae, ob quas liceat pluris vendere et minoris emere. Monopolium. Vitia rerum detegenda.

Horum obligationes et specialia peccata observanda sunt confessario, ceterum tractandi pro ratione capacitatis et conditionis suae secundum ea, quae supra sive de rudibus, sive de dominis et subditis, sive de coniugibus etc. diximus.

QUAESTIO I.

Quae sint obligationes et peccata mercatorum specialia.

157. Resp. I. Tenentur sub peccato pro gravitate materiae et sub onere restitutionis in venditione *non excedere pretium iustum* seu adaequans valorem rei, quod generatim duplex

est, nempe *legale* seu legitimum, quod lege vel decreto principis vel magistratus statutum est, et naturale seu *vulgare,* quod communi hominum aestimatione constituitur. *Legale* censetur iustum, quoties non constat principem vel magistratum in eo determinando esse muneribus, odio aut ignorantia crassa inductum, consistitque in indivisibili, quia statuitur fixum et determinatum ab uno vel pluribus idem sentientibus, et observari debet ex iustitia et sub onere restitutionis, *saltem generatim loquendo (exceptiones vide apud *Lehmkuhl,* Theol. mor. I [12] 1326)*; quamquam pretium, quod tunc est iustum, potest mutatis circumstantiis fieri iniustum et tunc desinere obligare in conscientia. Pretium autem *vulgare* non consistit in indivisibili, quia statuitur a diversis diversa sentientibus. Hinc aliud est *summum* seu rigorosum, aliud *medium* seu moderatum, aliud *infimum* seu pium; quanta autem inter ista possit esse distantia, non potest una regula definiri. In communi venditione, quando pretium medium sunt decem, infimum erunt novem vel octo et dimidium, summum undecim vel undecim et dimidium; et ita in ceteris, cum proportione semper paulo minus accipiendo [1]. Sic *Lessius* [2] censet, si medium pretium sint centum, infimum fore nonaginta quinque, summum centum et quinque; sunt quidem qui hanc distantiam inter pretium summum illud et infimum putent esse nimiam. At *Lugo* [3] putat, hodiedum etiam maiorem apud mercatores in usu esse; unde standum communi usui timoratorum. *Quare de iniustitia non constabit, si quis rem medii pretii 50 marcarum emat 45 marcis vel vendat 55, rem medii pretii 100 marc. emat 90 vel 110 vendat. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I [12] 1329.* Quod autem triplex illud pretium vulgare iustum sit, ex eo est, quia pretium desumitur ex affectu et aestimatione communi; de hac autem non satis constat in omnibus nisi cum

[1] S. Alph. (III 804) assignat pretium iustum inter 4–6 (medium 5), inter 8—12 (medium 10), inter 95—105 (medium 100).

[2] De iustit. et iure l. 2, c. 21, n. 11. [3] De iustit. et iure disp 26, n. 39.

quadam latitudine, cum alii centum, alii centum et quinque, alii nonaginta novem iudicent pretium iustum esse, quorum aestimationes cum probabiles sint, consentiunt homines, eas sequi licere. Ceterum pretium decrescit ex copia mercium et raritate emptorum; crescit vero ex penuria mercium et ementium copia, ex modo vendendi, speciali et rationabili affectu vendentis, impensis, periculis, laboribus ad merces comparandas conservandasque communiter necessariis, ex lucro cessante vel damno emergente, quod venditor in gratiam ementis subit. Unde deduces:

158. 1. Qui erga rem specialiter afficitur, v. gr. quia est antiqua, vel quia a principe vel a maioribus eam accepit, potest eam carius vendere, quam communiter venditur res similis, modo id indicet ementi, quia privatio illius affectus et oblectationis in gratiam alterius est pretio aestimabilis, cum sit cum molestia coniuncta; pretium tamen illud debet esse prudenter moderatum et proportionatum affectui rationabili, non vero immoderato. Dixi: «modo id indicet ementi»; quia secus hic consentiet tantum in pretium rei secundum se spectatae, non in excessum extrinsecum, forte non empturus, si sciret, rem secundum se tanti non valere; alioquin facile etiam alios postea decipiet.

2. Licet quoque pluris vendere, si vendens re valde indigeat vel merito sibi timeat damnum ex eo, quod nunc vendat, aut quod lucrum cesset: v. gr. si merces, quas in aliud tempus servare decreverat, quo probabiliter pluris erant valiturae, vendit in gratiam alterius, aut vendit merces, quas cogetur postea carius emere, potest iuste exigere praeter pretium compensationem damni ex alienatione rei in alterius favorem secuturi vel lucri ex ea cessantis. Debent tamen deduci expensae, quas venditor facturus erat ad servandas merces usque ad statutum tempus, et aestimatio diminutionis, deteriorationis et periculi mercis in id tempus servandae; alias plus haberet ex venditione illa, quam postea esset habiturus. Debet quoque venditor emptori dicere, ideo se plus

exigere, ne plus det ignorans, forte alias apud alium aut omnino non empturus.

3. Potest quis convenire cum emptore, ut solvatur pretium sive maius sive minus, quo res valebit eo tempore, quo decreverat vendere postea, sed etiamtum deducendae sunt expensae.

4. Qui res vendunt minutim et in parva quantitate, possunt pluris aliquanto vendere, quam qui simul et in magna quantitate vendunt, quia maiores labores, impensas, operas et curas iis conservandis et distrahendis debent impendere; quibus quia liberantur vendentes in magna quantitate, possunt merces in magna quantitate minoris emi.

5. Quae auctione publica seu sub hasta venduntur, admittunt pretium, quod sine vi, fraude et dolo obtineri potest; hinc possunt pretio magno vel parvo, etiam infra vel supra dimidium pretii, quo emerentur in officina, emi et vendi; quia sic usus et communis consensus praescripsit. Dixi: «sine vi, fraude et dolo»; quia cum his emi vel vendi non possunt sine iniustitia, ut, si fictus licitator a venditore subornetur, qui pretium augeat in gratiam eius, aut si emptor alios impediat, ne pretium augeant, vel si ab emendo vi aut fraude avertat. *Quaenam industriae adhiberi possint sine iniustitia, aliquo modo pendere potest a consuetudine, non tamen omnino. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12] 1336 sq.*

6. Merces obtrusae extra officinam, ut si quaerantur emptores aut rogentur, possunt emi minore quam infimo pretio, quia merces ultro oblatae vilescunt; tunc enim vel non sunt admodum utiles vel necessariae, vel est raritas emptorum, vel periculum, ne vitium contraxerint; idem est, si res sit emptori parum utilis vel hic emat in gratiam vendentis; verum aliud exigere potest caritas. Neque enim licet vilius emere res pauperum, quas necessitate compulsi venales proponunt, eo solum praetextu, quod venales *offerantur*. Immo ob necessitatem praecise, qua proximus rem suam vendere cogitur, non potest sine iniustitia pretium imminui. *Videlicet imminuere pretium non licet, nisi revera per talem

ultroneam oblationem rerum pretium communi aestimatione decrescat; non autem per eam decrescunt eae res, quae solent pro utilitate vel commodo mentium offerri ostiatim vel afferri in domos singulorum. Relate ad res, quae ultronea oblatione soleant decrescere, paupertas venditoris ratio quidem non est, cur ex iustitia plus solvere debeam; potest esse ratio, cur caritas suadeat vel etiam iubeat per modum eleemosynae pretium solvendum augere. Cf. *S. Alph.* III 802 et *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12] 1330.*

Similiter non licet pretium augere ob necessitatem vel utilitatem emptoris, quia nec necessitas emptoris auget nec venditoris necessitas minuit valorem rei. Hinc iniuste pluris vendas mihi domum tuam meae contiguam, quia mihi perutilis vel grata sit; licite tamen vendes iusto pretio summo, quia quilibet illo, utpote iusto, per se loquendo, res suas vendere potest. *Haec sententia per se tenenda est. Attamen si non de necessitate, sed de speciali utilitate emptoris agitur neque venditor alias habet animum vendendi, hodie viget satis late etiam apud homines ceteroquin timoratos usus pretium augendi, atque utilitatem istam ex re orituram aliquo modo distribuendi. Quod etsi ante factum non approbem, durum tamen est, si factum fuerit, id iniustitiae incusare.*

7. Possunt mercatores carius vendere etiam indigenis, quando ad locum venit aula principis, vel magna hominum copia affluit, quia crescente numero emptorum crescit pretium vulgare.

8. Sciens pretium mercis brevi auctum iri, licite eam emit in magna quantitate, ut postea carius vendat, quia pretium currens est iustum, et emens utitur iure, quo et alii uti possunt; sic Ioseph (Gn 41, 35) fecit in Aegypto. Similiter, qui scit pretium brevi imminutum iri, potest pretio currente suas nunc vendere carius. Item, qui scit pecuniae valorem brevi imminutum iri, potest suam valore currente exponere, *scilicet si sine fraude et dolo hanc singularem notitiam habuerit, cum communiter res ignoretur. Posse autem magistratus vel viros publicae auctoritatis, a quibus ista mutatio

pendeat vel qui vi officii sui in eiusmodi negotio occupentur, hac notitia uti vel cum amico communicare, ut harum rerum mercaturam cum lucro agant, plane illicitum dici debet, utpote bono communi graviter adversum. Auctor quidem hoc loco proposuerat mitiorem opinandi modum; attamen ea res, cum temporibus auctoris rara omnino esset et quasi per accidens, tum facilius poterat transmitti; nunc vero omnium opinione id ita reprobatur, ut etiam legibus sit personis publicis interdictum mercaturam earum rerum agere. Sed etiamnunc teneri potest per se non peccare eum, qui eas res, quas per accidens habet, currente pretio vendat, nisi aliter iubeat caritas, aut qui res ad proprios usus emat, quando scit pretium mox augeri. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12] 1328.* Peccari tamen potest contra caritatem, ut si quis pauperibus venderet copiam rerum, quarum pretium scit brevi imminui, quia caritas exigit, ne lucri tui causa proximum conicias in gravem necessitatem.

Si quis sciens pretium mercium brevi augendum emeret omnes, censent complures eum illicite agere, quia privata auctoritate constitueret monopolium, quod iure gentium videatur illicitum. Contradicunt probabiliter alii, quia non impedit alios, quin simul emant; ideoque per accidens est et ex aliorum incuria, ipsum solum posse res tales vendere. Si tamen per mendacium induceret alios, ne emerent, peccaret contra iustitiam, quia quilibet ius habet, ne per fallaciam impediatur a bono. *Si de rebus communi usui necessariis agitur, quae solent habere pretium iustum variabile inter limites satis arctos conclusum, monopola, etsi non ipso monopolio peccet, tamen peccat contra iustitiam, quando potestate sua per monopolium acquisita abutitur ad statuendum pretium maius, quam alias, scilicet si monopolium non haberet, pretium summum iustum exstiturum esset; immo etiamsi non auget ultra pretium istud summum, sed summum illud ab omnibus postulat, contra caritatem erga pauperes peccare potest, eo quod *iis* grave detrimentum creet. Cf. *Lehmkuhl,*

Theol. mor. I[12] 1332 et modo infra 9. — Hinc nostris temporibus peccari potest conventione eorum, qui certis rebus producendis et vendendis quasi dominantur, quando conventio eo tendit, ut in rebus communi usui necessariis pretium ultra iustum augeant, quo cum incommodo et damno egenorum ipsi divitias ingentes accumulent; aliter, si conventio eo tendat, ne mutua aemulatione pretium infra iustum deprimatur.*

9. Si mercatores conspirent, ut nemo ex illis certam mercem vendat, nisi certo pretio, v. gr. sex florenis, hocque iustum sit, non peccant contra iustitiam. Peccant tamen iuxta *Lugo* (De iust. et iure d. 26, n. 174 sq.) contra caritatem, quae exigit, ut nemini suadeas aliquid in damnum alterius; sicut exigit, ne dissuadeas, ut alter pauperi non det eleemosynam. Negat tamen *Castropalao*[1], quia caritas non exigit, ne quaeram lucrum meum iustum, etsi alter ideo illud non accipiat. Sicut pauper potest suadere diviti, ut sibi det eleemosynam, etsi ideo alius non sit accepturus. *Quae sententiae contrariae hoc sensu videntur conciliari posse, ut dicatur 1) non peccari, neque contra iustitiam neque contra caritatem, si conventio eo tantum tendat, ne res vendatur communiter infra illud pretium, quocum pro venditoribus iustum lucrum consistere possit, neque tamen prohibeatur pretium per modum eleemosynae demittere in favorem pauperis. Nam haec conventio aliquando necessaria esse potest, ne, quando adeo multi venditores sint, iniquo concursu alter alterum evertere studeat, inferiore pretio interim contentus. 2) Dicendum tamen peccari contra caritatem, si in rebus communibus omnium usui necessariis conveniatur de exigendo semper pretio *summo*. Nam hac ratione multi, non solum ii pauperes, quibus per eleemosynas subveniendum est, detrimentum subibunt atque incommodum non leve; quod ne civibus generatim inferatur, caritas videtur vetare. Cf. *S. Alph.* III 817, qui de solo

[1] Op. mor. P. 7, tract. 23, disp. 5, punct. 34, n. 3 sq. Castropalao eiusmodi conspirationem dicit esse contra caritatem et iustitiam.

pacto circa pretium *summum* exigendum loquitur atque illud pactum ex *communi* theologorum sententia peccati gravis contra caritatem damnat.* — Si tamen unus alios vi, fraude vel dolo induceret ad tale pactum, peccaret contra iustitiam; sicut et is, qui fraude impediret, quominus merces aliae adveherentur, ut sic suas carius venderet.

10. Si princeps mandet suo quaestori, ut statim vendat v. gr. centum modios tritici, hicque sciens pretium brevi auctum iri, illos emit pretio currente et pecuniam statim numeret: lucrum, quod postea facit, licite retinet, quia non minus ipsi quam aliis licet emere et lucrum facere, neque eius scientia auxit pretium.

11. Qui vendit ultra iustum pretium, eo quod emptor plus offerat, non excusatur ab iniustitia, nisi constet excessum illum liberaliter donari, ut faciunt aliquando principes; quia emens communiter vult tantum emere iusto pretio, nec praesumi potest velle eum excessum liberaliter donare, nisi notum sit ipsi iustum pretium et adsit aliqua iusta causa, v. gr. consanguinitas, affinitas, amicitia, absit vero fraus et coactio.

12. Non licet iusto pluris vendere iis, qui non soluto pretio sed ad fidem emunt, nisi adsit alius iustus titulus; licet tamen, si hic adsit, v. gr. damnum emergens vel eius periculum aut molestia in impetranda solutione aut lucrum cessans [1].

---

[1] Volui integrum servari textum auctoris, tum ex aliis rationibus, tum ut appareret ex mutuo non vi conceptus et internae eius naturae fenus seu auctuarium posse accipi. Verum cum ex conditionibus oeconomicis et socialibus hodie pecuniae usus pretio sit aestimabilis, etiam carentia pecuniae pretio aestimabilis est, etiam quando de singulari damno vel lucro non constat, seu fenus annuum pro pecunia mutuo data vel concessa sumere licebit. Qua propter cum ille, qui non soluto pretio, sed ad fidem datam res suas vendit, per notabile tempus pecunia i. e. pretio rerum venditarum carere debeat, pro hac carentia sine alia ratione pretium rerum augere potest secundum computum annui fenoris illius summae, qua pretium rerum venditarum constat.

In subsequentibus nonnulla, quibus auctor fusius suam sententiam explicat, sed quae nunc usui non sunt, expunxi.*

Ratio primi est, quia intervenit hic virtuale mutuum, ratione autem mutui ut talis non licet quidquam exigere; solutio vero sine periculo et damno futura aequivalet praesenti. *Ratio secundi* est: si damnum emergat aut periculum sit non accipiendi pretii vel periculum sumptuum seu molestiae probabiliter futurae in obtinendo postea pretio, adest aliquid pretio aestimabile; proinde pro eo accipi potest, quod iudicio prudentum valet. Ex communi tamen sententia licet etiam mercatoribus ad fidem vendere summo pretio iusto, etsi vendant numerata pecunia quandoque minoris; quia summum pretium est iustum nec tenetur quis infra hoc vendere, et venditio ad fidem plerumque habet adiuncta pericula et incommoda.

159. Resp. II. Tenentur *vitare fraudes, manifestare vitia gravia et occulta* rerum vendendarum, quae adesse sciant: 1. Si tacite vel expresse interrogantur seu in genere seu in specie; quia alias dolus dat causam contractui, atque hic invalidus est; emptor enim ius habet sciendi, quam rem emat, ideoque iniuste decipitur occultato vitio. 2. Si vitium est in substantia vel in qualitate transeunte in substantiam, id est, cui affixa est mentis intentio, ita ut, ea non praesente, rem nolit emere, v. gr. si emens vitrum putes esse gemmam, vel si volenti tibi nigrum pannum ad te vestiendum, cum sacerdos sis, mittatur ruber. Debet tamen ista intentio vendenti esse manifestata vel nota. 3. Si scitur res noxia vel notabiliter inutilis ad finem emptoris. Ratio est, quia alias non proceditur sincere, sed emptor quasi dolo inducitur ad emendum, atque consensus eius est involuntarius. Unde venditor, etsi non interrogatus, si tale vitium non aperiat, tenetur emptori reddere pretium et compensare damna in confuso saltem praevisa, si quae illi vel aliis, quibus res est revendita, sint oritura; v. gr. qui vendit, etsi pretio modico, corium fragile vel pannum adustum pro durabili, equum segnem pro generoso, animal infirmum pro sano, semina corrupta pro recentibus, carnes infectas, ovem morbidam, qua

grex inficiatur, ligna vitiosa, unde aedes corruant, bovem aptum quidem ad macellum, ineptum tamen ad aratrum, quando eum ad hoc quaeri scitur etc. Dixi 1: «vitium occultum»; nam apertum et manifestum regulariter non tenetur venditor manifestare, sed sufficit, ut pretium, prout debet, imminuat, quia vitium manifestum censetur notum emptori, et si non advertat, sibi imputare debet. Excipe, nisi emptor esset tam rudis et hebes, ut manifesta etiam vitia non notaret, tunc enim censerentur haec respectu illius occulta. Immo si cognosceretur emptorem etiam non hebetem non advertere vitium ipsi periculosum, teneretur venditor, etiam non rogatus, id manifestare, quia sinceritas in contractibus videtur id exigere et silentium illud emptionem faceret emptori involuntariam. Idem dicunt *Valentia*[1] et alii, si vitium adversetur intentioni actuali ementis, quia huius incuria non dat ius vendenti nec ideo emptio est magis voluntaria. Dixi 2: «vitium grave»; nam vitium occultum accidentale, si rem non reddit noxiam nec periculosam nec notabiliter minus utilem, non tenetur venditor manifestare, nisi interrogetur de vitio aut hoc repugnet fini emptoris, quia non fit iniuria emptori, et emptio est simpliciter voluntaria; debent enim omnes sic esse constituti, ut in tali casu velint emere, quia, si esset obligatio ultro talia vitia manifestandi, cessarent commercia humana; multi enim non possent vendere et deterrerentur a mercatura in magnum reipublicae detrimentum, eo quod ementes, intellecto vitio, aegrius emerent aut de pretio plus aequo detraherent. Debet tamen venditor neque hos defectus dolose occultare, et rem tanto minoris vendere, quanto minoris ob vitium valet, et cavere, ne aliis noceatur, si revendatur. Dixi 3: «si sciatur vitium»; si enim inculpabiliter venditor ignoravit, vitium manifestare non potuit. Unde non tenebitur de damnis, sed actione vel *quanto minoris* (si emptor adhuc rem empturus fuisset, sed non tanti) vel *red-*

[1] In 2am 2ae, disp. 5, q. 20, punct. 4, concl. 5.

hibitoria (si reipsa noluit emere talem rem). Quodsi venditor ignarus vitii inter contrahendum protestatus esset se nolle teneri de vitio occulto, et remisisset de pretio iuxta proportionem periculi in emptorem reiecti, ad nihil teneretur in utroque foro. Si autem vitium scivisset, nihil prodesset protestatio.

*Quae auctor hic imprimis secundum legem Romanam exposuit, quoad substantiam valent, etsi ab omni lege positiva abstrahatur, in conscientia. In difficilioribus tamen casibus leges positivae loci consulendae sunt, quae fere ubique statuunt similia; accuratius tamen definiunt, in quibusnam casibus emens possit rescissionem contractus petere, in quibus pretii diminutionem et damni compensationem, in quibus utramlibet, prout maluerit; atque etiam certum tempus statuunt, intra quod lites possint intendi et venditor de defectibus debeat cavere. Quo tempore elapso, si venditor bona fide egerit, eius obligatio cavendi de defectibus exstincta est etiam in conscientia; si vero culpabiliter egit, in conscientia propterea non liberatur.

*Ius Germanicum statuit: 1. ut venditor *cavere debeat* de defectu, qui notabilis sit spectato rei usu consueto aut contractu determinato; 2. ut haec venditoris obligatio non exsistat, quando emptor defectum, cum contraheret, noverat, nisi tum iura expresse sibi reservaverit; quodsi ex gravi negligentia emptoris defectus ab ipso ignorabatur, venditor teneatur solum, quando defectum dolose occultaverit seu tacuerit aut immunitatem rei a tali defectu positive asseveraverit; 3. ut emptor possit, pro arbitrio, propter defectus illos aut pretii diminutionem aut contractus rescissionem postulare; in eo autem casu, quo venditor defectum *dolose* tacuerit aut qualitatem, quae desit, positive asseveraverit adesse, emptor loco rescindendi contractus vel diminuendi pretii possit postulare indemnitatem. §§ 459—464.

*Quae fere cum naturali lege conveniunt, secundum quam — etsi positivae leges id non statuerint — venditor, qui

mala fide seu cum gravi culpa egit, emptori plenam indemnitatem debet praestare; alias nihilominus propter defectum rei, quam vendidit, pati debet, ut pro diversis circumstantiis aut contractus consideretur ut nullus aut pretium diminuatur.[8]

160. Ex his deduco: Peccat contra iustitiam et tenetur ad restitutionem, 1. qui sciens vendit rem vitiosam sive in substantia, v. gr. succum pomorum pro vino de vite, sive in quantitate seu pondere, numero vel mensura, sive in qualitate non minuto pretio, etsi vitium non sit noxium; quia non servatur aequalitas iustitiae inter pretium et mercem. 2. Qui vendit rem, quae brevi corrumpetur, nisi ante ab emptore sit consumenda. 3. Qui vendit bona litigiosa et vitium occultat. 4. Qui vendit pretio infimo, sed dat minorem mensuram, etiamsi manet intra limites iusti pretii, quia non stat contractui inito cum ementibus de tradenda integra mensura facitque iniuriam aliis mercatoribus, per fraudem ab iis abstrahendo emptores. 5. Qui vendit vinum, quod non fert longam vecturam, cum emens tale petiverit. 6. Qui vendit rem alia viliore mixtam pro pura, v. gr. vinum aqua mixtum vel farinam tritici mixti hordeacea, si mixtio sit noxia aut rem reddat inutilem vel deteriorem, quia iniuste decipit emptorem; si autem mixtio non est noxia nec res fit deterior vel minus utilis quam illa, quae simili pretio venditur ab aliis, censent *Molina*[1], *Sporer*[2], *Laymann*[3] licite eam vendi, dummodo proportionate detrahatur pretio; quod additur, quia res ex parte vilis non aequivalet rei ex nulla parte vili, nisi pars melior in illa mixtione esset tanto praestantior[4]. Immo *Lessius*[5] putat, si materia deterior ita per industriam admisceatur, ut res melius temperetur, posse vendi consueto pretio; verum in praxi id locum vix habet, quia quisque facile sibi persuadebit rem suam, non obstante mixtione,

---

[1] De iustit. et iure disp. 353 in fine. [2] Theol. mor. tract. 6, n. 721.
[3] Theol. mor. lib. 3, tract. 4, c. 17, n. 15.
[4] Cf. S. Alph. III 820—822. [5] De iustit. et iure l. 2, c. 21, n. 83.

manere aeque bonam, et sic via panditur fraudibus. Nec refert, quod vinum aqua mixtum forte melius sapiat, quia hoc per accidens est poteritque emptor bibiturus aquam admiscere; neque vinum mixtum fit ex se eiusdem valoris cum puro, sed in se est deterius, citius acescit et ad plures effectus est minus utile, unde minuendum pretium pro ratione mixtionis. Idem dicendum de aliis fraudibus, ut si quis avenam aqua perfundat, ut augeatur mensura, lanam ponat in loco humido, ut fiat gravioris ponderis; nam per artificium facit, ut merx appareat melior vel aucta, et ita vendit supra summum pretium vel carius. Qui per mendacium vel periurium, dicendo se pluris emisse, pluris aliis vendidisse etc., induceret ementes ad emendum pluris, etsi peccaret, tamen communiter non teneretur ad restitutionem, quia satis constat similia saepe a mercatoribus falso dici, unde credens sibi imputet deceptionem. **S. Alph.* III 805 recte notat *regulariter* venditores propter eiusmodi mendacia non teneri ad restitutionem, eo quod haec dicta non credantur; posse tamen esse, ut ista falsa assertio revera emptorem nullatenus illas artes suspicantem efficaciter inducat ad maius pretium solvendum: de quo si constiterit, venditorem ad restitutionem teneri. «Si aliquando», ait, «venditor certe animadverteret emptorem mendaciis credere et ideo maioris emere, tunc quidem ab iniustitia is non est excusandus.» Quod locum facilius habere potest, si venditor periurio utitur, quam si simplici mendacio; facilius, si post fidem interpellatam, quam si sponte sua mendaciter respondet.*

161. Resp. III. *Emptor* tenetur, per se loquendo, *pretium iustum saltem infimum commune* pro merce *solvere* et ignoranti pretium commune indicare, quia alias non servatur aequalitas a iustitia intenta. Ita v. gr. si venditor putaret gemmam esse vitrum vel merces integras esse corruptas. Nec securus est in conscientia emptor, si dicat: «Cupio rem istam emere sine scrupulo, visne vendere donando, si plus valeat?» et consentiat venditor. Nam cum venditor ignoret

pretium, ignorantia dat causam contractui facitque eum nullum; alias posset quivis emens iusto minoris reddi securus. *Aliter se res habet, quando ab utroque, et emptore et venditore, valor rei ignoratur. Nam si tum conveniunt de pretio, res ab utroque aleae committitur, et standum est conventioni factae.* Dixi: «iustum pretium commune»; nam si res omnium aestimatione vilis bona fide ematur et post emptionem inveniatur pretiosa, v. gr. statua inveniatur partim aurea, quae communi omnium aestimatione putabatur aenea, emens bona fide postea nihil tenetur addere, quia non fuit error in substantia spectata secundum aestimationem communem. *Simile quid occurrere potest in emptione rerum, quae apud veteramentarios exsistunt. In quibus circumstantiis, quando aliquis singulari scientia et industria detegit rem pretiosiorem, quae tamen communiter inter viles reputatur, dolose quidem non licet agere, at secluso dolo et fraude consueto vili pretio emere licet. Aliter iudicandum, si res communi quidem aestimatione magnum valorem iam habet, at a venditore ignoratum: quamquam etiamtum, si pretium est ex sola affectione eorum, qui rerum vetustarum cupidi sint, latitudo inter iustum pretium infimum et summum permagna est.*

Qui scit in agro latere thesaurum, potest agrum emere pretio communi, quia thesaurus nec pars nec fructus est agri et ad neminem pertinet. Aliud de venis metalli vel cuiuslibet aeris iudicant aliqui, eo quod sint pars aut saltem fructus fundi, proinde ad dominum pertineant. Alii tenent probabiliter eum, qui emat agrum, non teneri venditorem compensare, quamdiu venae metalli aestimentur ab omnibus, ac si ibi non essent. Sic, qui fasciculum herbarum emeret, in qua deprehenderet unam pretiosam, non teneretur pro ea aliquid addere, quia emit pretio secundum aestimationem communem. Ob eandem rationem probabiliter licet communi pretio emere agrum, etsi scias ibi esse venam metalli. Vide *Lacroix* l. 3, p. 2, n. 942.

QUAESTIO II.

Quae sint obligationes et specialia peccata opificum.

162. Resp. I. 1. Tenentur non secus ac mercatores sua artefacta non vendere supra iustum pretium. 2. Materiam sibi traditam debent conservare, superfluam non adhibere, residuam reddere, parare sibi commissa stato tempore aut ita mature saltem, ne domini damnum patiantur.

163. Resp. II. Peccant: 1. si iurant certo die opus paratum se tradituros, et graviter quidem peccant, si vere Deum vocent in testem, scientes se non facturos; si autem sincere putant fore, ut opus perfecerint, peccant saltem venialiter propter abusum divini testimonii. Si sua culpa non steterunt promissis et alter damnum inde patitur, tenentur ad restitutionem; quod notandum pro iis, qui plura suscipiunt, quam sine damno alterius praestare possunt.

2. Si ad se attrahunt fraude, dolo, mendacio famulos vel operarios ab aliis horum opera utentibus, quia ius, quod quilibet habet petendi, sperandi, impetrandi modo saltem licito bona ab aliis, per fraudem sine iniuria impediri non potest. Unde tales tenentur ad damni secuti vel lucri cessantis compensationem, uti etiam qui falso suam peritiam extollit supra alios et se peritiores deprimit. Qui tamen id faciunt sine vi, fraude, dolo et mendacio, non peccant, per se loquendo, contra iustitiam, quia utuntur iure suo, quod habent ad quaerendam utilitatem suam.

Dixi 1: «per se loquendo»; nam si quis alium sic impediret a bono ipsi ex iustitia debito, v. gr. si quis famulum, artis suae bene peritum, ab opera alteri addicta ante tempus abduceret, peccaret contra iustitiam et teneretur compensare.

Dixi 2: «non peccant contra iustitiam»; peccarent enim contra caritatem, si ex odio, vindicta vel invidia id facerent; ex quo solo tamen non oritur obligatio restituendi. Idem valet de mercatoribus.

3. Si plus materiae exigunt, quam ad opus sit necessarium; si materiam ineptam adhibent aut opus non elaborant solide, sed perfunctorie; si sutor corium adhibeat transmittens aquam, vel si suturam non rite faciat.

4. Peccat *aurifaber*, si aes pro auro vendit vel auro aut argento plus aeris admiscet, quam ars requirit, et ementes mixtionem celat nec pretium minuit; si ex rebus furtivis aliquid mala fide emit.

5. Peccat *bibliopola*, si vendit libros lascivos vel haereticos aliosve perniciosos iis, quibus legere non licet seu quibus licentiam legendi esse rationabiliter sumere non potest; si vendit sciens defectuosos pro integris.

Compactor librorum peccare quidem potest, si male exercet artem suam, si pro deteriore opere pretium exigit commune; si operam suam impendit in pravis libris compingendis sponte et sine gravi causa; nam si eiusmodi libri compingendi ei traduntur, ipse autem detractans laborem grave damnum timere debet, excusatur a peccato, eo quod praestet cooperationem ad malum materialem tantum neque adeo propinquam.

6. Peccat *caupo*, si sine iusta causa vendit vinum iis, quos probabiliter putat se inebriaturos; causa autem, per se loquendo, sufficiens non videtur carentia lucri, quod ex illo ipso vino vendendo hauriret; sufficientem putant causam *Castropalao*[1] et *Sanchez*[2], si alioquin caupo afficeretur contumeliis et gravissimis molestiis et incommodis; item, si notabiliter imminueretur affluxus hospitum, quia id decursu temporis illi esset grave damnum. Favet huic sententiae cum gravissimis auctoribus *Lacroix* (l. 2, n. 261). Idem est, si die ieiunii sine dispensatione caupo hospitibus ministrat carnes. Si tamen ii alias ad alium essent ituri et aeque peccaturi et ipse successive grave damnum pateretur, non peccaret apponendo carnes. Cf. supra n. 152.

---

[1] Op. mor. p. 1, disp. 6, punct. 14. [2] Decal. l. 1, c. 7, n. 33.

*Quod caupones attinet, etiam ad alia confessarius attendere debet, ut pro circumstantiis eos instruat, moneat, corrigat.

*1) In instituendis choreis, quamquam non omnes indiscriminatim et absolute damnari gravis peccati possunt, tamen absolute postulari debet, ne choreas admittant ex se vel adiuncta musica aliisve actionibus lascivas; ne foveant eas circumstantias, quae peccatorum pericula augeant, v. gr. conventum iuvenum et puellarum sine comitatu aliorum, qui auctoritatem in eos exerceant, protractionem in seram noctem etc.

*2) In locandis aedibus et cubiculis excludere debent eos, qui in finem aperte malum volunt convenire. Multo magis denegare debent, si qui hospites admissi in finem suspectum separatum locum peterent. Ita vix non semper. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12] 837.

*3) Sermones et colloquia sive lasciva sive impia debent impedire; eos, qui illa ducere conantur, monere; qui nolunt desistere, iis domo interdicere.

*4) Scripta et ephemerides bona tantum vel summum indifferentia publice licet exponere. Et quamvis ea, quae interdum minus recta habent, non ilico teneatur excludere: ea tamen, quae solent esse mala et Ecclesiae adversa, etiamsi non ita mala sunt, ut habeantur in numero eorum, quae positiva lege prohibita exsistant, publice exponenda non sunt; et quando ab aliquibus hospitibus postulantur ex aliis causis, v. gr. propter nova, quae in negotiis commercii vel in simili re occurrunt et in istis foliis citius accuratiusque annuntiantur, ponantur in loco separato, quo accedant, qui ex causa necessitatis legere volunt. Quodsi nihilominus hi vel alii opportunitate data abutuntur, id cauponi non imputabitur. — Accidere quidem potest, ut confessarius, cum videat rem esse desperatam, aliquantum mitius agere possit, si caupo est in bona fide atque ex severiore agendi ratione nihil efficitur, nisi ut catholici caupones aut omnino relinquantur et lucro

destituantur aut mala fide facere pergant, quod alias ignorantes bona fide fecerint. Verum haec spectant ad regulas prudentiae confessarii, quibus doceatur, quando monere et instruere poenitentes, quando tacere expediat, neque ea tangunt, quae per se facienda sint, sed quae per accidens transmittere liceat.*

7. Peccat *lanio,* si carnes ita secat, ut amicis suis det meliores, aliis autem viliores eodem pretio, saltem si hoc pro viliore re evadit pretium iniustum; quia tenetur non gravare unum, ut faveat alteri.

8. Peccat *sartor,* si emit pro alio, v. gr. pannum, pretio maiore, cum possit minore, quia non agit fideliter rem committentis; si retinet partes residuas sine voluntate domini, quae sunt alicuius momenti et adhuc usui profuturae dominis, nisi consuetudo habeat, ut illa opifici relinquantur ideoque is minus accipiat mercedis. Quodsi mercatores aliquid illi remittant de pretio, eo quod saepius apud ipsos emat, potest id retinere, dummodo utrimque fideliter agatur, emensque non ideo segnius mercetur et vere remittat ipsi mercator de pretio, quod ab aliis vel a domino obtineret; haec nisi adsint, peccat retinendo excessum pretii sibi traditi ad emendum, sicut etiam si retineret ideo, quia ipse dexterior est in mercando. Ratio est, quia hoc ipso, quod quis alterius negotium suscipiat, tenetur hoc utiliter agere, perinde ac suum; seque obligat ad alterius commoda procuranda, neque aliter illi res gerenda committitur. Nec potest operam suam occulte compensare, quam emendo impendit; quia satis compensatur, quod ipsi prae aliis vestis conficienda committitur et opera communi pretio solvitur. Dein qui negotium alterius suscipit nihil petendo, censetur praestare gratis operam suam.

9. Ubi lege determinatum est pretium panis, *pistor* peccat, per se loquendo, si panes facit minores, praetendendo taxam a magistratu constitutam non posse servari sine damno, quia non facile praesumenda est iniquitas magistratus, qui

iuste statuit pretium, prout communiter expedit, licet forte privatus per accidens patiatur damnum, quod alia vice compensabitur maiore lucro. Unde non facile aliquid illis permittendum, nisi constiterit magistratum errasse in taxatione pretii.

10. Peccant *opifices,* si sine iusta causa labores protrahunt per mediam noctem in diem festum; si tamen sartor vestem vel sutor calceos, quos bona fide promisit paratos fore ante festum, praeter opinionem et sine culpa sua paratos non habeat, non peccat laborando per mediam noctem usque in diem festum, si alioquin passurus esset grave incommodum nec excusare se posset. — Si sine causa rationabili laborant per tres circiter horas die festo, v. gr. per unam mane, a meridie per unam, vespere per unam, peccant graviter; secus, si eodem die per unam horam tantum, immo etsi per unam singulis festis per annum, quia praeceptum est affixum diei, et labores diversarum dierum non coalescunt in unam gravem diei festi dehonorationem, sicut coalescunt, si fiant quamvis non continue eodem die.

11. *Sartores, molitores ceterique artifices,* quibus res tradita est polienda vel immutanda, item nautae, aurigae, caupones, apud quos res deponuntur, peccant, si non adhibeant diligentiam a diligentibus adhiberi solitam rebus conservandis, tenenturque saltem in foro externo ad restitutionem ex culpa levi, quia depositio etiam fit in commodum ipsorum, idque cautum est ad vitandas ipsorum fraudes. Secus esset, si res commissae non essent illorum curae, sed tantum videntibus illis depositae in diversorio, navi etc. — *Qui ex officio seu munere suo vel pro mercede res alienas depositas habent, ex legibus etiam hodiernis communiter obligantur ad maiorem diligentiam, quam ii, qui gratuito depositum admittunt. Ad quam etiam in conscientia tenentur. Nihilominus si in foro interno tantum causa damni componenda est, etiam priores depositarii non tenentur damnum compensare, nisi vere culpam theologicam gravem commiserint; aliter, si causa in

foro externo tractatur. In quo non omnes leges eodem plane modo rem definiunt. Imprimis caupones ex lege Germ. § 701 tenentur de damno rebus apud se depositis illato, nisi ipsa natura rei depositae aut vis elementaris aut ipse hospes rei dominus eiusve socius causa damni fuerint. — Qui damnum passi fuerint, iis licet favore a legibus sibi dato uti. — Quid vero requiratur, ut res censeantur in depositum datae, *ex regionis lege vel consuetudine* accuratius definiendum est.*

12. Etsi opifices per labores graves, si quos habent, ut sutores, fabri ferrarii et lignarii, textores, laniones, cursores, agricolae etc., excusantur a *ieiunio ecclesiastico,* non tamen reliqui, quorum labor est levis, ut sunt sartores.

13. Non possunt licite *monetam materialiter falsam* pro laboribus suis acceptam iterum exponere, et a se expositam tenentur recipere alia substituta, quia illa non habent valorem internum aliique decciperentur. Nec iuvat, quod forte nesciant, a quo eam acceperint, quia debent id inter infortunia sibi adscribere, nec propterea licet alios defraudari. Dixi: «materialiter falsam»; nam si materia est bona et nummus est tantum formaliter falsus, id est si signum principis sine legitima auctoritate impressum habet, at valorem communem, nummus, etsi eum cudens peccarit, potest in commercio vix distingui neque cursus eius potest impediri.

14. Si operarius *addixit* suam operam *pro inaequali stipendio,* sciens ac volens, non potest uti occulta compensatione, quia cessit iure suo, dummodo nulla domini culpa intervenerit. Contra, si esset iniuste coactus. Atque etiam si occupatur in aliis, ad quae non est conductus, pro his potest petere stipendium; et si aliter accipere non possit, licet sibi occulte compensare, modo adsint serventurque conditiones communiter requisitae. Si tamen volens faceret obsequia gratuita, non posset occulte sibi compensare, sed remuneratio domino esset libera. *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 975. Vide supra n. 152, resol. 4.

QUAESTIO III.

Quae sint obligationes et peccata specialia militum, belli ducum seu officialium [1].

164. Resp. I. Praefecti militum tenentur: 1. esse fideles suo principi; 2. curam suorum habere quoad corpus et animam; 3. non excedere limites suae potestatis; 4. stare contractui cum militibus, si qui conducuntur. Unde peccant contra iustitiam et tenentur ad restitutionem:

1. Si sua negligentia in bello iusto permittant praevalere hostem; si, ubi conducuntur milites, non habeant completum numerum militum, pro quibus stipendium accipiunt a principe determinatum; si fictitios milites supponant, quia id cedere potest in grave damnum reipublicae, si princeps, putans se habere tot milites, graviori periculo cum hoste superiore se committat.

2. Si milites infirmos deserunt; si potum vel cibum corruptum vel periculosum iis praebent, aut diligentem curam non adhibent, ne talia alimenta ab impiis et avaris venditoribus subministrentur pro sanis et bonis; si a furtis, rapinis, blasphemiis etc. eos non cohibent, quantum possunt; si non curant, ut observent praecepta Dei et Ecclesiae, quoad fieri potest; si conductis militibus stipendia promissa non solvunt.

3. Si pagos aliquos maiore, quam par est, militum copia gravant; si a privatis domibus vel pagis pecuniam accipiunt, ne eo milites imponant, qui ideo ad alios mittantur; si quid accipiunt ad impediendas vexationes militum, quia ex iustitia et officio eas impedire tenentur; si temere proelium ineant vel militum vitam exponant.

4. Ubi conscriptio est universalis, id est, ubi omnes iuvenes apti ad militiam suscipiendam coguntur, solis iis reiectis, qui inepti inveniantur aut quos sors exemerit, ne numerosiores

[1] Cum auctor ante oculos non habuerit communem militum conscriptionem, sed solos milites conductos atque iura belli antiqua: in hac «Quaestione» complura occurrerunt mutanda. Neque tamen solis additionibus ea corrigenda esse duxi, sed, ne confusio legentibus oriretur, ipsum textum studui emendare.*

sint, qui actu militent: officiales atque medici militares peccant, si uni prae altero favent in declaranda ineptitudine atque corrumpi in hunc finem se sinant pecuniis oblatis, nisi forte eos eximendos curent, erga quos lex militaris, si applicaretur, propter singulares conditiones evaderet iniusta; in quo casu, si de iniustitia *constiterit,* liberalia quidem munera accipere illicitum non dixerim; *pro* mercede eiusmodi iuvenem eximere peccatum est, cum fieri *debeat* idque gratis. Magis etiam peccant, si, quos ex lege eximendos seu non idoneos declarare debent, nolunt ita declarare nisi post data vel promissa munera: quae utpote omnino iuste extorta restituere debent.

165. Resp. II. *Obligationes* militum sunt hae:

1. Daturi nomen militiae sua sponte in casu belli, id est, sive qui libere sequuntur, sive qui ad bellum gerendum conducuntur, debent prudenter iudicare bellum esse iustum, ne temere se exponant periculo concurrendi ad iniurias. — Qui autem coguntur conscriptione legali (aut etiam qui ad certum tempus iam conducti fuerint), praesumere possunt vel debent bellum esse iustum, dum omnino certo constabit illud esse iniustum. Quare ne indagare quidem tenentur, nisi suspicio iniustitiae rationabilis oriatur, atque etiam tum manente dubio militare possunt ac debent et oboedire superioribus suis tenentur.

2. Conducti milites stare debent contractui quoad tempus conductionis atque functiones militares obire, contenti stipendio, de quo convenerunt; subditi conscripti oboedire debent tempore conscriptionis, donec dimittantur.

166. *Peccata* igitur committunt:

1. Si duci vel praefecto non pareant, stationem deserant, non pugnent fortiter, arcem sibi commissam non defendant; quia sunt conducti vel evocati et iussi, ut ista praestent, etiam cum periculo vitae.

2. Si a castris aut exercitu sine licentia ducis discedant, si militiam deserant ante tempus condictum, alioquin ante dimissionem legitimam, nisi forte animi pericula gravia eos adigerent. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12] 1175.

3. Si quid auferunt vel extorquent ab iis, qui non sunt hostes; quia debent per se loquendo contenti esse stipendio suo, nec excusantur ex eo, quod duces dissimulent aut stipendia non solvant: subditi enim iubentur pro iis contribuere et ius retinent ad sua; principis vero est providere, ut solvantur stipendia. Dixi: «per se loquendo», quia, si pabulum sufficiens advehi aut propter inopiam emi non posset, fierent pabula *communia;* putatque *Lessius* (in Auct. ad voc. *Bellum* casu 4) etiam *in gravi necessitate* licitam esse pabulationem, modo servetur proportio neque uni auferantur omnia, sed omnes aequaliter graventur[1].

4. Si sine permissu ducis damna inferunt subditis terrae hostilis vel ab iis, dum principi vel duci pro immunitate a damnis contributionem solvunt, aliquid exigunt vel recipiunt, quod ex timore iniuste incusso dono offertur; donationes enim illae sunt involuntariae habentque donatores ius ad immunitatem, nec possunt milites quidquam auferre hosti sine auctoritate publica ducis vel principis.

5. Si, certo cognoscentes principis sui bellum esse iniustum, ei contra hostem servire et militare pergunt, quia sunt causa iniusta damnorum. Si in hoc casu miles invaderetur ab alio in iusto bello serviente, non posset eum occidere, sed deberet animum nocendi deponere idque alteri significare modo quo posset et vitae gratiam petere; his si nollet aggressor acquiescere, invasus iuxta *Sotum*[2], *Azor*[3], *Burghaber* (Cent. 2, casu 88) posset se defendere et alterum, si necesse esset ad sui defensionem, occidere, quia tunc aggressor ius non haberet amplius ipsum occidendi, sed contra invasus ius naturale se defendendi. Alias igitur, si exercitum suum deserere nequit, debet aerem verberare neque ullo modo hostem ferire.

---

[1] Milites sane habere debent, unde vivant; si quid igitur ex hac ratione a privatis sumere coacti sunt, hi ius habent, ut a principe vel republica recipiant compensationem. *

[2] De iustit. et iure l. 5, q. 1, a. 7. [3] Inst. mor. P. 3, l. 2, c. 7.

6. Si dux iusta de causa daret urbem diripiendam vel ferro vastandam, non liceret occidere innocentes, v. gr. pueros, religiosos, feminas, peregrinos per transitum in urbe commorantes, si ab actione hostili abstinuerint, quia ius habent ad vitam suam retinendam, cum hostile nihil egerint. Possunt tamen incolae urbis etiam innocentes spoliari bonis suis fortunae, quia, cum haec sint suo modo sub iurisdictione principis vel reipublicae, hi in illis puniuntur, debentque ipsi suos subditos damnum passos indemnes postea reddere. In casu, quo militibus licet spoliare hostes, possunt quoque ii, qui serviunt militibus, sine iniuria accipere et retinere spolia hostium, quia censentur esse pars exercitus. Cavendum tamen est scandalum. *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 884. Maxime autem caveri debet, ne milites hostiles, postquam, ulteriorem pugnam inutilem iudicantes, sinceram voluntatem se tradendi ostenderint vel capti fuerint, trucidentur, neve vulneribus prostrati amplius vulnerentur ac penitus conficiantur. Id enim secundum ius bellicum hodiernum pro crudelitate et immani scelere habetur, atque iure et merito. Nam cum plerique iussi et coacti belligerare debent, ex numero hostium eliminati censentur etiam ii, qui hucusque dimicarunt, quam primum ab hostilitate omni cessare se velle vel debere ostendunt. Atque ex his patet, quomodo examinandi sint milites et quando obligandi ad restitutionem.

Sunt illis praeterea sat frequentes blasphemiae, imprecationes, iuramenta, fornicationes; insuper expedire potest eos interrogare, num commiserint superstitiones, quibus nisi sint se reddere impenetrabiles, vel duella. Haec si ineantur ex condicto, certo loco et tempore, incurritur excommunicatio casusque reservatur Summo Pontifici. Quodsi non ex condicto, sed in subitam iram et rixas versi stringant gladios et in loco pugnent, peccant quidem, casum tamen reservatum ex eo non incurrunt.

167. *Petes:* Quid de foederibus cum hoste initis sentiendum? Resp. In foederibus fides publice data servanda est, etiam hosti bellum iniustum inferenti, etsi una pars coacta fuisset iniuste ad paciscendum. Est communissima theologorum sententia.

Ratio est, quia, cum principes bellum gerentes non habeant superiorem, a quo contractus initus rescindi possit, si liceret propria auctoritate resilire, vergeret id in commune damnum societatis humanae; quivis enim facile fingeret, sibi iniuriam aut vim illatam esse, sic pax nulla firma esset et mundus perpetuis bellis involveretur. Quare ut princeps, forte iniuriam passus, suis cedat saltem tantisper, donec nova se iusti belli suaque recuperandi offerat occasio, bonum commune exigit. Et hinc Papa dispensare non potest in pactis inter principes catholicos, nisi vergerent in damnum notabile fidei vel religionis; immo nec in pactis initis a catholico principe cum haereticis; cum enim hi nolint se obligare dependenter a Papa, cum illis numquam possent foedera inire catholici, id quod cederet in magnum detrimentum reipublicae christianae. Haec intelligenda sunt de pactis validis iure naturae, non de iis, quae fiunt de materia illicita vel principi non subiecta[1]. *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 881.

Quae specialiter observanda confessario circa iudices, advocatos etc., videri possunt *Reuter,* Theol. mor. P. 3 in fine.

167 a. *Quae confessarius imprimis attendere debeat in viris aliis in officio constitutis, praecipua sunt haec:

I. Quoad *iudices:* num ex odio et aversione sententiam pronuntiaverint, num iusto graviorem poenam decreverint, non attendentes ad circumstantias attenuantes, si quae adfuerint. — Quoad iudices iuratos, num contra reum pronuntiaverint ex sola privata notitia, cum iudicialiter probatum crimen non fuerit: id enim iniquum atque iniustum est; similiter num eum reum pronuntiaverint, contra quem ea, quae iudicialiter prolata sunt, satis clare quidem ferebantur, sed quem privata scientia sciverint esse innocentem; iurato enim iudici, qui de facto solo pronuntiare debet ex intima persuasione, ita condemnare non licet umquam.

[1] Videlicet nemo pacisci valide potest de rebus vel iuribus *alienis;* quapropter, si quis id attentaret, quoad hoc considerandum esset pactum ac si factum non esset. *

II. Quoad *advocatos* notanda sunt peccata:

1. Si causas civiles aperte iniustas defendendas suscipiunt vel postquam iniustas cognoverint, defendere pergunt. In quo casu si in causa vicerint, tenentur victo quoad damnum; teneri possunt suo clienti, si victus sit, de expensis, quando videlicet hic iniustitiam ignoraverit et ex ignorantia causam suam cum expensis prosecutus sit.

2. Si clientem suum non fideliter docent conditiones causae.

3. Si non satis servant fidem et secretum suis clientibus: ad quod tenentur generatim etiam post causam desertam, nisi forte cliens velit alterum iniuste premere neque monitus ab ea iniustitia desistere.

4. Si negligentia sua in culpa sunt, cur clientes e causa exciderint, cum alias, si omnia rite et apte allata et discussa essent, victuri fuissent. — In omnibus illis advocatus, cum iustitiam laeserit, ad praestandam indemnitatem tenetur.

III. A *medicis* peccari imprimis potest:

1. Si in gravi morbo diligentiam debitam non adhibent.

2. Si periculo mortis exsistente non monent mature sive aegrotum sive cognatos sive parochum, quo negotio aeternae salutis consuli possit.

3. Si in partu difficili, seu exsistente periculo, foetui sive maturo sive immaturo seu abortivo non certo emortuo baptismum non conferunt vel procurant. Quapropter scire debent modum baptizandi etiam foetus abortivos[1].

4. Si salarium iusto maius postulant vel inutiliter visitationes multiplicant: inutilis tamen dici non debet visitatio aegroti divitis, qui expensas non ita curat, quando haec non ad sanitatem quidem recuperandam, sed ad solatium aegroti confert.

5. Si — ut aliquando fit — media illicita adhibent vel ea suadent, quae bonis moribus contradicunt.*

[1] Can. 743 et 747 sq.

PARS III.

DE IIS, QUAE CONFESSARIO SPECIALITER SUNT OBSERVANDA CIRCA PERSONAS DIVERSIS VITIIS, PECCATIS, DEFECTIBUS TUM PHYSICIS TUM MORALIBUS OBNOXIAS.

Quae media praescribenda sint contra capitalia peccata, dixi a n. 61 ad n. 99, ubi etiam dictum est de maledictis et blasphemiis; de iis autem, qui maledictis et iuramentis assueti sunt, n. 94. Difficultates speciales occurrunt, si quaeritur, quomodo tractandi sint consuetudinarii, praesertim in materia venerea, constituti in occasione proxima peccandi, invalide confessi per plures annos, captivi et rei, neo-conversi ad fidem, fatui, surdi, muti, ignotae linguae, indurati, inimicitiis et odio impliciti, moribundi, pudibundi, pusillanimes, desperabundi, restitutioni obnoxii, scrupulosi, tentati etc.

CAPUT I.

De confessario hominis constituti in occasione proxima graviter peccandi et consuetudinarii.

QUAESTIO I.

Quid et quotuplex sit occasio peccandi et quomodo differat a periculo.

Occasio peccandi et periculum. — Occasio remota aut proxima, continua, aut non continua, necessaria aut libera seu voluntaria.

168. Resp. 1. *Occasio* peccandi est circumstantia extrinseca, alliciens ad peccatum, ut cohabitatio, conversatio cum malis, choreae, tripudia cum feminis, officium, negotiatio etc.

Periculum peccandi est omne id, quod sive in homine sive extra ipsum inclinat ad peccatum. Unde omnis occasio peccandi est aliquod periculum seu leve seu grave peccandi, non tamen omne periculum peccandi est peccandi occasio. Nam qui contraxit consuetudinem mollitiei, est in periculo peccandi etiam dum solus est, non est tamen in occasione.

2. Occasio peccandi alia est *remota*, quae habet quidem vim aliquam alliciendi ad peccatum, raro tamen illud post se trahit; haec dicitur etiam periculum remotum peccandi. Alia est occasio *proxima*, quae frequenter coniungitur cum peccato; haec dicitur etiam periculum peccati proximum.

3. Alia est occasio *proxima* per se, seu absolute et intrinsece talis, alia per accidens et respective talis. *Proxima per se et absolute* talis est, quae ob intrinsecam suam vim movendi respectu omnium frequenter cum peccato coniungitur, ut aspectus fixus rei valde turpis, habitatio cum concubina. *Per accidens* talis est, in qua non omnes passim, sed hic homo determinatus ex inclinatione vel fragilitate sibi propria et singulari frequenter labitur, ut esse potest exceptio confessionis mulierum pro certo confessario, colloquium cum puella pro certo iuvene. Male ab aliquibus dicitur universaliter occasio proxima, in qua quis frequentius peccat, quam non peccat, aut in qua fere semper peccat. Nam licet illa sit vere occasio proxima, tamen potest esse proxima, etsi non peccet frequentius quam non peccet; qui enim ter in septimana peccat cum persona, quacum cohabitat, est vere in occasione proxima, nec tamen intra septem dies saepius peccat, quam non peccat. Immo in occasione proxima esse potest, qui numquam ante peccavit; v. gr. qui non assuetus vino vinum generosum cum aliis certando biberet, esset in occasione proxima se inebriandi, etsi se numquam inebriasset. *Revera ad constituendam occasionem proximam sufficit *grave* periculum peccandi temere initum: quod periculum exsistere

non ex sola experientia lapsuum, sed etiam ex gravi tentatione, quae creetur, satis constat. Rem autem aliquam gravem tentationem creare potest sciri ex rei natura sine ulla experientia; etiam sciri potest ex experientia inculpabili, quando quis aliquam rem vitare non potuit, tentationem expertus per orationem et Dei gratiam vicit. In quo casu res ista non evasit occasio formaliter proxima; evadet autem, ideoque subire eam non licet, si idem ipse denuo sine gravi causa et sine cautela se ei committere vellet (cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[12] 617).*

4. Occasio proxima alia est *interrupta* [1], in qua solum quis per intervalla versatur, ut frequentatio chorearum, tabernae, puellarum; alia *continua,* in qua quis semper versatur sine interruptione, ut retentio alienae pecuniae, beneficii simoniace accepti, habitatio cum concubina: quae constituuntur quidem per peccatum actuale, sunt tamen occasio saepe renovandi voluntatem peccaminosam.

5. Occasio proxima alia est *voluntaria,* quae physice et moraliter seu per vires naturae et sine alio peccato vel gravi difficultate vitari potest; alia *involuntaria,* quae physice vel moraliter vitari non potest. Physice involuntaria dicitur, quam quis per vires naturae vitare non potest; talis esset, si quis detineretur cum concubina in carcere vel in navi in mari. Moraliter absolute involuntaria est, quam quis vitare non potest sine peccato; talis potest alicui esse officium, quod sine peccato ante certum tempus deponere non potest. Moraliter involuntaria secundum quid est, quam quis sine valde gravi difficultate vel damno non potest vitare; talis posset alicui esse munus advocati, consiliarii, chirurgi, quod quis sine damno valde gravi non posset deserere. Quantum autem debeat esse damnum, ut occasio censeatur moraliter involuntaria, non potest una regula definiri, quia pendet ex variis circumstantiis, quae confessario ponderanda sunt. Universim

[1] Vocatur etiam «non in esse», continua vero «in esse».

dici potest damnum esse debere tam grave, ut id subire communiter superet vires humanas, ut si vita exponenda esset evidenti periculo, si familia honesta esset ad mendicitatem redigenda, si viro honorato infamia valde gravis esset subeunda, si filiusfamilias deberet invito patre deserere domum paternam.

Quae dixi de *occasione* proxima, conveniunt quoque *periculo* proximo saltem plerumque; nam illud occasionem proximam cum circumstantia externa constituit, estque aliud vitabile, aliud physice vel moraliter inevitabile; aliud proximum respectu omnium, aliud respectu unius proximum, respectu alterius remotum etc. Periculum proximum aliud est formale, quod vim suam ad frequentem lapsum inducendi retinet hic et nunc, etiam considerato subiecto; aliud materiale, quod per se quidem vim illam retinet, ob specialem tamen subiecti dispositionem non solet cum peccato coniungi aut merito creditur fore, ut non coniungatur, et hoc etiam dicitur formale respective remotum. Formale proximum aliud est per se, aliud per accidens tale, uti dixi de occasione. Quod, si merito iudicetur peccatum certo ex illo secuturum, dicitur formale proximum certum; si autem ob rationem gravem quidem, attamen incertam, futurum putetur, dicitur periculum formale probabile. Si quis citra motivum prudens timeat vel suspicetur se lapsurum, periculum erit leve. *Gobat*[1] pro praxi putat, ei qui scit se, si decies adeat periculum, v. gr. consortium, lapsurum septies vel octies, periculum esse moraliter certum; si autem ter vel quater, censet periculum esse tantum probabile; leve vero, si numquam cadat vel forte semel aut raro et veluti casu. Porro, quot lapsus requirantur, ut quis in occasione certa censeatur frequenter labi, varie aestimandum est secundum dicenda n. 175. Quidam merito censent frequentem esse lapsum, si contingat fere ad singulas occasiones recurrentes.

---

[1] Opp. mor. tract. 7, n. 527.

QUAESTIO II.

Quomodo procedendum sit confessario cum constitutis in occasione peccandi proxima.

Non est neganda absolutio propter occasionem remotam, aut occasionem inevitabilem; neganda est ei, qui non vult deserere occasionem proximam facile vitabilem, sive continuam sive non continuam. — Difficultas est, quousque tolerari possit occasio difficulter evitabilis.

169. Resp. I. Propterea, quod quis versatur *in occasione* peccandi *remota,* non est ei neganda absolutio; quia existens in ea potest sufficienter esse dispositus, etsi eam nolit deserere, cum vim ad peccata movendi facile superare possit is, qui velit uti gratiis ordinariis. Sic nemo dicit eum dispositum esse non posse, qui non vult deserere mercaturam, militiam, amovere divitias, paupertatem, morbum, sanitatem, quae sunt occasiones peccandi remotae. Immo, cum in nullo statu tales occasiones desint, deberent omnes e mundo exire, ut loquitur Apostolus (1 Cor 5, 10), si tales occasiones necessario removendae essent.

170. Resp. II. Neque neganda absolutio poenitenti propterea, quod versetur *in occasione proxima, quam* vel physice vel sine peccato deserere vel *vitare non potest,* modo sit dispositus paratusque uti mediis ad cavendum relapsum praescriptis. Ratio est, quia permansio in tali occasione ipsi imputari non potest ad culpam; nemo enim obligatur ad aliquid, quod physice vel sine peccato praestare non potest. Quodsi emendatio sequatur, poterit deinceps absolvi; si autem illa post unam alteramve confessionem non appareat, differenda est absolutio, donec appareat emendatio saltem notabilis, tum ut poenitens maiorem concipiat horrorem peccati conatumque maiorem adhibeat, tum ut amoveat fundatum dubium de serio proposito. Excipe, nisi adessent specialia signa doloris, aut necessitas aliud exigeret.

171. Resp. III. Non est absolvendus poenitens, qui physice et facile *potest* occasionem proximam continuam mortaliter peccandi deserere *neque vult,* etsi dicat, se habere pro-

positum firmissimum non amplius peccandi. Est communissima et certa sententia. Ratio est, quia talis propositum non habet neque, dum manet in ista occasione, habere potest; velle enim manere in tali occasione est velle peccatum, cum sit cum frequenti relapsu coniuncta et sine gravi incommodo vitari possit. Unde Innocent. XI damnavit hanc thesin 61^mam^: «Potest aliquando absolvi, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest et non vult omittere; quin immo directe et ex proposito quaerit aut ei se ingerit.» Damnatur autem haec propositio, ut recte *Cardenas* dicit in 2^da^ Crisi diss. 40, c. 5, a. 4, n. 114, divisim ita, ut eius contradictoria sit: nec potest aliquando absolvi, qui in occasione proxima peccandi versatur etc., nec qui directe eam quaerit aut illi se ingerit: quia particulae *quin immo* exprimunt casum magis dubium.

172. Resp. IV. Absolvendus quoque non est, qui non vult vitare *occasionem proximam interruptam* graviter peccandi, v. gr. choreas, tripudia, consortia, in quibus frequenter peccat graviter. Ratio est, quia, cum sciat suam fragilitatem periculumque proximum, si hoc vitare nolit, propositum requisitum non habet. Quodsi serio promittat se vitare velle talem occasionem, potest prima vel secunda vice, qua peccata ista confitetur, absolvi, quia facilius praesumi potest propositum efficax, cum hic actu non sit in occasione proxima; secus de eo, qui est in continua occasione; hic enim, licet forte affectu illam deserat, non tamen deserit effectu, estque ei periculum relabendi semper praesens. Quodsi ille semel atque iterum, sive eidem sive diverso confessario, fidem fregerit, ac tertio emendationem promittat, differenda est absolutio, usque dum emendatio appareat, quia, cum ab illa occasione abesse facile possit neque eam vitet, ei qui fidem iam aliquoties non servavit, credi ultra non potest. Excipe, nisi circumstantiae sint mutatae, vel occasio talis, ut *confessarius prudenter sperare possit* poenitentem per media specialia, hactenus ei non suggesta, ex occasione proxima facturum esse remotam.

173. Resp. V. Si quis *occasionem proximam continuam*, quae sine peccato et gravi incommodo et nunc et ante evitari poterat ideoque plene *voluntaria* est, non deseruit, plerumque absolvendus non est, nisi eam prius deserat, etsi promittat, se eam deinceps deserturum. Ita *S. Carolus Borromaeus* (p. 3 instr. pastoralis). Et ratio est, quia, cum poenitens eam facile deserere potuerit neque deseruerit, suspectum est eius propositum, exponiturque periculo proximo relabendi eamque non deserendi, nisi timor negandae absolutionis retrahat. Unde sequitur, quod absolvendus non sit possidens beneficium simoniace obtentum, nisi aut dimiserit illud, aut suum fecerit, aut in eo iam sit, ut fiat ipsius; nec, qui facile potuit modoque potest reparare gravem iniuriam proximo illatam in bonis fortunae, fama, honore etc. et non reparavit; neque concubinarius, nisi concubinam dimiserit a se, etsi ploret et promittat, se, ubi domum redierit, statim dimissurum, saltem si id alias promisit et fidem fefellit: quia sola praesentia mulieris apta est, quae cor hominis libidinosi immutet, adeoque nec ipse sibi credere potest, praesertim cum amor naturalis et non malus, si nimium excrescere sinatur, quosdam ita occupet, ut persona amata continuo observetur animo et is quodammodo fascinetur. Unde recte dixit *S. Franciscus Xaverius* (Epist. 1): cum hominibus eiusmodi, tam promptis et liberalibus ad obligandam fidem quam ad exsolvendam tardis et segnibus, cum arrha transigendum esse; id est, datam fidem facto firmandam ab illis esse. Nec ante credendum lacrimis, ait *S. Thomas a Villanova* (serm. 6 post Dominicam quartam Quadrag.), sed firmiter tenendum, vix aut ne vix unum ex iis, qui mulierculae cohabitanti aliquoties mortifere adhaeserint, licet res turpis necdum abierit in consuetudinem aut occasionem proximam, emendatum iri, nisi per separationem; quia peccati et delectationis memoria, obiecti praesentia, propensio in talia insensibiliter cor eiusmodi hominis emolliunt. — Dixi tamen: «plerumque»; nam possunt eae esse

circumstantiae, in quibus absolutio sit impertienda, v. gr. si †de poenitentis dispositione iuste dubitari nequeat (can. 886)†, vel si poenitens esset in articulo mortis vel evidenti eius periculo, nec posset hic et nunc occasionem removere vel deserere, paratus tamen ad id quam primum faciendum, quia credibile est, adesse serium propositum occasionis amovendae. Quodsi occasio esset cohabitans mulier et poenitens crederetur non statim moriturus, obligandus esset, non quidem ut, si sine gravi infamia vel scandalo fieri non posset, statim eam expelleret, sed ut eam v. gr. aliquam pro se peregrinationem suscipere iuberet, atque ita aspectus et tentationes vitarentur. Dein si poenitens ignorasset peccatum esse manere in occasione aut hanc putasset non esse proximam aut saltem non esse obligationem illam tam cito tollendi, in hoc casu posset prima vice absolvi. Si autem vellet altera vice absolvi, nondum sublata occasione, audiendus non esset. Putant quoque *Lugo*[1], alii, posse semel absolvi eum, qui videatur ex audita concione vel ferventi exhortatione confessarii singulariter dispositus statuatque occasionem statim tollere, quia censetur amplius non velle illam retinere.

174. Resp. VI. Absolvendus est exsistens in *occasione proxima, quam moraliter vitare non potest,* videlicet cui alias subeunda esset gravis infamia vel damnum grave temporale aut spirituale, modo prudenter iudicetur eum habere dolorem seriumque propositum adhibendi omnia media ad periculum formale destruendum necessaria. Ratio est, quia, si possit velitque ex occasione proxima facere remotam paratusque sit praestare, quae moraliter potest, prudenter creditur esse dispositus, fieretque illi iniuria, si cogeretur in tali casu occasionem deserere statim. Ita, si filius cogeretur discedere ex paterna domo; si parochus vel chirurgus officium, quod illis esset proxima peccandi occasio, abdicare statim iuberentur, quamquam serio vellent facere occasionem remo-

[1] De sacr. Poenit. disp. 14, n. 151.

tam. Ratio est, quia occasio de se non est peccatum et, ut sumitur, poenitens paratus est vim eius allicientem ad peccatum enervare. Attamen si occasio esset talis, ut manente illa sperari emendatio non posset, aut spes nulla esset, remedia esse profutura, †et si proinde poenitens de bona sua dispositione sibi ipse illudere videretur, eius assertioni credendum non esset et† ne prima quidem vice absolvi posset, nisi prius eam deseruisset, quia velle manere in tali occasione est velle peccatum, valetque tunc illud Christi Mt 18, 9: «Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proice abs te», id est, abscinde occasionem illam, etsi esset tibi res cara ut oculus etc.; ac illud Mt 10, 37: «Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.» Similiter ei, qui adhibitis mediis aeque frequenter relabitur in illa occasione, differenda est absolutio, donec emendatio appareat, nisi forte nunc aliis mediis videatur iuvari posse aut alia adsint signa sinceri doloris et propositi. Si autem per media relapsus rarus aut multo rarior reddatur serioque poenitens cooperatus divinae gratiae videatur, absolvi potest. Dixi in responsione: «vel damnum valde grave subeundum esset». Nam non lucrum acquirendum, sed damnum incurrendum facit moralem vitandae occasionis proximae impossibilitatem, quae requiritur, ut permanere in tali occasione liceat, id quod constat ex damnatis propositionibus. *Alexander VII* enim damnavit hanc propositionem 41^mam^: «Non est obligandus concubinarius ad eiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *regalo*, dum, deficiente illa, nimis aegre vitam ageret et aliae epulae taedio magno concubinarium afficerent et alia famula nimis difficile inveniretur.» *Innocentius* autem *XI* hanc 62^mam^ proscripsit: «Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis aut honesta non fugiendi occurrit.»

Ex dictis constat, magna prudentia opus esse confessario in praesenti materia, ut ex circumstantiis discernat, utrum

certa quaedam occasio moraliter vitari non possit, ideoque talis sit, ut poenitens in ea, saltem aliquo tempore, possit relinqui et interim aliquoties absolvi, an talis, ut ne semel quidem absolvi possit, nisi eam deserat. Prudenter monet P. *Paulus Segneri* in Instruct. confess., ut attendat confessarius, si poenitens cogeretur subire grave malum pro evitanda occasione peccandi, utrum non plura ex eo peccata sint secutura, vel utrum non facilius sit ei persuadere, ut media efficacia adhibeat et emendet, quam ut deserat occasionem, eo quod periculum formale numquam sit inevitabile.

QUAESTIO III.

Quis dicendus sit consuetudinarius et recidivus.

175. Resp. *Consuetudinarius* dicitur, qui ex inclinatione vel habitu per actus frequentes in certa specie peccati, v. gr. blasphemiae, periurii, imprecationis, luxuriae, contracto saepe relabitur in certum peccatum. Cum consuetudinario multi confundunt *recidivum*, quem dicunt illum, qui iteratis aliquoties confessionibus post singulas confessiones in eadem peccata reincidit. Verum in rigore idem non est; etsi enim omnis consuetudinarius sit recidivus, non tamen viceversa. Nam qui semel relapsus est in peccatum ante remissum, vere recidivus est, non tamen consuetudinarius: sicut etiam relapsus in occasione proxima potest nondum esse consuetudinarius. *At quando theologi agunt speciatim de recidivis ut de iis, qui specialem creent difficultatem confessario, non illi intelliguntur, qui semel relapsi sint in peccatum sincera confessione deletum, sed qui relabi *soleant* vel *saepius* sint relapsi.* Quae autem frequentia relapsuum requiratur, ut aliquis dicatur consuetudinarius et tractandus sit ut talis, non una regula, ut dixi de occasione proxima, definiendum est, sed attendendum ad naturam et circumstantias peccati, ad tempus modumque committendi peccata. Nam sicut peccata, quae ore vel cogitatione fiunt, facilius committuntur, sic

maior in iis requiritur numerus ad frequentiam ex consuetudine. Dein ad consuetudinem requiruntur relapsus per notabile tempus; neque enim, qui per unam tantum hebdomadam vel mensem frequenter est relapsus, is consuetudinarius dicitur; neque relapsus, qui censentur frequentes respectu octidui, censentur frequentes respectu aliquot mensium. Sic certum peccatum saepe censetur in septimana committi, si ter quaterve per septimanam recurrat: non vero, si toties per mensem, censetur frequens relapsus in mense. Similiter, qui duodecies in mense peccaret peccato mollitiei, censeretur frequenter in mense peccasse, non tamen, si toties intra annum, dicendus esset frequenter in anno peccasse, ita ut haberetur pro consuetudinario; si singulis autem septimanis per annum vel per aliquot annos sic semel peccavit, habendus est pro consuetudinario et frequenter relapso; relapsus enim sunt quinquaginta duo intra annum. Denique peccata minus deliberata vel ex communi fragilitate facile committi solita maiorem numerum requirunt, ut quis dicatur consuetudinarius.

QUAESTIO IV.

Quomodo practice procedendum cum consuetudinario extra occasionem proximam.

Consuetudinarius absolvendus est, si rite est dispositus. — Signa dispositionis. — Regulae absolutionis dandae, denegandae, differendae. — Consuetudinarius examinandus est de relapsu; si serio dolet, pusillanimus erigendus, excitandus incuriosus. — Agendi modus cum eo, qui in compluribus vitiis est consuetudinarius.

176. Resp. I. *Regulariter danda est absolutio consuetudinario* extra occasionem proximam, quando prudenter iudicatur eum adferre dispositionem requisitam aut ad illam per exhortationem et industriam confessarii iam adductum esse; nisi ad tempus differri suadeat aut exigat illius utilitas, inconstantia vel aliqua necessitas etc. Ratio est, quia per confessionem acquisivit ius ad absolutionem; ergo illi danda est, aut modo, aut saltem post tempus aliquod, si ut paulum differatur causa

iusta suadeat vel exigat. Dixi: «si prudenter iudicatur». Nam si iudicium prudens formari non possit de requisita dispositione, per se loquendo absolutio aut neganda aut differenda est. Vide dicta n. 34.

177. *Petes:* Ex quibus indiciis prudens illud iudicium formari possit?

Indicia dispositionis seu sinceri doloris et efficacis propositi futurae emendationis sunt fere haec: 1. Suspiria, gemitus, lacrimae sincerae[1]. 2. Si poenitens longum et difficile iter proprio motu confessionis gratia susceperit. 3. Si peccatum, alias celatum, magno cum rubore confitetur. 4. Si aliquo tempore a peccato abstinuit intuitu confessionis faciendae cum fructu. 5. Si ieiunavit, certas preces quotidie persolvit ad confessionem rite instituendam et veniam impetrandam etc. 6. Si maiorem conatum se emendandi adhibuit, si rarius vel difficilius ab ultima confessione intra tempus priori simile relapsus est; si sibi vim intulit contra tentationem. 7. Si circumstantias et illecebras peccatorum removit, v. gr. novum vitae genus est amplexus, certam societatem periculosam vitavit; si quid evenit, quod specialem metum incussit. 8. Si remedia contra relapsum praescripta cum fructu adhibuit; si de industria ad confessarium venit, a quo efficaciora putabat media praescribi. 9. Si se offert ad priora media serio et studiosius adhibenda, difficiliora libenter admittit, iniurias ultro condonat; si desiderat complices peccati converti et vult ad id cooperari. 10. Si optat pati ad satisfaciendum Deo offenso vel gaudet se a Deo puniri, aut approbat iustam Dei vindictam. Ex his deduco sequentes regulas pro praxi:

178. *Regula prima. Absolvi potest consuetudinarius,* immo ordinarie etiam debet, nisi aliud circumstantiae suadeant, non solum qui media praescripta adhibuit contra peccata consuetudinis iam ante accusatae et numerum imminuit, sed etiam is,

[1] Cavendum tamen est, ne confessarius in mulieribus vel etiam in viris mollis ingenii lacrimis nimis fidat.*

qui prima vice consuetudinem suam confitetur et iam iudicatur prudenter esse dispositus vultque media proposita ad emendationem utilia vel necessaria adhibere. Ratio patet ex dictis. Neque necesse est, ut confessarius iudicet poenitentem numquam esse relapsurum; sed satis est, ut prudenter possit iudicare eum verum dolorem propositumque habere et spem facere emendationis; in his enim consistit sincera plenaque conversio. Unde etiam si quis medicinales poenitentias non subierit, eo quod a confessario ipsi numquam sint praescriptae, nunc autem paratus sit eas subire et media praescribenda adhibere et spem faciat emendationis, absolvi potest.

Regula secunda. Neganda consuetudinario absolutio est: 1. Si non vult serio adlaborare, ut vincat consuetudinem, quia peccata sunt adhuc ipsi voluntaria in causa. 2. Si media praescripta neglexit, quae scivit necessaria non adhibuit ad vincendam consuetudinem, nec modo signa dat extraordinaria doloris et propositi, nec serio dicat se iam esse paratum ad adhibenda media difficiliora. Ratio est, quia adest iusta causa dubitandi de dispositione et saepe tales promittunt magna ex timore negandae absolutionis, sed se et confessarium decipiunt. Unde saltem ad tempus neganda absolutio, ut discat melius apprehendere mediorum necessitatem. 3. Idem faciendum ob rationem datam, si post singulas confessiones frequenter deliberate relapsus est, ducto initio a prima peccandi occasione se illi offerente. Excipe, nisi nunc alia adsint signa ex praedictis.

Regula tertia. Differenda est absolutio: 1. si ob frequentiam relapsuum confessarius prudenter iudicare non possit poenitentem esse rite dispositum, etsi is dicat se dolorem et propositum habere. Ratio est, quia confessarius, utpote iudex, debet prudenter iudicare reum esse capacem absolutionis, alias abutitur sua potestate; at est praesumptio contra poenitentem, ubi non sunt indicia ad iudicium prudens formandum sufficientia, cum ipse fidem saepe datam fefellerit. Latent quoque in consuetudinariis pravi habitus, inclinationes et pravi

affectus, quae experirentur, si se coram Deo examinarent et conscientiam suam consulerent, v. gr. utrum, si occurrerent ordinariae occasiones et illecebrae, non essent parati agere et negligentes esse ut ante, redire ad priora consortia et pericula. Inde languida et inefficacia saepe sunt eorum proposita, quorum voluntas non avertitur a peccatis ita, ut, si nunc adesset occasio ista repetendi, nulla ratione admitterent in iis complacentiam desideriumve eorum; talis autem voluntas requiritur ad propositum. 2.[1] Si confessarius iudicet absolutionem ante nimis facile datam ansam dedisse relapsibus, ut proinde nulla sit spes emendationis, si iterum statim detur: absolutio, †si poenitens facile consentiat†, differenda est, etsi confessarius prudenter iudicet poenitentem hic et nunc esse dispositum. Ratio est, quia ad confessarium, utpote medicum, pertinet non solum vulnera curare praesentia, sed etiam media praeservativa a relapsu adhibere. Nam medici est providere infirmo, praesertim ubi agitur simul causa tertii, uti hic agitur causa Dei et Domini nostri, maiusque bonum est ad breve tempus carere gratia (eam tamen poenitens per contritionem acquirere potest) cum spe eam habendi deinceps perseveranter, quam statim eam accipere cum praesenti periculo illam paulo post iterum amittendi. Experientia enim constat, brevem dilationem absolutionis multum conferre ad emendationem consuetudinarii, quia ei aperit oculos, ut cum confusione videat animae suae pericula gratiaeque divinae det locum iuxta illud Ps 82, 17: «Imple facies eorum ignominia; et quaerent nomen tuum, Domine.»

179. Resp. II. Si alias tibi non confessus, *prima vice tibi confiteatur suos relapsus* in idem mortale peccatum, interroga, quandonam ultimo sit confessus. Si spectato tempore secundum dicta n. 175 relapsus videatur frequens, interroga, an ante

[1] Quae hic adiecta erant de differenda absolutione pro casu, quod confessarius iudicet, absolutionem antea nimis facile datam ansam dedisse relapsibus, mutanda erant ad mentem can. 886.

illud tempus frequenter sit lapsus in idem peccatum, an aliquo tempore abstinuerit, media adhibuerit, numerum imminuerit etc., et facile patebit, quid agendum sit secundum dicta. Duo confessario interim sollicite cavenda sunt: unum, ne sit nimis rigidus; alterum, ne sit nimis facilis et de mediis efficacibus parum sollicitus. Rigor enim nimius poenitentes in desperationem agit; terrendi sunt, sed etiam animandi, proponendo pericula et poenas ex una parte, ex altera parte paratum Dei auxilium et desiderium, ut peccator ad ipsum revertatur. Languida autem benignitas et nimis facile consuetudinariis impensa absolutio causa est, cur pluribus annis insordescant in consuetudine sive se polluendi, sive blasphemandi, maledicendi, iurandi, exsecrandi etc.[1] «Unum», inquiunt Patres Concilii Lateranensis, «est, quod sanctam maxime perturbat Ecclesiam, falsa scilicet poenitentia; idcirco confratres nostros et presbyteros admonemus, ne falsis poenitentiis laicorum animas decipiant et in infernum pertrahi patiantur.» Hactenus Patres. Verendum sane est, ne in confessarios, qui iniuncta levi poenitentia consuetudinarios absolvunt vix monitos, dimittunt mediis nullis munitos, aliquando cadat illud ad Achab dictum 3 Reg 20, 42: «Quia dimisisti virum morte dignum, erit anima tua pro anima eius.» Quae autem media sint praescribenda, quae poenitentiae iniungendae, dixi n. 18, 38 et a n. 56. Item dicetur n. 188. Ceterum consuetudinario in materia luxuriae imprimis necessarium est, ut frequenter confiteatur et quoad fieri potest eidem prudenti, docto et bene experto

[1] Certe si quis detrectat implere aliquid, quod implere sub gravi tenetur, ille non potest absolvi. — Si autem agitur de iis, qui propter relapsum non ex occasione continua oriundum vel alia ex causa videntur dubiam praebere dispositionem, cum ipsi tamen se satis dispositos esse putent: eos aliquando potius sub conditione absolvere quam non absolutos dimittere seu differre nostris imprimis temporibus consultum esse potest, eo quod iure timeatur, ne semel sine absolutione dimissi abalienentur plane a sacramentis. Semper tamen conandum est, ut monitis confessarii melius disponantur et ferventius voluntatem se emendandi concipiant mediaque opportuna discant adhibere. Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. II [12] 628. *

confessario, cuius consilia sequatur, ad quem statim post lapsum recurrat, aut si nequeat, ut vindictam de se sumat etc. Nemo, inquit Cardinalis *Toletus*[1], loquens de consuetudinario molli, sibi promittat emendationem, nisi per miraculum vel rarissimum privilegium, sine frequentissima confessione. Unde, si talis raro confiteatur vel si animadvertatur eum currere de uno ad alium, merito dubitari potest de eius dispositione, quia negligit medium utilissimum et fere unicum, si tamen de hoc monitus erat.

180. Resp. III. Si *consuetudinarius* suam consuetudinem *prima vice confiteatur,* in eoque appareat genuinus dolor et ideo videatur statim omnino absolvendus, caveat confessarius, ne dolorem sistat et animum poenitentis a foeditate peccatorum suorum consideranda ad motiva dumtaxat fiduciae in Deum intempestive abducat; hoc enim esset operationem Spiritus Sancti impedire. Deinde advertat, utrum dolor oriatur ex clara divinae bonitatis cognitione, qui solet cum dulcedine esse coniunctus ob incohatam veri boni per amorem possessionem, an vero ex horrifico aspectu scelerum sitque totus felle permixtus. Si *primum,* doceat blanditias illas suscipere cum humili confusione, ut facturus esset reus laesae maiestatis, si a rege loco supplicii specialibus favoribus augeretur; atque moneat poenitentem, ut sancto rubore suffusus se intra se ipsum recondat, indignum se reputans favoribus et deliciis filiorum Dei. Si *alterum,* doceat oculos quidem in sua scelera generatim (in specie enim recordari, praesertim in materia luxuriae, non expedit) ad tempus conicere, ita tamen, ut per intervalla ad abyssum misericordiae divinae meritaque Christi animum reflectat; sic enim et confusio et fiducia excitatur, quae principium est fortitudinis. Quodsi emendata iam consuetudine videatur pertristes animo volvere cogitationes, magis trahendus erit ad fiduciam atque monendus, ut, ubi memor peccatorum tristetur aut etiam lacrimas fundat, statim dolorem

[1] Summa casuum consc. l. 5, c. 13.

in Deum dirigat, dolendo ob eius bonitatem offensam, statuatque offensas compensare et dein tranquillum gerat animum. Fieri enim potest, ut dolor ex dispositione naturae proveniat potius quam ex gratia; neque peccata perpetuo sunt animo versanda, etsi salutare sit, eorum quandoque recordari in genere.

181. Resp. IV. Si poenitens *consuetudinarius* videatur *pusillanimis et turbati animi,* eo quod parum proficiat, non multum terrendus est, sed laudandus, si quid emendaverit, atque spes est facienda plenae per Dei gratiam emendationis, quae eo faciliora reddet omnia, quo saepius atque generosius ipse se vicerit. Tali necessaria est magnitudo animi, spes magna victoriae et perseverantia. Si quis millies cadat, millies resurgat et pugnam innovet. Deo maior est gloria, magnum reducere peccatorem quam minorem. Si videatur sibi nihil proficere, non ideo nihil proficit. Horologii solaris umbra crescit, neque tamen id advertimus; segetes crescunt, neque eas videmus crescere; sic virtus crescit, etsi non notetur statim augmentum, notatur tamen post tempus. Si autem poenitens non pusillanimis, sed minus sollicitus sit de emendatione, terrendus est proponendo iudicia Dei, mortem, poenas, diaboli insidias et invidiam, abusum donorum Dei et concessi temporis ad operandam salutem etc.

182. Resp. V. Si advertatur *consuetudinarium,* solitum frequenter relabi in eadem peccata mortalia, post plures iam confessiones esse vere poenitentem et *incipere se emendare,* inducendus est ad confessionem generalem, quia prudens est timor, ne confessiones antecedentes plures fuerint invalidae ob defectum doloris et propositi, aliter tam diu in pessima consuetudine non mansisset.

183. Resp. VI. Si quis *consuetudinarius sit in pluribus vitiis,* specialis cura impendatur primo radici vel illis, quae magis scandalosa sunt; instituatur prius super his examen particulare. Sic unum post alterum expugnetur; nec umquam despondeat confessarius animum, multo minus repellat poenitentem tamquam incurabilem, sed pro eo oret. Si conatus

fructum habet, ne extollatur; neve deiciatur, si non habeat; Dei enim opus est conversio animarum. Quodsi confessarius post longum conatum videat, nulla iuvare media, potest consuetudinario molli suadere matrimonium, si aetas ferat; aut quandoque statum religiosum, in quo rigida viget disciplina et rara est conversatio cum altero sexu, alias probro facile erit religioni. Status autem ecclesiasticus saecularis tali vix expediet, quia in eo isti vitio sunt fomenta sua et occasiones maiores ruinae; vix etiam expediet status sacerdotalis in ordine religioso apostolico.

184. Resp. VII. Si se emendans luxuriosus patiatur *nocturnas pollutiones*, ut contingere solet talibus, monendus est, ne terreatur, modo consensum ne praebeat, quia patitur ex naturae assuetudine, non agit. Videantur dicta n. 73.

QUAESTIO V.

Quid praeterea notandum circa consuetudinarium in blasphemando, iurando, imprecando mala.

185. Resp. I. Qui consuetudinem habet proferendi *verba blasphema*, tenetur sub peccato mortali serio conari ad eam tollendam. Quod si faciat et tamen labatur, potest excusari aliquando eo, quod verba illa ex impetu naturae effusa non sint voluntaria in se, neque in causa, quae retractata est proposito efficaci. Si vero non ita conatur, est in statu malo et consuetudinem seu negligentiam suam graviter malam debet confiteri; nisi igitur serio statuat eam consuetudinem tollere, neganda est illi absolutio. Non excusatur, qui puerum vel stultum vel ebrium inducit ad blasphemandum, quia, licet verba blasphema non retineant malitiam obiectivam respectu stulti proferentis, retinent tamen respectu inducentis ad illa, qui censetur illa proferre per alium, non secus ac si quis per organum talia proferret; multo minus, qui ore profert, excusatur.

186. Resp. II. Si quis se accusat *de iuramentis:* 1. Interrogandus est, quibus verbis sit usus, praesertim si rudis sit. Nam saepe dicunt se iurasse, cum simpliciter aliquid gravius

affirmarunt sine ulla intentione Deum vocandi in testem; ad iuramentum autem requiritur, ut Deus vocetur in testem, quod indicant haec verba: «Testor Deum; invoco Deum testem; sub iuramento meo tibi hoc faciam.» Multi tamen postremis his verbis non intendunt iurare, sed tantum gravius affirmare. Haec vero: «Deus novit; testabitur suo tempore; coram Deo loquor; Deus novit omnia; Deus videt meam conscientiam», nisi aliud constet ex circumstantiis, censentur tantum narrative, non vero invocative proferri. Nec iuramentum est, si quis dicat: «Tam verum est, quam hic sedeo, quam sol lucet; expono caput meum; amputentur mihi aures, nisi ita sit; per fidem meam, per conscientiam meam; vere, certe, in veritate, fide boni viri, boni christiani; sim nequam et fur, si ita non est.» Esset tamen iuramentum, si quis diceret: «Per fidem catholicam, per evangelium ita est»; quia censetur horum auctor invocari ut testis. Si quis dicit: «Tam verum est, quam evangelium, quam vere Christus est in venerabili Sacramento, quam vere Deus est», non videtur iuramentum esse, esset tamen blasphemia, si intenderet asserere aequalitatem veritatis vel credibilitatis; secus, si intenderet tantum dicere, hoc esse suo modo verum, sicut alterum verum est modo suo. Si quis aliquid affirmat per creaturas, quibus Deus specialiter indicatur, iuramentum censetur esse, ut si affirmet «per coelum, vel templum». Num affirmare *per animam* sit iuramentum, dubium esse ait *Tamburini*[1]; ex communi tamen usu censetur iuramentum, quia anima est clarissima Dei imago. Excusantur autem a mortali rudes saepe sic falso iurantes, quia, licet sciant id vocari iuramentum, tamen non intendunt Deum vocare in testem, neque apprehendunt nisi aliquam rationem mali in confuso idque non tanti momenti. Si quis dicat verba, quae non continent iuramentum, sed reipsa velit Deum vocare in testem, iurat secundum *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 258. Si autem nescit, quid

[1] Decal. l. 2, c. 1, § 3, n. 4.

sit iurare, ut saepe nesciunt rudes, non iurat, etsi intendat verba proferre, ut faciunt alii, quia inefficaciter tantum voluit iurare, neque Deum vocat in testem, cum nesciverit se hoc facere. Unde rudes interrogandi quoque sunt, num intenderint Deum vocare in testem. — 2. Qui consuetudinem iurandi habere deprehenditur, examinandus est, num promiscue iuret, non attendendo, utrum verum an falsum sit. Si hanc consuetudinem habet, est in malo statu teneturque sub mortali eam consuetudinem tollere; si autem consuetudinem habet iurandi non falso, non peccat quidem per se loquendo nisi venialiter, etsi consuetudinem non retractaverit, est tamen talis consuetudo serio emendanda quia scandalosa est et periculo exponit falso etiam iurandi. Dixi: «per se loquendo», quia parens v. gr. posset ratione scandali peccare graviter, si liberi inde discerent promiscue iurare; aut si quis iuramento se obligaret ad faciendam rem graviter malam, aut si dubitans de veritate iuraret. Tria enim requiruntur ad iuramentum licitum: iusta causa, res iusta seu honesta, veritas saltem prudenter aestimata. Si *primum* solum deest, per se est veniale peccatum tantum. Si *alterum* deest, peccatum est veniale vel mortale iuxta communiorem opinionem[1], prout est res graviter aut leviter tantum mala, quae iuramento affirmatur facienda; quia irreverentia videtur gravis (de qua tamen aliqui dubitant, si res sit levis) se astringere interposita Dei auctoritate ad faciendam rem malam; secus, si quis peccatum v. gr. furtum *factum* sub iuramento simpliciter asserat neque denuo approbet. Si deest *tertium*, semper est peccatum mortale,

[1] Verum nisi distinxeris, id universim teneri non potest. Nam si iuramento te *obligare* velis ad rem inhonestam, etsi venialiter tantum peccaminosam, quam peccaminosam esse scis, gravem infers Deo iniuriam, quasi Deus actione peccaminosa possit honorari; hinc graviter peccas. — Si vero non promissorium iuramentum sumis, sed assertorium, quo confirmes actionem peccaminosam, eamque reddas efficaciorem, v. gr. detractionem, graviter aut leviter peccas contra religionem propter iuramentum adiectum, prout detractio in se fuerit gravis aut levis. Cf. Lehmkuhl, Theol. mor. I[12] 560 et 561.*

quia est gravis irreverentia Deum vocare in testem rei falsae; immo iuxta *Castropalao* [1] semper est blasphemia, quia peierans facit Deum testem falsi, et quantum est de se, dicit: «Deus confirmet hanc falsitatem», id quod Deo convenire non potest; contradicunt tamen alii. Putant *Sanchez* [2], *Castropalao* [3], probabiliter alii, sufficere ad licite iurandum, saltem extra iudicium, ut quis probabiliter iudicet rem esse veram. Sed *Suarez* [4], *Dicastillo* [5] recte requirunt certitudinem moralem, ita ut non sit prudens ratio in oppositum; quia iurans plus dicit, quam se opinari. Vide *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 267. — 3. Si quis habet consuetudinem iurandi falso et iuramenta procedunt ex consuetudine revera omnino inadvertenter: iuramenta, si consuetudo retractata non est, sunt peccata in causa, non tamen in se formaliter, quia, ut sumitur, in se libera non sunt. Dixi 1°: «si procedunt ex consuetudine»; si enim indeliberate procederent ex impetu vel subita ira, ne in causa quidem essent peccata; sed difficile erit discernere, utrum procedant ex consuetudine; hinc tutius est saltem consuetudinem confiteri. Dixi 2°: «si revera inadvertenter omnino»; quia, ut notat *Dicastillo* [6], assueti iuramentis aliisve peccatis, licet reflexe non advertant ad malum, exercite tamen et actu tenui et quasi imperceptibili communiter vel saepe advertunt sufficienter ad malum ita, ut peccent et demereantur. Sicut assueti actibus dilectionis Dei prorumpunt in actus illos quasi imperceptibiliter, nec tamen omnino inadvertenter, sed cum cognitione sufficiente ad meritum. *Lacroix* l. 3, p. 1, n. 274, et l. 6, p. 2, n. 973. Unde in absolutione talis hominis cum proportione servanda sunt, quae circa alios consuetudinarios. Videri potest *Lacroix* l. c. a n. 271 et l. 6, p. 2, n. 968 sqq. Idem dic de assueto diris imprecationibus, quae, si fiant sine animo, ut eveniat malum, non sunt quidem peccata de se

---

[1] Op. mor. P. 3, tract. 14, disp. 1, punct. 5, n. 1.
[2] Decal. l. 3, c. 4, n. 10. [3] Ib. n. 2. [4] In 2, 2, l. 3, c. 5, n. 3.
[5] De iuram. dist. 2, n. 147. [6] Ib. n. 182.

mortalia, nisi blasphemiam vel gravem contumeliam simul contineant aut scandalo sint gravi; retinent tamen aliquam turpitudinem fiuntque cum advertentia ad substantiam operationis malae. Unde etiam tales consuetudinarii serio admonendi sunt, ut se emendent, v. gr. his verbis: Qua mensura mensus fueris, remetietur tibi; eveniet tibi infortunium et nescies, ex qua culpa, scias autem evenire ex tuis diris imprecationibus etc.

QUAESTIO VI

Quid observandum, si poenitens frequenter relabatur in eadem peccata venialia sitque iis assuetus.

187. Resp. 1. Si peccata venialia fiunt *ex subreptione*, negligentia aut subito aliquo motu, ut non raro accidit, v. gr. in mentis evagationibus tempore orationis, verbis otiosis, motibus impatientiae: frequens relapsus in eadem venialia non tam arguit defectum doloris ac propositi quam magnam naturae humanae fragilitatem et inconstantiam. Unde absolvi potest talis poenitens saepius in talia relapsus, dummodo aliunde nihil desit velitque magis conari ad se emendandum. Consultissimum tamen est, ut talis suaviter inducatur, ut addat ex vita praeterita, quod iam emendatum est et quod magis apprehendit atque sine confusione singulari potest repetere: — id quod addo, ne sacramentum reddatur odiosum. Dein excitetur ad singularem de illo dolorem, aut saltem de uno particulari iam ab ultima confessione admisso; sic enim consulitur reverentiae sacramenti et fructus eius certius obtinetur. Utile quoque est iis, qui recidunt in eadem venialia frequenter, ut vespere leviores poenitentias assumant, quando adverterint interdiu se in illud esse lapsos; hoc consilium si sequantur, sensim se emendatos invenient.

2. Si venialia sint *plene deliberata* peccata consuetudinis, cautius procedendum est, praesertim si non additur alia materia, de qua appareat verus dolor et propositum, quia prudenter timeri potest, ne desit dolor de illis venialibus. Unde sunt excitandi tales ad sincerum dolorem, propositis motivis,

qualia sunt sequentia: 1) Omne veniale peccatum est malum maius omni malo physico huius mundi, quia mala reliqua contra creaturas sunt, quae respectu Dei sunt quasi non sint, et velut nihilum et inane reputatae sunt ei; peccatum autem veniale contra Deum est. Malitia illius ex eo elucet, quia Deus, iudex iustus nec supra condignum puniens, in servis etiam suis gravissime id punivit: Moyses propter levem diffidentiae culpam exclusus est a terra promissionis; levis Ozae imprudentia morte repentina, levis vanitas Davidis in numerando populo peste et septuaginta milium hominum morte punita est. Anima etiam, licet in gratia constituta, sed infecta uno veniali peccato, ad conspectum Dei, nisi id deleatur, numquam admittetur; animae Deo dilectae in purgatorio, quas desiderat Deus protinus ad se admittere, exigente iustitia retardantur a coelo et gravissime puniuntur, donec poenam peccatis venialibus debitam exsolverint. Ex his collige, quantum malum sit peccatum veniale. 2) Mortale peccatum est malum, quo gravius cogitari non potest; ad hoc veniale disponit. «Qui spernit modica, paulatim decidet» (Eccli 19, 1). «Os, quod mentitur, occidit animam» (Sap 1, 11). Unde venialia deliberata causa saepe sunt aeternae damnationis. «Quia tepidus es, . . . incipiam te evomere ex ore meo» (Apc 3, 16). Venialiter peccans non horret Deo displicere; vult potius daemoni quam Deo ista actione placere; est inoboediens, ingratus, iniurius contra Deum, illi furatur gloriam suam. — Veniale peccatum est abusus divinae omnipotentiae et propriae facultatis atque creaturarum, quas Deus in gloriam suam condidit. Quare est malum Deo summo bono, omni cultu, honore, amore dignissimo; numquid ergo non est detestandum? 3) Iuvat hic quoque similitudinem adducere, v. gr.: Si filius esset, qui nollet sic offendere patrem, ut mereretur hereditate privari, paterna domo eici, non curaret tamen multis levibus eum offendere et esse ei molestus; num is non merito vituperandus esset, et si ingenua esset indole, non erubesceret? Ecce sic tu te geris erga Deum, qui mali

nihil, sed innumera bona tibi contulit. Usui etiam esse potest similitudo sponsae erga sponsum, famuli erga dominum bonum et liberalem sic se habentis. — Ubi videbitur poenitens his monitis dispositus, absolvi potest vel debet; nec est paritas recidivi in peccata venialia cum eo, qui recidit ex consuetudine in mortalia; nam peccata mortalia in homine maiorem arguunt malitiam quam venialia, quae difficilius evitantur, et Deus creditur facilius dare amicis gratiam efficacem dolendi quam inimicis, praesertim inveteratis, atque ex parte ipsorum gratia facilius erit efficax, utpote qui bene affecti sint erga Deum. Hinc plus fundamenti est credendi eos esse dispositos.

QUAESTIO VII.

Quae sint remedia spiritualia constitutis in occasione proxima et consuetudinariis in materia venerea.

188. Resp. Praeter dicta n. 16 et n. 74 proderunt sequentia:

1. Frequens confessio et communio, ut iam dixi, cum sincero dolore et proposito. Oratio et contritio frequens cum petitione veniae; et si quis est in occasione proxima, quam amovere non potest, fuga conversationis solius cum sola, fuga blandi aspectus, ioci, colloquii familiaris.

2. Sedulo expendere finem, ad quem creatus est homo, a quo si exciderit, perdita erunt omnia et restabit infelix aeternitas. «Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?» (Mt 16, 26.)

3. Expendere pretium animae Christo adeo dilectae. Est haec thesaurus unicus hominis, pretiosior omnibus totius mundi bonis, quia spiritus est immortalis, capax Deitatis, pretium sanguinis unigeniti Filii Dei. Habet homo animam unicam, et hanc tam parvi pendat?

4. Concipere ingentem horrorem omnis peccati, ponderando eius turpitudinem ex infinitis Dei in hominem beneficiis, gravitatem ex dignitate personae offensae et offendentis vilitate aliisque circumstantiis. Quis offenditur? Deus infinitae maie-

statis. — Quis offendit? Vilis, ingratus, rebellis homo. — Ubi? In conspectu Dei, iusti iudicis, benefactoris maximi et unici, in conspectu patris amantissimi etc. — Quibus auxiliis? Donis et facultatibus a Deo concessis et in hanc horam conservatis eo fine, ut salutem tuam, quam Deus unice intendit, iisdem opereris. Haec tu in perniciem tuam, in Dei contemptum detorqueas? — Cur offenditur? Ob vilem, turpem voluptatem, bestiis communen, ob nihilum. Huic tu Deum postponis; ob hoc interimis animam tuam, quam habes unicam, peior ipso diabolo, qui tentare te potest, nolentem in ruinam impellere non potest; sed quod ipse non potest, tu sponte facis. — Quomodo Deus offenditur? Summa temeritate, dementia intolerabili, quasi certum esset postmodum tibi dari locum poenitentiae, aut quasi non sufficiant ad te cohibendum praemia, quae diligentibus se, aut poenae, quas derelinquentibus se Deus praeparavit. Quid, si Deus diabolo, qui adstat paratus, permitteret, ut in flagranti te ad infernum abriperet? — Quando Deus offenditur? Eo momento, quo te portat in manibus suis, quo te invitat ad se unicum bonum tuum, quo offert tibi gratias suas, ut salutem tuam opereris, quas tu eo ipso spectante in eius convertis contemptum. Vide, quid agas. Tam diu te Deus toleravit, toties tibi ignovit; venit finis, finis venit, et quia sprevisti miserantis clementiam, incides in manus vindicantis. Poterisne habitare cum ardoribus sempiternis in igne, quem succendit furor eius?

5. Meditari de aeternis inferni poenis et ex iis colligere peccati gravitatem; de passione Domini nostri expendendo, quis, cur, pro quo, quantoque amore sit passus, et inde inferre, quid recta ratio a nobis exigat.

6. Moderari cibum et potum, sibi paulatim subtrahendo, donec deprehendatur quantitas ea, quae sit tantum ad vires officio suo pares necessaria; hoc enim daemonium non eicitur, nisi in ieiunio et oratione, proinde medium illud prius adhibendum est.

7. Ambulare in conspectu Dei praesentis, frequentando preces iaculatorias, v. gr. modo petendo veniam, excitando in se confusionem, quod toties offenderis benignissimam faciem patris, confitendo te indignum conspectu Dei, indignum qui assumas nomen Dei per os tuum etc.; iam agendo Deo gratias pro tam diuturna patientia et tot beneficiis; iam Deum adorando, iam committendo te eius protectioni.

8. Sistere se in ingressu in cubile et in egressu Crucifixo eumque audire dicentem: «Quid feci pro te? et tu quid pro me? quando erit finis turpitudinis tuae?»

9. Assuescere, ut omnia fiant ex sincera Dei dilectione, nempe quia dignus est omni cultu, honore, amore et obsequio.

10. Mane et vespere confugere sub praesidium beatissimae Virginis, ei se magna cum humilitate et fiducia offerre custodiendum, per diem saepe ad eam recurrere velut ad matrem etc.

11. Familiariter agere cum angelo custode, colere S. Iosephum, S. Ioannem Baptistam et Evangelistam, S. Aloysium aliosque sanctos eximiae castitatis.

12. Quoties pulsat tentatio, existimare signum ipsi dari, ut eliciat actum caritatis, statimque recurrere ad vulnera Christi, rogando, ne frustra velit impensum esse pretium sui sanguinis; vel statim mentem applicare aliis, dolendo, quod umquam Deum offenderit, vel humiliare se coram Deo, fatendo suam infirmitatem, dicendo: «Domine, salva me; causa tua, honor tuus impugnatur; ne permittas me separari a te.» Si caro infestet vehementer, expedit sibi dolorem imprimere, cedere loco et aliis se occupare. Cavendus autem est nimius timor et attentio ad tentationem; his enim augetur. Iuvat dicere: «Deus, ego amo te», munire se signo crucis et serio mentem intendere in alia seu bona seu indifferentia, v. gr. in numeranda vitra in fenestris, in legendum librum, colloquendum cum aliis etc.

13. Vitare occasiones tentationum et lapsuum; qui enim amat periculum, peribit in illo. Si autem tentationes sine

nostra culpa oriuntur, non sunt anxie timendae, sed agendum est sine perturbatione, ita tamen ut tota spes et fiducia ponatur non in nostris conatibus, sed in Dei auxilio, a quo omne datum optimum descendit. Quodsi naturaliter oriatur naturae venerea evacuatio, quae impediri facile non possit, teneantur manus quietae supra pectus, mens elevetur ad Deum cum humili petitione, ne permittat lapsum seu consensum, dein eliciatur dolor de peccatis, quibus sic puniri meruerit, et animo sit pacato. Vide dicta n. 74.

* CAPUT ADDITITIUM [1].

De modo agendi cum consuetudinariis et recidivis.

188 a. De agendi ratione cum consuetudinariis et recidivis publicavi in libellis periodicis «Theologisch-praktische Quartalschrift» (anni 1897) tractatum germanice conscriptum. Quem, cum complures probaverint, communis utilitatis causa in latinam linguam, non totidem tamen verbis, vertere atque hoc loco inserere visum est.

Eos, qui peccandi consuetudine vel occasione obstricti sunt, quomodo confessarius, ut muneri et conscientiae suae satisfaciat, tractet, res omnium iudicio difficillima est atque gravissima. Si accurate loqui volumus, difficultatem ipsam praebent ii, qui *relabi consueverunt,* sive relapsus oritur ex interno vitio et debilitate, sive ex externa occasione.

188 b. I. *Consuetudo et confessarii erga consuetudinarium munus.* Psychologia docet et experientia constat actus eiusdem generis repetitos in agente quandam inclinationem et propensionem producere, quo fit, ut in dies facilius similes actus ponantur et exerceantur. Quod verum est tum quoad res bonas tum quoad malas. Quae antea difficulter vel cum repugnantia fiebant, iam fiunt facilius, cum minore molestia;

[1] Ex hoc capite eliminanda censui, quae in capitibus praecedentibus ab auctore Reuter sufficienter exposita esse videntur.

quae antea fiebant libenter, libentius etiam et intensius fiunt. Unde dicitur consuetudo altera natura. Nam homo humanaeque facultates per frequens exercitium habitu quodam seu qualitate induuntur, quae in similes actus exercendos tendit hominemque ad eos ponendos quasi sollicitat. Quodsi ille habitus in bonos actus tendit, dicitur virtus; vitium, si tendit in actus pravos.

Vitium vero seu consuetudo mala hominem *longe magis trahit quam virtus.* Appetitus enim inferior in sensibilia bona tendit, quae non raro rationi repugnant evaduntque moraliter mala: qui appetitus in corrupta hominus natura longe fortior est quam appetitus rationalis, atque a consuetudine bona seu virtute acquisita vix in limitibus recti ordinis detinetur. Quodsi vitium seu mali consuetudo accedit, rationalem appetitum, voluntatem dico, inermem reddit atque vinculis quibusdam constringit, ne in rationalia seu moralia bona expedite feratur.

Nihilominus consuetudo etiam inveterata, quamquam vehementer ad malum inclinat atque resistentiam reddit difficiliorem, *libertatem non aufert;* quaecumque sollicitatio et tentatio ad peccatum oritur, quamdiu usus rationis manet, homo, si succumbit, libere succumbit atque peccat, idque eo magis, quod Deus debite petentibus auxilium gratiae non denegat, quo victoria naturalibus hominis viribus difficilior omnino possit reportari.

Consuetudo atque vitium oritur, ut dixi, repetitis actibus, atque crescente numero actuum habitus malus seu vitium crescit altioresque in anima radices agit. Non tamen a solo numero, sed etiam, idque maxime, ab intensitate actuum habitus incrementum pendet et ab intervallo, quod inter singulos actus intercedit. Crescit igitur actibus repetitis, eorum intensitate et frequenti exercitio; longa actuum intermissione et maxime actibus contrariis decrescit.

Cum intensitate actuum maxime crescat habitus, iam intelligitur facile eos habitus malos citius contrahi atque fortius

in anima inhaerere, qui versentur circa eas res sensibiles, in quas inferior appetitus vehementer ferri solet. Quod imprimis valet de vitio luxuriae; similiter in eo, qui naturaliter fertur in excessum circa cibum et potum, de ebriositate. — Natura sua non ita radicantur in anima faciliusque emendantur ea vitia, quae non adeo in inferiore appetitu quam in voluntate sedem habent; haec enim quodammodo contra naturalem voluntatis nisum cum labore et vi ei inseruntur ac proin sine conatu dimittuntur.

188 c. Ex eo autem, quod mala consuetudo ex una parte neque libertatem neque rationem peccati eiusque mortalis auferat, ex altera tamen parte ad peccatum sollicitet, eius periculum augeat, difficultatem evitandi peccati maiorem reddat: *consectaria magni momenti* deducuntur ad diiudicanda peccata consuetudinariorum et ad diiudicandas eorum obligationes.

1. *Consuetudo ipsa* est *novorum peccatorum periculum*, idque, si altas radices egit, grave. Cui periculo homo, quantum potest, se subducere tenetur; nam «qui amat periculum, in illo peribit» (Eccli 3, 27). Consuetudo prava non solum periculum peccati est, sed peccatorum in aliquo sensu causa efficiens atque fons uberrimus. Nam consuetudo illa seu habitus pravus, i. e. appetitus vitio affectus, natura sua transit in multas et frequentes appetitiones malas, quae urgent hominem ad malas actiones externas. Quae quidem cogitationes et appetitiones, quatenus advertentiam rationis praeveniunt, peccata non sunt, evadunt autem peccata, quando post advertentiam libere sustinentur. Immo fieri potest, ut ante plenam advertentiam rationis homo prorumpat in subitas actiones externas, imprimis in verba, rarius in ipsa opera mala: ita ut ne haec quidem peccata sint nisi materialia vel saltem subreptitia et venialia. At facile fit, ut rationis advertentia accedat neque homo se contineat ab actibus, ad quos vehemens appetitus impellit. Quapropter in vehementi consuetudine id etiam non raro accidit, ut languida quidem

advertentia rationis adsit, quae sufficiat ad constituendum peccatum etiam mortale, si obiectum grave fuerit, sed non ita mens percellatur, ut postea homo peccati gravis commissi recordetur seque eius peccati reum iudicet. Quod fit in ipsius hominis perniciem, cum reconciliationem cum Deo, qua se non indigere putet, nullo studio quaerat.

2. Praeterea addendum est, *homini non licere esse causam liberam peccati,* etiamsi sit materialis tantum. Verum consuetudo prava liberis actibus contracta, quae amatur et libere sustinetur, est causa libera earum actionum in se peccaminosarum, quae prorumpunt ante rationis advertentiam. Hae igitur actiones, utut in se non sunt formalia peccata, nihilominus in confuso et generatim sumptae consuetudinario, quamdiu prava consuetudo ei libera est, imputantur, utpote in ea consuetudine tamquam in causa libera contentae.

188 d. 3. Ex duabus igitur rationibus consuetudinario incumbit *obligatio pravae consuetudinis tollendae.* Ad quod saltem requiritur, ut peccator consuetudinarius peccata commissa detestetur, atque proponat, singulis sollicitationibus et tentationibus orituris, invocato Dei auxilio, resistere. Ita se praeparat ad consuetudinem exstirpandam eamque iam nunc reddit involuntariam. Quapropter indeliberatae actiones malae, quae abhinc ex contracta consuetudine oriturae sint, non amplius consuetudinario imputantur. Quod non est abs re poenitentem doceri, eo quod serio conanti solatio sit, cum e contrario timor eiusmodi subitaneis et indeliberatis actibus Deum offendendi poenitentem deiciat.

Hanc quam dixi pugnam contra pravam consuetudinem ex obligatione ineundam esse confessarius poenitentem docere debet, neque absolvendus est, qui ne ita quidem pugnare velit, cum serium non amplius peccandi propositum non habeat.

Praestat autem aliquid amplius facere. Ut antea monui, consuetudo actibus contrariis maxime decrescit. Quare qui magno animo contra vitia dimicare proponit, actibus vitio

contrariis se exercebit, quantum prudentia christiana permittit. Ita Sancti non vitia tantum, sed ipsas naturales inclinationes pravas heroice debellare consueverunt, libidinem dolore voluntarie sibi inflicto, gulam abstinentia et ieiunio, avaritiam liberalitate, superbiam humiliatione et sui abiectione strenue subiugarunt. Verum quidem est consuetudinariorum voluntatem bonam saepe languere eosque animi esse deiecti, atque multum saepe iam effectum esse, quod animos conceperint ad peragenda, quae absolute sunt necessaria. Attamen paulatim saltem ad tentamen quoddam maioris pugnae animari possunt, ut minima quaedam voluntarii praestent ex iis, quae tam larga manu et heroico animo Sancti pro Deo constanter egerunt. Neque omnino censeri debet manus Dei abbreviata, ut non possit etiam extraordinario modo aliquem peccatorem gratiis suis tangere et ad excelsiora movere. Quod confessarius sollerter attendere debet, ne fervorem in suscipienda pugna contra peccatum exstinguat neve novitium fervorem nimis ebullire sinat cum periculo, ne cito refrigescat maiorique cedat tepiditati et languori.

Haec de consuetudine in se spectata. Sed cum ea saepe iungitur aliud peccandi periculum, occasionem dico. De qua, sive cum consuetudine peccandi iuncta est, sive non, plura sunt dicenda.

188 e. II. *Occasio peccandi et munus confessarii erga occasionarios.* Ad ea, quae supra n. 168 sqq. exposita sunt, haec addenda videntur. Cum pericula etiam gravia pro diversis adiunctis possint esse graviora et minus gravia, tentationes graves, vehementes, vehementiores: cum necessitas subeundi periculi possit esse maior vel minor; cum malum, quod cum periculo illo removendo coniungitur, possit esse grave vel gravius, animus ad usum mediorum et ad pugnam contra peccatum promptus vel minus promptus, in exsequendis propositis magis vel minus fortis et strenuus: facile patet *non raro difficillimum esse definire,* quid in occasionibus vitandis vel diminuendis pro *gravi* obligatione singulis sta-

tuendum sit. Dubium enim esse potest, utrum certa quaedam occasio revera iam sit proxima, ita ut sub peccato gravi sit interdicenda; dubium esse potest, utrum adhiberi valeant media, quae periculum peccati satis diminuant, necne; utrum spes sit fundata permovendi certum hominem ad fidelem mediorum usum, an remedia censeri debeant inefficacia vel fidelitas et diligentia in usu mediorum efficaciorum habenda sit pro re desperata, ita ut gravissima etiam incommoda ut subeantur potius urgendum sit quam permittenda occasio continuata. In quibus dubiis solvendis maxima consistit difficultas pro confessario, si, quid liceat permittere, quid non liceat, discernere debet.

Nam si quid graviter illicitum fuerit poenitenti vel graviter praeceptum, atque poenitens quid omittere vel facere debeat cognoverit: confessarius absolvere nequit, nisi ab illicitis abstinere, praecepta adimplere poenitens serio velit. — Quodsi poenitens, quae facere vel omittere debeat, ex culpabili ignorantia nescierit, aut inculpabiliter quidem sed ita, ut in peccatum formale lapsurus sit: confessarius eum docere debet et monere, monitum vero, si nolit obligationi satisfacere, non absolutum dimittere. — Si demum ex una parte ignorantia est et mansura est inculpabilis, ex altera parte graviter dubitatur, num monitio profutura sit, confessarius male aget, si non interrogatus ignarum doceat, cum potius debeat tacere.

Quae cum generales regulae sint de iis, quae confessarius circa poenitentem debet observare, per se etiam locum habent, quando agitur de occasione proxima declaranda vel prohibenda. Verum quia occasio proxima formale peccatum necessario secum trahit, de supprimenda monitione vix umquam sermo esse potest neque in iis casibus, quando occasio, de qua agitur, nondum eum quidem gradum attingit, ut proxima dici certo debeat, brevi tamen proxima certe evasura est.

Quare: 1. Qui adire solet personam, conventum, domum, ubi graviter peccare solet aut ubi communiter *gravem* tentationem subit, illi, quando ei liberum est, non licet adire

hanc personam, hunc conventum, hanc domum etc.; serio promittere debet se hanc occasionem esse vitaturum. — Si quando autem propter adiuncta moraliter non possit non adire, debet serio promittere se usurum esse mediis et cautelis, quae periculum omnino imminuant, v. gr. se velle moras ibi non trahere, necessarium negotium cito expedire, atque insuper, quoties ita adire necessarium fuerit, se velle propositum non peccandi coram Deo renovare atque divinam gratiam protectionemque ex animo implorare.

2. Qui domi habet imaginem lascivam, cuius aspectu in pravas cogitationes et desideria trahi solet, eam destruere debet. Qui habitat cum persona, quacum peccare solet, ab ea, si potest, se avellere debet. Quodsi non sit in eius potestate ab illa persona se separare: mediis uti debet orationis, mortificationis; evitare debet *familiarem* cum illa persona usum, neque solus esse cum sola; immo pro circumstantiis uti debet minis denuntiationis apud dominum vel superiores vel ipsa etiam denuntiatione, cubiculi occlusione, reali iniuriarum propulsatione, auxilii per clamores imploratione. — Quae media etiam locum habent, si separatio non potest fieri ilico, sed propter fundatum diffamationis alteriusve gravis damni timorem aliquantulum debet differri.

188 f. Haec a poenitente praestanda esse neque eum, qui praestare nolit, posse absolvi clarum est. Id solum restat inquirere, *possitne confessarius propositis et promissis poenitentis contentus* esse, eumque qui promittat absolvere.

Ad quod ut rite respondeatur, *primo* sumam occasionarium non recidivum, sed eum qui nunc primum moneatur de obligatione vitandae occasionis. Quodsi apud eum agitur de *occasione non continua*, aliud nihil rationabiliter postulari potest nisi seria poenitentis promissio non amplius adeundae occasionis. Dilata absolutio novas vires, quibus facilius stet promissis, non conciliat, sed absolutio collata. — †At si agitur de *occasione continua* unica actione abrumpenda et resecanda, et si in sustentanda ista occasione scandalum

publicum est, haec sola ratio postulat, ut scandalum antea re sit sublatum, quam peccator saltem in ipso loco possit admitti ad Eucharistiam et similia sacramenta vivorum: nihilominus etiam absolutionis dilatio interdum iuvare poterit poenitentem †, ut citius et efficacius scandalum re ipsa auferat, peccandi occasionem removeat. Immo haec ipsa ratio, ut efficacius occasio peccandi removeatur, saepe confessario suadere poterit, ut, etiam quando scandalum publicum non adest, sed occasio proxima est occulta, absolutionem differat, donec poenitens occasionem istam continuam non solum voluntate et proposito sed re removerit vel deseruerit. †Attamen, ut canoni 886 satisfiat, absolutio, poenitente certe disposito, tunc tantum differri potest, si ad confessarii insinuationem ipse poenitens dilationi *facile* consentiat; nam si eam revera «petat», differenda non est.†

188 g. III. *Relapsus in peccata et agendi ratio confessarii cum recidivis.*

Relapsum in se non esse rationem, cur absolutio sacramentalis peccatori deneganda sit, ex promptitudine elucet, qua Deus iterum iterumque veniam dare paratus est. Si enim Christus Petro interroganti respondit, non septies tantum sed septuagies septies condonandam esse iniuriam a proximo illatam, in hoc divinam bonitatem et misericordiam delineavit, quae in venia danda non quaerat, quoties homo peccaverit, sed num serio resipiscat et abhinc Dei amicus esse velit. Alias ne expediret quidem ad frequentem confessionem fideles exhortari eosque monere, ut post lapsum quam primum in tribunali poenitentiae se sisterent, reconciliationem cum Deo nullatenus differentes.

Non tamen nihil contra peccatorem relapsus arguit. *Propter relapsum enim oriri potest dubium, an praeterita confessio fuerit sincera et bona;* immo *etiam* dubium potest excitari *circa praesentem dispositionem.* Magis etiam relapsus ratio est, cur confessarius ad efficacem usum remediorum impellere et obligare debeat.

Dubia igitur modo dicta examinari et, quantum fieri potest, solvi debent. Dubium circa confessiones praeteritas, quod post aliquam indaginem remanet, practice solvendum est in favorem poenitentis, ita ut ad repetendas confessiones non debeat obligari, cum «in dubio standum sit pro valore actus». Dubium circa dispositionem praesentem signis positivis a poenitente praebendis auferri debet, quae, etsi non plane certum, tamen prudens et probabile omnino iudicium in confessario gignant de dispositione reipsa sufficiente; alias generatim absolutio non danda sed differenda est. Summa tandem prudentia opus est in indicandis praescribendisque remediis, quae relapsum caveant.

Sane qui relabitur brevi post peractam confessionem, idque sine pugna et resistentia contra tentationes atque frequenter, suspicionem ingerit de voluntate emendationis, quam conceperat, inerti, de proposito non firmo parumque sincero, atque ita de valore praeteritae confessionis merito potest dubitari. Quando igitur voluntas praesens non fortior apparet quam in confessionibus praeteritis, sed eadem debilitate languet: dispositio sufficiens manet *dubia*. Quapropter confessarii est exstimulare poenitentem, utrum forte augere possit signa bonae voluntatis et firmioris propositi. Quodsi conatus iste frustra adhibeatur neque confessarius prudenter iudicare possit poenitentem nunc melius dolere et emendationem proponere, absolutio regulariter differenda est, dum meliora sincerae voluntatis signa apparent. Dixi: «regulariter»; nam sunt casus extra regulam, in quibus secundum probatissimos theologos etiam in dubia dispositione absolutio danda est conditionate.

Nihilominus suspicio fundata contra dispositionem poenitentis non ex quolibet relapsu oritur, sed ex frequentiore seu iterato relapsu, aliis verbis: contra eum peccatorem, qui relabi soleat. Ille enim solus, qui a) saepius i. e. compluries post confessionem peractam idque b) sine serio emendationis conatu c) in eadem peccata relapsus est, *recidivus vocatur sensu theologis usitato*.

Qui igitur non multo post peractam confessionem relapsus quidem est, sed non sine seria pugna et post victoriam semel iterumque de peccato atque tentatione reportatam: is non censetur recidivus sensu illo malo, neque ratio est, cur serio affirmanti se dolere de peccato atque emendare se velle fidem non adhibeam. Id tamen agendum est, ut statuat saepius etiam ad sacramenta accedere, post lapsum quam citissime resurgere, ne peccatum non condonatum nova peccata post se trahat.

Cavere autem debet confessarius a quodam errore et deceptione. Sunt enim consuetudinarii, qui certis intervallis conscientiam deponere velint atque hac ipsa intentione per octo vel quindecim dies ante statutum diem confessionis a peccatis studeant abstinere, quo possint signum bonae voluntatis afferre; paucis autem diebus vel una alterave hebdomada a confessione elapsis semper eodem modo ad pristina peccata redeunt. Periculum est, ne hoc agendi modo et poenitens ipse se decipiat et fallat confessarium; nam constans eiusmodi agendi modus longe abest a seria emendationis voluntate. Quapropter qui ita agere deprehenditur, omnino exstimulandus est et, nisi nunc meliora dispositionis signa ostendat, differendus. Verum a temporanea illa emendatione vel pugna contra peccata deduci possunt ad diuturniorem et absolutam emendationem; cum per tantum tempus per Dei gratiam potuerint a peccato cavere, facile iis ostendi potest, non esse impossibile se a peccato servare immunes, dummodo instanter implorent divinum auxilium; quod fieri potuerit per hebdomadas, fieri etiam posse per menses et ultra, sed frequenter novas vires esse hauriendas ex sacramentis saepe, at cum bona praeparatione suscipiendis.

Verum qui ne id quidem perfecerunt, ut per aliquod temporis spatium a peccatis abstinerent, sed non obstantibus confessionibus iteratis semper eodem modo — fortasse iam per annos — in eadem peccata reciderunt, hi propriissime sunt recidivi, atque confessarius ad eos, quomodo tractet, specialiter animum advertere debet.

188 h. 1. Quodsi ille *relapsus ex occasione externa libera* ortus sit, signum habes satis fundatum, confessarium vel confessarios non semper fecisse, quod ipsorum muneris erat. Nam qui in eiusmodi occasione constitutus relabebatur, mox debebat ad hanc occasionem deserendam seu auferendam omnino adstringi. Immo etsi non fuerit occasio ista omnino libera, sed aliquo modo necessaria, ita ut auferri non potuisset sine incommodo et labore: tamen, postquam aliquoties in cassum factum fuerit periculum in ipsa occasione illa cavendi peccati, onus illud, quod cum removenda occasione coniunctum erat, imponi debebat, atque per ipsam dilatam absolutionem poenitens erat cogendus, ut reipsa occasionem desereret. Si occasio erat continua seu *in esse,* secunda vel tertia vice confitenti absolutio erat differenda usque ad peractam separationem; si occasio erat *non in esse,* differenda ita erat, dum per certum tempus ab adeunda occasione abstinuisset. Solummodo si post longa intervalla occasio illa solebat redire, non per absolutionem dilatam, sed per alia media voluntas poenitentis firmanda atque firmioris voluntatis signa quaerenda erant.

188 i. 2. Quando autem *relapsus frequentior sine externa aliqua occasione* ex fragilitate interna provenerit, ante omnia inquiri debet, utrum adsit relapsus strictiore sensu necne: videlicet fueritne relapsus sine conatu et pugna, mox post confessionem peractam, remediis, quae confessarius dedit, vel omnino non vel languide tantum et negligenter adhibitis, an post confessiones per dies et hebdomadas conatus serius atque pugna contra vitium et tentationes exstiterit, voluntate non languente nisi paulatim post longius tempus, atque ita demum peccatum unum longam peccatorum seriem secum traxerit. — Posterius si obtinuerit, elaborandum est, ut poenitens saepius quam antea seriam voluntatem cavendi peccati atque divinae amicitiae servandae renovet, si fieri potest, per ipsa sacramenta, alias per seriam mentis recollectionem, quasi vellet ad ipsum sacramentum sese praeparare, eamque coram

effigie Crucifixi instituendam, et ut, si quando contra spem infeliciter relapsus fuerit, statim seu quam primum per sacramentum poenitentiae reconciliationem quaerat neque ad alterum usque relapsum eam differat. Quodsi recidivus haec volens suscipit, relapsus etiam frequentiores non tantum contra eum praeiudicium creant, ut non possit denuo statim absolvi. — Si autem contrarium locum habuit, i. e. si peccator mox relapsus sit idque sine certamine et voluntatis conatu: huic peccatori sane serio in mentem reduci debet, in quanto versetur spirituali discrimine, quantopere deficiat in seria voluntate et proposito emendationis: quae si adfuissent, saltem conatum emendandi fecisset. Quapropter nisi *melioris* voluntatis nunc signa praebeat, absolutione nondum est donandus. Fortasse ipsum illud confessarii monitum atque minae non absolvendi efficient, ut peccator recidivus vires sumat atque firmam tandem voluntatem ostendat. Si ita est, sufficere possunt solae minae pro futuro; alias minae exsequendae seu differenda est absolutio ad aliquod tempus. Neque tamen ita differenda est, ut poenitens animo despondeat; potius exstimulandus est, ut spem concipiat et vires sumat ex sperato divino auxilio, quod nostra infirmitate atque adversarii viribus longe est superius. Animandus est hisce fere rationibus: contra consuetudinem inveteratam et diu nutritam grave quidem fore dimicare, at tam brevi pugna coelum dignum esse; post aliquem conatum laborem fieri leviorem; consuetudinem consuetudine esse vincendam; immo si quando adversarius noster diabolus tentationibus suis contra ipsum in pugna praevaluerit ipsumque in peccatum detruserit denuo, ne propterea omittat statuto die (post *octo* vel *quindecim* dies) ad confessarium redire. Praeterea docendus est vim et efficaciam contritionis perfectae.

Confessarius igitur, qui hoc modo laborat in disponendo poenitente, non raro id obtinebit, ut aut omnino non sit necesse absolutionem differre, aut post *brevem* dilationem absolutio dari possit. Si intra spatium statutum poenitens forte non omnino caverit a peccato consueto ex infirmitate

orto, sed relapsus fuerit: id magnopere quidem erit dolendum, non tamen semper absolutio propterea denuo differenda. Nam si lapsus sequebatur seriam pugnam et victoriam aliquoties reportatam, voluntas quidem magis etiam exstimulanda est; at dari potest absolutio, si modo *propositum* adsit absolutum non amplius peccandi.

188 k. Exemplum sumi potest a sanctis viris et confessariis. Quorum duo referuntur a *Gaume,* Manuel des confesseurs n. 336 et 338. S. Bernardus refertur in confessionali incidisse in peccatorem infelicem, qui ne seriam quidem *voluntatem* concipere posse videbatur abstinendi a peccato mollitiei. Absolvi igitur nunc non poterat. Sanctus autem iussit adulescentem redire post triduum, atque isto saltem triduo sese continere in honorem SS^ae^ Trinitatis. Adulescens morem gessit et se continuit neque tamen paratus erat simpliciter peccato valedicere. Sanctus idem iubet facere secundo in honorem B. Mariae Virginis. Etiam id obtinet, neque insuper adulescens maiores ceperat animos et vires. Tertio iubetur in honorem s. Angeli custodis se continere. Quo experimento tantas cepit vires, ut iam proponeret, cum Dei gratia non per triduum solum sed semper a peccato abstinere. Adulescens absolvebatur et emendatus erat. — Diversum agendi modum tenuit cum simili peccatore S. Philippus Nerius. Erat adulescens similiter peccato ita deditus, ut vix non quotidie laberetur. Dolet tamen serio et emendationem promittit: a Sancto absolvitur, ea sola imposita poenitentia, ut post lapsum redire statim teneatur, antequam labatur iterum. Adulescens id facit, saepe facit, at totidem eadem imponitur poenitentia — post aliquot menses inveterata consuetudo evulsa erat atque prostrata, ex peccatore luxurioso adulescens evaserat quasi angelus puritate. Contra eiusmodi peccata quam frequentissimus recursus ad sacramentum poenitentiae remedium est fere necessarium. Quodsi qui ad illud recurrerit, bonam voluntatem ostendit atque pugnandi animum, absolutio ne saepius quidem relabenti neganda est.

1881. 3. Difficilius utique est consilium capere, quid sit faciendum, quando *relapsus,* ex parte saltem, oritur *ex occasione externa non ita libera.*

Si occasio illa est *absolute* necessaria, qui in ea recidivus est, vix aliter est tractandus atque recidivus ex infirmitate interna. Unicum quod fieri potest, est, ut praescribantur remedia, eorum usus fidelis urgeatur, eaque augeantur, dum efficax evadat poenitentis emendatio. Sed si poenitens in usu remediorum fuerit negligentior et propterea relapsum non satis caveat, minis denegandae absolutionis aut ipsa absolutione denegata fidelior usus urgendus est.

Si occasio non absolute quidem necessaria est, sed necessaria *moraliter,* i. e. non sine incommodo et damno vere magno evitabilis: in casu relapsuum magna opus est prudentia, ut rite statuatur, utrum sisti possit et quamdiu possit in praescribendo et augendo usu remediorum, quibus speretur evasuram esse occasionem ex proxima remotam, an et quando haec spes non amplius prudenter possit haberi atque poenitens obligandus sit etiam sub poena denegandae absolutionis, ut posthabito etiam magno damno occasionem revera deserat vel a se repellat.

Supra dictum est, esse regulam valde fallacem, ex solo numero lapsuum computato definire occasionem proximam, ac si esset quidem occasio proxima, quae, cum decies adiretur, induceret novies vel octies in peccatum, dici vero nondum posset proxima occasio, si quinquies vel sexies in peccatum induceret. Hic tamen addo, ex diverso illo numero lapsuum sumi nihilominus posse diversum modum tractandi peccatorem in occasione moraliter necessaria recidivum.

Verum utique est, qui volens sine causa gravi excusante occasionem adit, in qua ex experientia scit se frequenter lapsum esse, eum temere se in periculum conicere atque temeritate illa iam peccare, idque plus minusve graviter pro probabili praevisione lapsus secuturi. Si vero causa gravis accedat atque cautelae adhibeantur et divinae gratiae pro-

tectio imploretur, longe aliter iudicandum est de ea occasione, in qua quis positus hucusque toties se immunem servaverit, quoties fuerit aliis vicibus victus, atque de ea, in qua fere semper peccaverit. Ut posteriorem denuo adire liceat, etiam adhibitis cautelis, rationes adeo graves esse debent, ut eam vitare moraliter quasi impossibile sit; ut denuo adeat priorem, ratio minus gravis sane sufficere potest.

Quae locum habent in cuiuslibet generis occasionibus etiam non continuis, maxime vero in continuis. Si quis enim circiter toties occasionis illecebris restitit tentationemque vicit, quoties aliis vicibus victus est, non est ad tantum onus damnumque subeundum obligandus, ut ab occasione illa se separet, quantum subire demum debet, qui vix non semper est lapsus; potius spes est, fore ut *diligentiore* usu remediorum vel *gravioribus cautelis* adhibitis occasionem illam reddat non amplius graviter periculosam. Media via hac in re incedere prudentia docere debet, non regula aliqua uniformis, ne ex una parte periculum minoris aestimetur et diutius permittatur, neve ex altera parte severius exigatur realis occasionis fuga, quando propter gravissimum onus cum fuga coniunctum iussi exsecutio sperari non possit, possit vero praescriptis cautelis et mediis, occasione manente, diminui eius periculum. Neque prudentiae suae naturali tantum confessarius confidat, sed humili prece lumen imploret Spiritus Sancti.

Accidere sane potest, ut et occasio quaedam tantas subministret illecebras, et peccatoris voluntas experientia teste tam debilis et inermis appareat ad resistendum, ut confessarius sibi non possit non persuadere, difficilius omnino esse pro isto homine in occasione posito victoriam reportare, quam incommodum illud quantumvis grave demum subire, quod relinquendo occasionem subire cogatur. Id maxime valet in re luxuriae. Quod si ita est, confessarii est poenitentem exhortari, animare, paratum reddere ad onus illud fortiter ferendum et incommodum istud pro Deo subeundum, et quando eum paratum videt, celerem exsecutionem urgere. Grave igitur

incommodum, immo valde grave, aliquando imponere debet confessarius; neque tamen, quamdiu alia remedia possibilia sunt, onus humanis viribus gravius: id enim esset hominem alioquin iam debilem in desperationem agere et in maiora atque frequentiora peccata detrudere. Ceterum semper debet confessarius poenitentis animum erigere et spe auxilii divini aeternique praemii onus alleviare. Etiam aliquando fieri potest, ut confessarius non audeat realem occasionis fugam utpote difficilorem iniungere; sed ut poenitenti relabenti demum eligendum debeat proponere aut realem occasionis fugam aut diligentiorem et efficaciorem usum mediorum, eique interim absolutionem differat. Quam numquam denegare vel differre recidivis indulgentia est nimia; propter quemlibet relapsum denegare severitas non toleranda.

188 m. Aurea verba sunt, quae *Leo XII*, cum iubilaeum anni 1825 ad orbem extenderet, Constitutione *Charitáte* d. d. 25. Dec. 1825, ad confessarios fecit. Praestat haec repetere: «Habeat [confessarius] prae oculis documenta illa Ritualis Romani: videat diligenter sacerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel differenda sit absolutio, ne absolvat, qui talis beneficii sunt incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia et inimicitias deponere, aut aliena si possunt restituere, aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo peccata derelinquere et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant et scandalum tollant. Quae quidem nemo non viderit quam longe ab eorum ratione distent, qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici peccatorum genere infectum, statim pronuntiant, se non posse absolvere: iis nempe ipsis mederi recusant, quibus maxime curandis ab eo sunt constituti, qui ait: ‚Non est opus valentibus medicus, sed male habentibus'; aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae diligentia, aut doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment; ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in

aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione et in desperationem salutis adducat. Sistunt se quidem multi sacramenti poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen huiusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo sacerdos viscera indutus misericordiae Iesu Christi, qui non venit vocare iustos sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere. Quod si praestare praetermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam ceteri ad confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt iudicandi, non qui vel gravissima admiserint flagitia, vel qui plurimos etiam annos abfuerint a confessione — misericordiae enim Domini non est numerus et bonitatis infinitus est thesaurus —, vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in se ipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine sacerdotis ipsius opera assecuturi: sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis, non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta caritatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter iudicentur. Quocumque autem animo sint, qui accedant ad ministrum poenitentiae, nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quisquam Dei bonitati, aut sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si iusta sit causa, cur differenda sit absolutio, verbis quibus poterit humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus officiumque suum et eorum ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quam primum blandissime alliciat, ut iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum, gratiae coelestis dulcedine reficiantur.»

188 n. 4. Nostra maxime aetate ante omnia *cavendum est a nimia severitate.* Cum enim fides langueat atque religiosa exercitia facillime negligantur, confessarius non raro rationem habet, cur dubie dispositum, qui alias nondum absolvendus sit, conditionate absolvat. Quem agendi modum quoad ipsos recidivos *S. Alphonsus* VI 432, 4⁰ pro certis casibus approbat his verbis: «Non posse absolvi sub conditione peccatorem recidivum in culpas letales, qui non probetur dispositus per signa extraordinaria, prout infra dicemus n. 459, nisi esset in periculo mortis, *vel nisi* — excipit *de Schildere*[1] apud *Lacroix* (l. 6, p. 1, n. 110) *prudenter timeatur, quod peccator ille non amplius ad confessionem redibit et in peccatis suis tabescet.*»

Quare non adeo frequenter medium differendae absolutionis usui esse debere, ex ipsius *S. Alphonsi* doctrina elucet; peccatores recidivos iterum iterumque absolvi posse docet, quando signa doloris praebeant extraordinaria.

188 o. 5. Quae *extraordinaria signa* me hucusque non tetigisse, lectori mirum potest videri. Haec non praetermisi eo, quod non tanti aestimem extraordinarii doloris manifestationem, sed quod difficulter definiatur, quid et quantum certa quaedam signa probent, neque ex solis illis signis poenitentis dispositio vera et sufficiens colligatur. Iuvant tamen non raro illa signa confessarium, ut dispositionem deprehendat. Generalia quaedam de signis doloris his videntur posse comprehendi:

a) Signum ordinarium doloris est seria poenitentis attestatio. Quae generatim sufficit ad probandam dispositionem, videlicet dum non adsit gravis causa contraria, ex qua conici debeat, poenitentem aut fallere aut ipsum falli.

b) Frequentior relapsus diminuit vim probandi, quam alias ipsius poenitentis assertio habet. Etsi enim non ilico inferri possit, poenitentem velle scientem fallere, tamen suspicandum

---

[1] Cf. de principiis conscient. tract. 6, n. 2.

est, ne ipse fallatur in aestimanda propria sua voluntate eiusque firmitate non amplius peccandi. Quapropter confessario videndum est, num quid deprehendere possit in poenitente, quo vis probandi bonam voluntatem augeatur. Atque momentum eo maius et gravius inquirendum est, quo graviores sunt circumstantiae, quae nudum poenitentis de se testimonium reddant suspectum.

c) Quae et quanta signa exigi debeant ad testimonii vim augendam, absolute dici nequit, sed in singulis casibus prudenti confessarii aestimationi id relinquitur.

d) Adiumenta ad discernendam seriam poenitentis voluntatem etiam post iteratum relapsum praebent ea, quae dicuntur signa extraordinaria, quae enumerata habentur apud *S. Alph.* VI 460 et *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[12] 549. At etiam ea signa non praebere certum in omni casu argumentum, iam ex eo patet, quod S. Doctor ex iis modo magis modo minus certam et probabilem sufficientis doloris demonstrationem sumi posse tradat.

Quae hic in genere de consuetudine peccandi, de occasione, de relapsu dicta sunt, ad singula peccatorum genera et occasiones facile applicantur. Remedia opportuna et varia in hoc ipso opere supra a n. 56sqq et n. 188 copiose subministrantur.

CAPUT II.

De confessario poenitentis, qui longo tempore confessus est invalide, vel de eo anxius est aut generalem confessionem facere desiderat.

QUAESTIO I.

Quomodo agendum cum eo, qui sacrilege diu confessus est.

189. Resp. I. Cum eo, qui confessus est invalide aut de eo timet *ob peccatum aliquod omissum,* ita fere agendum est: 1. Moneatur, ut confiteatur commissa ab ultima confessione et tunc addat peccatum omissum. — 2. Interrogetur,

utrum reticens peccatum sciverit esse mortale, vel id putaverit vel certe dubitaverit, necne. Si neget, quaeratur, num postea aliquo tempore illud tacuerit putans esse mortale aut cum dubio tacuerit. Si hactenus nec scivit nec dubitavit, non est opus aliquid repetere; si autem aliquo tempore scivit aut dubitavit, ab eo tempore repetendae sunt confessiones, quia fuerunt invalidae; confessiones autem praecedentes dubium aut ignorantiam vincibilem non ideo fuerunt invalidae. — 3. Si scivit tantum in genere esse malum, non distinguens gravene an leve esset, non celaturus, si scivisset esse grave, probabile est non esse opus repetere confessiones, quia probabiliter tantum peccavit venialiter, nisi tamen ipse putasset esse obligationem gravem confitendi, vel de eo dubitasset, de quo interrogandus est; nihilominus tutius semper est repetere confessiones, quia forte exercite apprehenderat malitiam gravem. — 4. Si sciens esse peccatum mortale vel de eo dubitans illud tacuit, interroga, quoties memor illius peccati confessus sit et communicarit vel quoties solitus sit intra annum confiteri et communicare, num singulis mensibus etc. Illae enim confessiones omnes repetendae sunt, *non tamen eae, quas immemor illius bona fide* fecit, si aliunde nihil defuerit. Accidere tamen potest, ut nesciat, quae peccata commiserit tempore illo, quo bona et quo mala fide processit, proin a quibus absolutus sit aut non sit, in quo casu inducendus est, ut generalem a tempore peccati omissi confessionem faciat. Porro, si reticuit ex verecundia aut cum gravi remorsu conscientiae, censendus est satis advertisse, esse peccatum grave illud omittere. — 5. Si semper fuit memor illius peccati, ideoque semper sacrilege est confessus, interrogandus est, quoties in illo statu per annum solitus sit confiteri et communicare. Et tunc, si semper eidem confessario sit confessus, qui adhuc memor sit mortalium peccatorum et status poenitentis saltem in confuso, sufficit ut dicat: Accuso me de peccatis omnibus v. gr. ab hoc triennio commissis, ex quo per annum v. gr. vicies solitus sum confiteri et communicare. At si confessarius non

sit amplius memor mortalium, et ne in confuso quidem ullo modo statum poenitentis sciat vel brevi interrogatione cognoscere possit, aut si poenitens semper alteri est confessus, tenetur omnia repetere quoad numerum et quoad speciem simulque addere quoties sacrilege confessus sit et communicaverit. Si aliquoties confessus sit alteri, haec omnia repetenda sunt in numero et specie, non ea, quae est confessus apud praesentem confessarium et quorum is in confuso saltem memor est. — 6. Si confessarius deprehendat confessum multis annis sacrilege non praeparatum ad confessionem generalem, iubeat eum confiteri, quae occurrunt memoriae, examinet illum de magis obviis, ut sic aperto ulcere et diminuta verecundia facilius redeat; deinde moneat, ut circa reliqua magis se examinet, nam tam subito omnium recordari non potest; demum dicat, ut redeat designato tempore pro complenda confessione, addendo, modo non absolvi eum pro maiore sua quiete futura, atque ita bene animatum impertita benedictione dimittat. Quodsi non posset redire, nec putaretur alteri facile confessurus, adiuvandus esset examinando illum per praecepta decalogi, Ecclesiae, peccata capitalia, monendusque, si forte deinde peccata in mentem venerint commissa a tempore primae sacrilegae confessionis, ea confitenda esse; demum ei iniungatur pro poenitentia, ut proxima occasione, praevio diligenti examine, confiteatur, si quid occurrerit, quod omissum et confitendum sit. — 7. Pro examine talis poenitentis notandum est, numerum peccatorum internorum melius conici ex consuetudine et tempore, quo in illis haesit, ea iterando in septimana vel mense toties vel toties, quam ex relatione poenitentis[1]. In peccatis autem externis expedit primo pro-

[1] Quoad peccata interna ne eum quidem numerum semper exquirendum esse, auctor est P. Segneri, Instructio confessarii c. 2. En eius verba: «Quando certus numerus sciri nequit, sufficit probabilis; perquire in genere tempus, quo peccato alicui fuerint dediti; sciscitare, quoties per mensem aut hebdomadam illud committere sint soliti. Immo circa quosdam actus internos, quales sunt odii, luxuriae, nihil attinet (saltem ordinarie), in longioribus confessionibus

ponere magnum numerum, quem si poenitens affirmet, augeatur paulatim, quaerendo, an non forte saepius, tot vicibus? Si neget illum magnum numerum, proponatur paulo minor addendo semper circiter, donec aliquando tandem aliquid affirmet. Denique confessarius magis laboret de vero dolore et proposito ab eiusmodi hominibus eliciendo, quia in eo periculosior et frequentior est defectus.

190. Resp. II. Si poenitens *nihil quidem voluntarie omisit,* attamen timet, ne invalide sit confessus, indaganda est causa illius timoris et conditio poenitentis; ac 1. quidem, si timet ideo, quia longo tempore haesit in consuetudine peccandi graviter, putatque defuisse saepe dolorem et propositum, utiliter faciet confessionem generalem, saltem incipiendo ab illo tempore, ex quo merito timet. 2. Si est scrupulosus et inaniter timet, ordinarie permittendum non est, ut confessionem generalem faciat, praesertim si bene vixit, aut malae vitae semel confessionem generalem fecit. 3. Etsi scrupulosus non sit, si tamen moraliter non est certum, eum antehac invalide esse confessum vel peccata non explicasse debite, obligandus non est ad confessionem repetendam, quia possessio est pro confessione, cuius valor, cum adesse debuerit, praesumendus est, nec delictum praesumitur. Unde, quamdiu probabile est, eum antehac confessum esse valide, non tenetur confessiones repetere; est autem probabile hoc ipso, quod aliquando de vita praeterita cum morali diligentia recogitaverit et confessus sit. *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1221 et n. 1883. 4. Si hucusque fuit

---

ita rigide frequentiam examinare, quia plerumque explicari non potest absque periculo errandi sive per excessum, sive per defectum; sed satis erit habere rationem temporis, quanto quis in discordia vixerit, vel mulieri fuerit familiaris. Neque enim novum est, res, quae ad calculum solent numerari, expendere ad mensuram. Ita quis est, qui ab oeconomo tempore messis exigat granorum *numerum?* Rectius integros acervos *modiis* admetiri mos habet.» Quae ultima verba, quamquam cum quadam exaggeratione dicta, indicant tamen non nimium debere esse confessarium in inquirendo numero talium peccatorum, in quibus poenitens quasi continuo haeserit.*

semper timoratae conscientiae solitusque se bene praeparare, nec voluntarie aliquid omisit, prudenter praesumitur, semper eum bene confessum esse, quia ex communiter contingentibus prudens est praesumptio. At si non fuit timoratae conscientiae, sed consuevit negligenter se praeparare, praesumptio est contra ipsum, ideoque tenetur repetere confessiones, de quarum valore dubitat. Quamquam non expedit semper, quando quis advertitur male confessus, statim eum monere quasi de confessione generali facienda, praesertim si poenitens sit plane rudis vel anxius, pudibundus, quia hoc quosdam nimis perturbat, putantes impossibile esse omnium recordari. Itaque in hoc casu confessarius dicat poenitenti: Numquid libenter pro quiete animi tui vis omnia peccata totius vitae confiteri, quae modo potes? Si annuat, percurrat praecepta, peccata capitalia, occasiones et occupationes poenitentis, et sic eliciat ex ipso quasi non advertente confessionem generalem; deinde interroget, num sit praeterea aliquid, quod conscientiam gravet; demum studeat intelligere numerum Communionum et confessionum, quae forte sacrilegae fuerunt. Talis non satisfecit quidem annuae confessionis et Communionis praecepto; at pauci ad hoc attendunt.

QUAESTIO II.

Quomodo agendum sit cum eo, qui vult generalem confessionem facere.

191. Resp. Cum eo, qui non tenetur, vult tamen generalem confessionem instituere, sic procedi potest: 1. Etsi per se non tenetur peccata ab ultima confessione commissa distinguere ab aliis iam accusatis, quia omnia vult subicere aequaliter et confusio substantiam actus non mutat: saepe tamen melius est ea distinguere, tum quia circa ea, quae numquam confessus est, communiter magis est poenitens examinandus, tum quia sic melius intelligitur, qui sit status praesens poenitentis et quae media necessaria sint contra relapsum, si forte ab ultima confessione frequenter relapsus sit in idem peccatum. — 2. Non sit confessarius importunus

in exquirenda specie et numero [ex confessionibus praeteritis], nisi poenitens velit, quia, cum semel, ut suppono, sit bene confessus, necesse non est novam molestiam facere, nisi videatur id expedire ad maiorem poenitentis quietem. — 3. Si semel fecit confessionem generalem exactam de iuventute, incipiat ab ultima generali, omittendo antecedentia, nisi quid esset, quod magis gravaret et quod vellet ad solatium addere. — 4. Qui in peccatis luxuriae vixerunt, iis una tantum vice permittenda est confessio generalis, ne sordes saepius movendo phantasiam rerum turpium speciebus magis impleant et se iterum inquinent; una itaque confessio ut accurate fiat permittatur iis, ac deinceps quotannis generaliter poterunt confiteri et in genere tantum se accusare de illis. Nec expedit talibus suadere confessionem generalem, antequam impetus illius vitii sit repressus, nisi tamen aliunde sit *obligatio*. — 5. Qui peregit confessionem generalem post diligens examen, non tenetur amplius recogitare de praeteritis, sed ubi certus non est se aliquid omisisse, praesumere potest se statum suum satis exposuisse; alias enim, cum omnium quae fecimus recordari non possimus, numquam esset confitendi finis, dum hoc anno hoc peccatum, alio alia recurrant, quae, quomodo confessi simus, non meminimus. Permitti tamen expedit, ut ter quaterve postmodum quae incidunt confiteatur, si dubitat, an ea sit confessus, maxime si non fuerit timoratae conscientiae; sic enim magis purgabitur anima et quieti consulitur. Demum moneatur, ut sollicitudinem in eo ponat, ut Deo sincere serviat et iniurias compenset.

CAPUT III.

De confessario fatui, surdastri, muti vel ignotae linguae.

QUAESTIO I.

Quomodo sit agendum cum fatuo.

192. Resp. Cum plene fatuus capax non sit actuum supernaturalium, etiam capax non est absolutionis. Semifatuus autem, quando capax est peccati et actuum supernaturalium,

absolvi potest, et quidem secundum *Gobat*[1] singulis mensibus, si hic et nunc iudicetur habere saltem imperfecte actus ad poenitentiam necessarios. In dubio, sitne fatuus an semifatuus, disponi debet, quoad fieri potest, saltem in articulo mortis, et absolvi sub conditione. Ut non censeatur plene fatuus, debet distinguere posse inter bonum et malum morale, cuius signum sufficiens non est, si revereatur clerum, aliqua mandata rite exsequatur, genua flectat, pectus tundat; quia haec facere potest destitutus usu rationis, eo quod videat ista ab aliis fieri. Alia proinde signa esse debent, qualia indicavi supra de pueris n. 100. Stante tamen dubio absolvi potest in Paschate, ne anima, si forte in mortali fuerit, periclitetur. Quodsi quis delirat in una re et prudens est in aliis, capax est absolutionis, quia defectus in una oriri potest ex impressione forti secundum dicta n. 100.

QUAESTIO II.

Quomodo cum surdastro, surdo et muto agendum sit.

193. Resp. I. *Surdaster* confessario ignotus, qui instrui non potest neque examinari, quin circumstantes audiant, ducendus est ad locum separatum, neque praesumi semper potest, quod putat *Gobat*[2], tales esse contentos et ex hoc ipso, quod in tali loco velint confiteri, facere potestatem confessario loquendi ea, quae ad absolutionem spectant, licet ab aliis audiantur; multi enim putant se sic confiteri, ut opus non sit interrogatione. Si confessario autem nota esset innocua vita surdastri, posset absolvi iniuncta poenitentia, ostendendo rosarium vel digitos, prout inter ipsos convenerit, ita tamen, ut alii non advertant gravem, si forte detur, poenitentiam. *Sed si confessarius in decursu longae confessionis, quam ex magna parte iam audivit, demum animadvertit, poenitentem esse surdastrum, eum vix potest coram adstantibus in locum

[1] Opp. mor. tract. 4, n. 138 et tract. 7, n. 468.
[2] Tract. 7, n. 473.

remotum ducere vel monere, ut alio tempore redeat; nam eo ipso aliis facile ingereret suspicionem peccati gravis auditi, quod necessariam faciat ulteriorem indagationem. Quapropter nihil relinquitur, nisi ut audiat poenitentem eique signis imponat poenitentiam, eamque talem, quae qualis sit ab aliis non possit percipi, nisi levis sit omnino; dein absolvat. Haec ita agi debent, ne violetur sigillum sacramentale. Aliter, si confessarius ab initio advertit, poenitentem esse surdum. In quo casu id publice manifestare potest adstantibus, atque surdum seu surdastrum vel deducere in locum remotiorem, ubi statim eius confessionem audiat, vel iubere eum alio tempore redire, quo commodius sine teste confiteri possit. *Ballerini-Palmieri* (Opus theologicum morale V[3], n. 234) dicit: «Si accedant in ecclesia, . . . semper in dubio consulendum potius sigillo sacramentali quam integritati. Et ideo non interroget de numero nec de aliis, et in imponenda poenitentia leve aliquid iniungat, ne sit suspicio gravis culpae. — Neque exigi debet, ut mulieres veniant hora intempestiva, qua nemo alius sit in ecclesia; tum quia periculum non abest revelationis, tum etiam ob honestatem.»*

194. Resp. II. *Mutus,* qui non est surdus, iuvandus est per interrogationes, quibus per signa respondere potest. Si, postquam didicit scitu et creditu necessaria, talis factus est, absolvi non potest, nisi scripto[1] vel signo se accuset et dolere ostendat. In articulo mortis praesumitur facilius dedisse signum. Mutus, qui scribere potest, monendus est iuxta communem opinionem, ut per scripturam confiteatur, nisi per signa satis possit. Quodsi scribere nesciat, possit autem per signa indicare numerum et speciem, ad hoc tenetur; et si forte unus confessarius ea non recte intelligat, debet accedere ad alium, si quis sit, qui ea prae reliquis

[1] Sed scripto confitendi *obligatio* tam parum adest quam confitendi per interpretem, cum ex natura sua sit aliquo modo publica, vel periculum sit, ne publica evadat. Cf. Ballerini-Palmieri l. c. n. 233. *

intelligat; si non potest, iuvandus est, quantum fieri potest, et absolvendus, si plus haberi non possit, licet tantum in genere se peccatorem fateatur. Quodsi sciret legere, possent ei quaestiones in scripto proponi et poenitentia eodem modo praescribi.

195. Resp. III. Si *surdus idemque mutus* ad confessionem adducitur, inquiratur prius a ductore, qualia doloris, accusationis et peccatorum signa soleat dare; postea in locum separatum deductus ex signis examinandus est; intellecto uno alterove peccato, si plus obtineri non potest, exhibens signum doloris absolvi potest, quia in tali casu integritas materialis confessionis non requiritur. Caveat autem confessarius, ne, si unum alterumve signum non satis intellexerit, postea alios interroget, quid illo signo mutus indicare velit, quia facile aget contra sigillum, cum sic alii intelligant, quae peccata poenitens voluerit significare confessario. Putant quidem aliqui, surdum eundemque mutum a nativitate incapacem esse absolutionis eo, quod nequeat habere actus supernaturales fidei et spei; at cum capax sit peccati, agnitionis Dei et vitae aeternae, quae per signa et lumen naturae discit, credere licet, Deum, qui omnes vult salvos fieri, supplere suis inspirationibus, dareque fidem saltem generalem, atque ad actum spei excitare. Hinc *Gobat* tenet, surdum et mutum posse etiam saepius absolvi extra articulum mortis[1]. **S. Alphonsus* (Prax. confess. n. 102) recte quidem notat, eiusmodi hominem absolvendum esse *conditionate tantum*, nisi moraliter constet eum instructum et dispositum esse. — Ceterum nostra aetate si agitur de surdo eodemque muto, qui in instituto pro eiusmodi hominibus erecto instructus est, ille bene doceri potest et usque ad acumen ingenii evolvi. Quare, etsi ipse confessarius conversationem cum eiusmodi homine non intelligat, facile tamen percipiet signa doloris et accusa-

[1] Id Gobat concedit, si mutus aut scripto (ad quod non tenetur) aut aliis signis ostendat se dolere et indicare se peccatorem et petere absolutionem. Tract. 7, n. 476.

tionis et satis certus evadere potest de dolore aliisque poenitentis actibus.*

Putat *Lacroix,* surdum eundemque mutum *et caecum a nativitate* habendum instar perpetuo amentis et solius baptismi esse capacem, quia non apparet, quomodo signum dare possit in ordine ad absolutionem obtinendam. *Haec quoque et sequentia valent de iis solis hominibus ita miseris, qui educationem, quae arte haberi potest, non habuerunt. Nam nostra aetate industria humana et proximi amor artem educandi et instruendi adeo excoluerunt, ut ne homines surdos quidem eosdemque mutos et caecos excludat. Quodsi igitur eiusmodi miser homo sufficientem habuit educationem, nulla est ratio, cur a sacramentis exlusus maneat sive in vita sive, idque multo minus, in morte: utut in multis casibus confessionis integritas manca manere debeat.* Si autem factus sit talis post usum rationis, inungendus est et etiam absolvendus, si det signum doloris aut saltem christiane vixerit; poterit talis disponi per signa, si antea saepius sit confessus et Eucharistiam perceperit, v. gr. manu ipsius signum crucis in pectore formando, pectus tundendo, manus coniungendo easve adiungendo stolae vel superpelliceo, faciendo circulum in eius ore vel lingua, ut sacerdotem adesse agnoscat et moneatur de Eucharistia percipienda. Haec si nihil prosint, inungendus est, inquit *Lohner*[1]; sed non video, cur absolvi non possit sub conditione, si christiane vixerit, putatque *Lacroix* (l. 6, p. 1, n. 651 et p. 2, n. 1875), etiam posse ei dari Eucharistiam pro Viatico.

QUAESTIO III.

Quomodo cum poenitente ignotae linguae sit agendum.

196. Resp. Si confessarius scit linguam principalem poenitentis, v. gr. germanicam vel gallicam, etsi nesciat certos modos loquendi poenitentis, v. gr. flandricum vel leodiensem

[1] Instr. pract. 5 de conf. P. 2, cap. 12, q. 7.

vel vallonicum, putat *Gobat*[1], eum licite posse se exponere excipiendis confessionibus talium. Verum extra casum necessitatis, nisi per circumlocutionem et explicationem intelligere possit materiam confessionis necessariam, videtur teneri prius discere modos illos loquendi; alias sine iusta causa negligitur integritas materialis confessionis[2]. Si autem ob imperitiam linguae confessarius nequeat percipere omnia mortalia peccata, mittendus est poenitens, si commode fieri possit, ad alium, linguae peritum; si vero sine gravi incommodo remitti non possit et saltem unum peccatum certum indicaverit, absolvi potest in tempore, quo praeceptum urget vel necessitas, qualis etiam est status peccati mortalis hominis itinerantis, qui brevi tempore confessarium habere non possit; nam tunc sufficit integritas formalis. Tenetur tamen poenitens mortalia, quae modo a confessario non fuerint intellecta, data occasione, alteri confiteri. Hinc etiam potest nunc tacere peccata, quae certo novit non intelligi. Quodsi habeat sola venialia, potest adire confessarium minus peritum linguae, neglecto altero secundum *Gobat*[3], qui putat etiam blaesum, cuius omnia gravia peccata non intelligantur, deficiente alio confessario, absolvi posse tempore iubilaei[4] cum onere se sistendi alteri, a quo intelligi potest, ut reliqua confiteatur. Denique si confessarius plane non intelligit linguam poenitentis, potest hic absolvi in necessitate, si se accuset per signa in genere. Quodsi autem se velit accusare per interpretem, ad quod tamen, saltem

[1] Tract. 7, n. 486.

[2] In re non videtur esse differentia inter auctorem et Gobat. Nam etiam posterior hoc modo rem intelligit et intelligere debet, ut confessarium et poenitentem sumat ita linguae atque loquendi modorum gnaros, ut necessaria inter se loqui et intelligere possint. Quodsi non possint, sane sola necessitas excusat, ita ut imperfecto modo liceat confiteri seu ut melius sit non integre quam nullatenus confiteri et absolvi. *

[3] Tract. 7, n. 485.

[4] Gobat (tract. 7, n. 484) hoc non restringit ad casum iubilaei, sed extendit ad omnem casum, cum «urgeat praeceptum confessionis».

extra periculum mortis, non tenetur, ut habet sententia communis (apud *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1190), potest hoc ita fieri, ut interpres interrogationes confessarii proponat poenitenti, et hic stantis post se confessarii manus digito premat, quando reus est, et repetito attactu etiam exprimat numerum.

Per interpretem confiteri, cum non sit modus a Christo praescriptus, consilium quidem est, non est obligatio.

†Dicit enim can. 903: «Qui aliter confiteri non possunt, non prohibentur, *si velint,* per interpretem confiteri, praecavendo abusus et scandala, firmo praescipto can. 889, § 2 [de interpretis obligatione servandi sigillum]. Ne pro mortis quidem periculo eiusmodi confessio praescribitur.† *Videlicet non vi praecepti confessionis, sed vi praecepti non relinquendi in dubio negotium salutis aeternae, tenetur moribundus curare, ut sit in statu gratiae. Quod facere potest per actum perfectae caritatis seu contritionis, quando convenienter confiteri non potest, aut per absolutionem sacramentalem utcumque valide susceptam, ad quam requiritur, si confessio integra fieri nequeat, *aliqua* confessio, quamvis sit solius peccati venialis, si modo huius peccati serius dolor concipiatur cum proposito cum hoc peccatum tum quaelibet mortalia peccata vitandi. — Attamen confessio, quae sufficiat ad absolutionem, fieri melius etiam potest per signa, etiamsi sint tantum generalia.*

Unde responsum S. Officii d. d. 10 Februarii 1668 monet: «Missionarii cum poenitentibus, quorum idioma ignorant, agentes *hortentur* illos adhibere interpretem, per quem confiteantur omnia peccata: quodsi hoc nollent, saltem confiteantur *aliqua per interpretem,* et reliqua per nutus et signa, quantum possunt: quodsi nulla velint per interpretem confiteri, confiteantur per signa omni meliore modo quo poterunt, sicut fit in mutis; sed missionarii curent addiscere de unaquaque lingua ibi usuali illa pauca verba, quae sunt necessaria ad explicanda praecipua peccata.» *

CAPUT IV.

De confessario haeretici convertendi vel conversi.

QUAESTIO I.

Quomodo agendum cum haeretico ad Ecclesiam volente admitti vel admisso.

197. Resp. I. *Si quis catholicam fidem amplecti et instrui desideret,* 1. excipiendus est cum magna caritate et benevolentiae significatione et amice interrogandus, quomodo haec ei gratia obtigerit, qua de causa religionem suam velit deserere et catholicam amplecti. Quamcumque causam affert, cautela opus est, quia sunt homines fraudulenti, qui sub velamine pietatis quaerunt non salutem animae et veritatem, sed sustentationem aliaque temporalia, hisque obtentis postea male vivunt et ad vomitum revertuntur, ut docent exempla tam in Iudaeis quam in haereticis. Proinde primo excitandus est, ut quaerat regnum Dei, reliqua ab ipso cum fiducia exspectet, qui quaerentes et diligentes se non deserit, non tamen auxilium in temporalibus statim ei promittendum est.

198. 2. Si his peractis insistat proposito, indagari debet, sitne haereticus materialis tantum, an formalis et pertinax. Formalis erit, si sciens et volens adhaesit errori alicui contra veritatem fidei catholicae, postquam hanc sufficienter sibi propositam agnovit atque scivit, eam sustineri a reliqua Ecclesia universali ut revelatam. Est autem veritas catholica, quae vel in sacris libris aperte continetur vel inde evidenter deducitur [1], vel habetur ex traditionibus apostolicis vel ex conciliis generalibus, vel quae a Summo Pontifice, ut loquente ex cathedra,

---

[1] Etsi ea, quae ope veritatis naturalis ordinis evidenter deducuntur ex Sacra Scriptura, non iam formaliter sunt articuli fidei, neque eorum negatio sit haeresis: ille tamen, qui haec negat, haereticus esse iure *praesumitur*, quia censetur, eum non negare evidentem veritatem ordinis naturalis, sed potius alteram revelatam veritatem, quae ex se rationi manet aliquo modo obscura.*

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

definita ac declarata est pro articulo fidei. Haereticus vero tantum materialis dignoscetur ex eo, quod adhaereat tali errori ex simplicitate, ignorantia, sinistra informatione, paratus interim vel actu vel habitu errorem deponere, si cognoscat veritatem. Tales dantur, testibus theologis doctis, in Germania, nec solum inter eos, qui procul a catholicis degunt, sed etiam qui his immixti vivunt, tam plebeii quam quidam etiam honestioris conditionis, quia ab annis teneris a praeconibus suis pessime instruuntur et innumeris mendaciis contra fidem catholicam imbuuntur. Neque, ubi ex iis, quae apud catholicos vident, aliquod dubium oritur contra religionem suam, statim existimant se obligari ad magis inquirendum, sed id pro tentatione in fide habent, vel arbitrantur differentiam non esse substantialem, proinde et se in sua religione posse salvari. In hac persuasione quamdiu inculpabiliter manent, haeretici sunt tantum materiales. Immo quamdiu existimant, eiusmodi occurrentia dubia esse tentationes, non possunt mutare religionem, vel serio cogitare eam esse mutandam; nam ad id ipsum requiritur dubium, quod videatur prudens. Quod si oboritur, tenentur inquirere lumenque implorare divinum, parati ad amplectendam veritatem, eamque reipsa debent amplecti, ubi satis cognoverint; alias fiunt haeretici formales, quia adhaerent errori cum pertinacia, si sic constituti sint, ut agnitam veritatem nolint amplecti. Attamen si quis sine hac pertinacia negligeret inquirere veritatem, peccaret quidem contra fidem, non tamen esset in haeresi formali, quae cum reservata excommunicatione coniuncta est.

199. 3. Cum fides debeat esse assensus prudens et super omnia firmus, docendus est candidatus, non posse esse veram religionem nisi unicam, eo quod religio seu fides vera debeat esse a Deo, qui est ipsa veritas nec potest loqui opposita, quae vera simul esse non possunt. Deinde ostendendum, verae Ecclesiae certas debere esse notas, quibus dignosci et discerni possit a non vera; nam cum Deus hominem obliget

ad veram fidem amplectendam seque aggregandum verae Ecclesiae fidelium, tot autem sint in mundo religiones, quas orituras esse utique novit Christus, necesse fuit ad providam sapientemque Ecclesiae fundationem notas aliquas esse, ex quibus vera a falsis dignosceretur. Notas autem verae Ecclesiae Christi esse, ut sit una, sancta, catholica et apostolica. *Una* debet esse unitate doctrinae, quia doctrinae fidei oppositae a Deo esse non possunt; una unitate capitis, quia, cum Scriptura in diverso sensu a diversis accipiatur, necesse fuit, ut esset caput unum Ecclesiae, a quo dubia definirentur, alias nemo veritatem invenire posset, cum alii aliud sentiant et reputentur prudentes. *Sancta* autem esse debet iterum sanctitate doctrinae, quia doctrina fidei a Deo est, et ad veram sanctitatem debet hominem ducere, ut Deo fini suo coniungatur; sancta dein sanctitate causali sacramentorum, quibus homines sanctificantur et in unum coetum fidelium velut signis stabilibus uniuntur; sancta denique sanctitate membrorum, hominum, qui sanctam sequuntur doctrinam. Debet esse *catholica,* id est universalis, quia praedixit Deus, fidem a Christo fundatam per universum mundum esse propagandam neque defecturam. Esse debet *apostolica,* quia fides debet esse eadem, quae ab apostolis est tradita; alias Christi fides non perseverasset. Demum ostendendum est, has notas soli Ecclesiae catholicae convenire, eamque esse in rebus fidei et morum infallibilem, ideoque credendum esse, quod illa credendum proponit. Quibus addi potest sanctitas Patrum, qui fidem catholicam sapientissime defenderunt semper et secuti sunt; constantia martyrum, qui sanguine suo illam confirmarunt; miracula tot in eius confirmationem facta. Quid e contra Calvinus, Lutherus aliique haeretici? Atque haec optima quoque methodus est haereticum convincendi, praesertim si sine altercatione modeste per discursum ista proponuntur et ipsi relinquuntur consideranda, implorato lumine divino conceptaque contritione de peccatis cum proposito sincero Deo serviendi.

200. 4. His praemissis, docendus est scitu et creditu necessaria, si nescit, ostendendumque, in quibus catholici cum haereticis conveniant, v. gr. Deum esse unum in natura et trinum in personis, remuneratorem bonorum et vindicem criminum etc. Deinde adducendi articuli, in quibus catholici ab haereticis discrepant, ut de bonis operibus, de numero sacramentorum, de purgatorio, cultu Sanctorum, Communione sub utraque specie, et quidquid ipsius erroribus magis contrarium est, et praecipue, Romanum Pontificem esse vicarium Christi caputque Ecclesiae; quia, cum Christus ipse visibilis nobis amplius non adsit, ut haberemus, ad quem recurreremus, a quo gubernaremur, necesse erat statui vicarium capitis invisibilis.

201. 5. Ubi satis instructus erit in rebus fidei, praeparandus est ad confessionem et ad Communionem rite suscipiendam, explicando sacramenti poenitentiae partes, fructum illius et Communionis; et ne confessionem apprehendat ut nimis difficilem, exponatur illi obligatio sigilli sacramentalis, moneaturque, ut percurrat praecepta decalogi, occasiones, negotia sua; et quae occurrerint adhibita morali diligentia, confiteri ne erubescat; peccata nostra nota esse Deo, confusionem illam, quam Deus voluerit nos subire ea confitendo uni homini, esse partem poenitentiae et satisfactionis; nec mirum esse, si forte in multis deliquerit, cum caruerit sacramento poenitentiae et Eucharistiae aliisque auxiliis, quae fidelibus communicari solent. Deinde detur illi formula professionis fidei proprio idiomate, si sciat legere, et explicetur. Haec duplex est, una brevior, quae emittitur ab iis, qui convertuntur secreto, coram testibus ante confessionem; altera longior, quae emittitur ab iis, qui publice convertuntur, fitque ante communionem, ubi minister dixerit: *Confiteor* etc., sacerdote ad latus evangelii flectente; qua emissa datur Communio. Ubi observandum, non esse admittendos ad professionem fidei publicam, nisi prius bene explorata sit illorum constantia, ne professio cedat in ignominiam religionis catho-

licae, si non perseverent in suscepta fide. Poterit quoque aliquando professio scripta et subscripta a converso exigi. Sic enim tanto firmius ratam habebit. Poterit etiam illi factae professionis testimonium pro maiore solatio dari. Formulae professionis habentur apud *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1862[1].

6. Ne decipiatur confessarius vel postea traducatur, per varias quaestiones diverso tempore factas experiatur, num dicta horum, qui convertere volunt, cohaereant; ne eos aliis magnopere commendet, nisi bene habeat eos exploratos; ne libros magni pretii vel aliud quid iis commodet, neve se iis familiarem praebeat; nihil in privata conversatione dicat aut agat, quod dictum aut factum esse nollet, si ad haeresin forte redeant. Videri potest *Lohner,* Instr. pract. 5 de confess. partic. personarum et de instr. apostolica c. 2, § 2.

202. Resp. II. *Ubi convertendus iam rite praeparatus est* ad confessionem, 1. benigne excipiatur; eximatur illi, quoad fieri potest, omnis horror; dicatur, omnia peccata ipsius deletum iri, futurum illum iam heredem coeli et filium Dei.

2. Examen ne instituatur nimis rigidum, sed ubi ipse convertendus exposuerit, quae ipsi post examen conscientiae occurrerunt, circa praecepta decalogi, fidei, spei et caritatis, examinetur, prout in Domino videbitur pro circumstantiis. Deinde interrogetur, quot annis vixerit in sua religione compos rationis et habens dubium de eius veritate, quoties in hoc statu solitus sit quotannis adire cenam suae sectae, et sic facile intelligetur, quoties circiter violaverit praecepta Ecclesiae de prohibito esu carnium etc. *Immo ad haec confessarius ne attendere quidem tenetur, nisi postquam convertendo dubium serium de veritate suae sectae ortum fuerit *ipseque putaverit,* se Ecclesiae legibus istis ligari; ceteroquin pro-

[1] Modus reconciliationis et formula professionis fidei adhibenda sunt secundum legitimam loci consuetudinem et statutum dioecesanum vel mandatum speciale episcopi ordinarii. Alia habetur forma professionis fidei Tridentina, alia brevior a S. Officio pro compluribus locis praescripta: quas videre potes in Schneider, Manuale sacerdotum [17] p. 406 et 412. *

babile est, Ecclesiam legibus iis, quae singulorum sanctificationem et privatum bonum spirituale spectant, nolle heterodoxos ligare, qui in heterodoxia nati et educati sunt. Cf. *Lehmkuhl,* Casus consc. I[4] 94.*

3. Interrogari potest, prout circumstantiae indicabunt, num sit reus specialis contemptus Papae vel Ecclesiae, num dixerit blasphemias vel calumnias contra ecclesiasticos vel dederit scandalum in rebus fidei, alios perverterit, detinuerit in haeresi; postquam dubium habuerit prudens de sua religione, num et quamdiu contempserit vel neglexerit inquirere. Si circa haec gravia afferat peccata, non terreatur, sed erigatur in spem, dicendo, id mirum non esse, cum caruerit sacramentis neque bene instructus fuerit.

4. Si advertatur, eum tantum fuisse haereticum materialem, a quovis confessario per se quidem absolvi potest; expedit tamen habere facultatem specialem. Si autem deprehendatur fuisse haereticus formalis, nesciverit tamen, haeresi formali annexam esse excommunicationem, hic non erit casus reservatus Pontifici, quia peccatum reservatur propter excommunicationem, quae ab ignorante eam non incurritur. *At quidquid est de ea reservatione peccati haeresis, cuius poena ignoretur, ratio semper adest, cur recurrendum sit ad episcopum. Reconciliatio heterodoxi est actus *natura sua* publicus et externi fori, qui regendus sit secundum mandatum episcopi ordinarii vel generaliter latum vel in speciali casu expetitum. Dein heterodoxi in foro externo, quando Ecclesiae adiungi volunt, tractantur ut haeretici atque absolvuntur semper ab haeresi, etsi in formula addatur «quam *forsan* incurristi». Causa autem haec reconciliandi et absolvendi ab haeresi, si in foro externo agitur, ita pertinet ad episcopum dioecesanum, ut, †si delictum ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, sua auctoritate ordinaria pro foro exteriore absolvere possit.† Quare si professio fidei, haeresis

abiuratio, externa cum Ecclesia reconciliatio praecessit absolutionem sacramentalem — ut praecedere debet —, *quilibet* confessarius sacramentaliter absolvere potest neque indiget speciali facultate, nisi forte neo-conversus propter alia peccata censuras incurrerit [1].*

5. Absoluta confessione poenitentiam iniungat, non adeo gravem tamen ab initio, sed ad proximas indulgentias invitet, demum absolvat ab haeresi et censura. †Absolutio censurae in foro sacramentali continetur in consueta forma absolutionis peccatorum in libris ritualibus praescripta: «Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego . . .»; in foro non sacramentali quolibet modo dari potest, sed ad excommunicationis absolutionem regulariter formam abhibere *convenit* in eisdem libris traditam (can. 2250, § 3).† Quodsi occurrat converso tentatio contra fidem, dicat ilico: «Credo, Domine; sufficit mihi verbum tuum. Minor ego sum, quam ut capiam mysteria divina, qui naturalia non intelligo. Non credam ego, quod tot sanctissimi et illuminatissimi crediderunt, quod Ecclesia, quae teste Apostolo est columna et firmamentum veritatis, credendum proponit et credit?»

203. *Petes:* Quid agendum sacerdoti, si intelligat, haereticum esse ad extrema deductum?

†Resp. Imprimis prae oculis habendus est can. 731, § 2: «Vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint.» Quo canone vetatur Sacramentorum collatio haereticis et schismaticis a) *mala fide* errantibus, erroribus non reiectis; b) etiam *bona fide* errantibus, *si simul,* sui compotes, Sacramenta petunt, erroribus non reiectis. Et sic Ecclesia hoc canone enuntiat, quid *quasi officialiter* concedat hac in re, quid non concedat. Ut vero sciamus, quid Ecclesia, pia mater, *non-officialiter* permittat, consulenda est decisio S. Officii d.

[1] Ita can. 2314, § 2.

26 Maii 1916, eo vid. tempore facta, quo canon ille sine dubio iam erat elucubratus. Postquam de schismaticis sacramenta *petentibus* idem, quod can. cit. habetur, dixit, S. Officium ad quaestionem: «An schismaticis in mortis articulo *sensibus destitutis* absolutio et extrema unctio conferri possit?», respondit: «Sub conditione [cum de intentione aliisque in poenitentia ad valorem requisitis dubitari debeat] affirmative, praesertim si ex adiunctis conicere liceat, eos implicite saltem errores suos reicere, remoto tamen efficaciter scandalo, manifestando scilicet adstantibus [qui id nesciant], Ecclesiam supponere, eos in ultimo momento ad unitatem rediisse» (Kölner Pastoralblatt 50 [1916] 504 sq). †

Confessarius ergo, ubi poterit, prudenter aget, si ad haereticum moribundum accedat, et dissimulata sua persona, etsi putaretur ministellus, cum eo eliciat primo in genere actum fidei circa omnia a Deo revelata, in specie circa necessaria necessitate medii credenda; tum actum spei, contritionis, resignationis etc. Dein loquatur illi tantum de illis, quae haereticis cum catholicis communia sunt; tum quaerat, utrum, si sciret, se non credere aliquid, quod Deus revelavit, vellet credere et de facto credat? Utrum non vellet recedere a sua religione, si sciret ipsam non esse illam, quam Christus et Apostoli docuerunt? Velitne facere omnia ad salutem necessaria, et confiteri etiam et absolvi, si sciret, hoc Christum requisivisse tamquam necessarium ad salutem? Si annuit, repetat ut prius actus fidei, spei, contritionis perfectae propositique et voluntatis praestandi modo omnia, quae Christus ad salutem requisivit; demum iubeatur elevare manum vel aliud signum dare in contestationem, se velle implere omnem Dei voluntatem. Haec si praestet, †et postea sensibus destituatur†, poterit absolvi sub conditione, forma clam sine alio signo pronuntiata [1]. Quodsi diceret: «Non possum certo

[1] Difficultates tamen non ex una tantum parte circa dicta exsistunt. Nam si adeo aperte moribundum monere licet, eum facile adducere poteris, ut

constituere velimne mori catholicus an Lutheranus», non posset absolvi. Si subiungeret: «Deus, propitius esto mihi peccatori», putat *Gobat*[1], posse eum †sensibus destitutum† absolvi, quia praesumitur haereticus materialis ex verbis prioribus[2]. Quodsi quis absolvi non possit, utiliter tamen eliciuntur praedicti actus. Ceterum haeretici, etsi materiales tantum, moribundi passim non absolvuntur, nisi appareat eos signum poenitentiae dedisse; absolvuntur vero catholici sensibus destituti, quia catholici censentur dare signa in ordine ad absolutionem, etsi haec non distinguantur, et catholice vivendo censentur voluisse mori christiane, ideoque absolvi. Non sic haeretici, cum censeant, poenitentiam non esse necessarium sacramentum ad remissionem peccatorum; et sic etiam non baptizantur moribundi Iudaei, quia adulti ante baptismum debent esse saltem attriti et credere in Christum et positivam voluntatem habuisse suscipiendi baptismi. †Etenim can. 752 sic habet: «§ 1: Adultus, nisi sciens et *volens* probeque instructus, ne baptizetur; insuper monendus est, ut de peccatis suis doleat. — § 2. In mortis autem periculo, si nequeat in praecipuis fidei mysteriis diligentius instrui, satis est, ad baptismum conferendum, ut aliquo modo osten-

formaliter relicta sua secta catholicam fidem profiteatur. Sed si haec periculosiora videntur — ut revera esse possunt —, ne videlicet moribundus in bona fide de secta sua exsistens in mala fide constituatur, animum autem non sumat religiosae confessionis mutandae: sufficere potest, ut post actum fidei circa creditu prorsus necessaria moribundus declaret, se omnia credere paratum esse, quae Deus revelaverit, reliquosque actus spei, caritatis, contritionis eliciat, atque *desiderium ostendat, ut mea (sacerdotis catholici) ope iuvetur*, quo melius salutem aeternam assequatur, *se profitens interea peccatorem coram Deo et coram me*. Haec, quae distinxi typis italicis, addo, quia continent aliquam veram confessionem atque aliquod recipiendae absolutionis desiderium seu voluntatem absolutam, non solam conditionatam voluntatem seu velleitatem: quam solam videntur verba auctoris supra allata continere, sed quam, nisi evadat voluntas absoluta, ad validam absolutionem recipiendam non sufficere certum est. •

[1] Opp. moralia tract. 7, n. 618.

[2] De hoc iudica ex iis, quae nota 1 pag. 305/6 dicta sunt. •

dat, se eisdem assentire, serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum. — § 3. Quodsi baptismum ne petere quidem queat, sed vel antea vel in praesenti statu manifestaverit aliquo probabili modo *intentionem* illum suscipiendi, baptizandus est sub conditione; si deinde convaluerit et dubium de valore baptismi collati permaneat, sub conditione baptismus iterum conferatur.» † *Idem igitur dic de absolvendo haeretico: nimirum, ut hoc conditionate fieri possit, requiri prudens iudicium, quo sacerdos sumere possit, moribundum vere desiderasse absolutionem seu auxilium sacerdotis catholici, quo melius vel securius a peccatis suis liberaretur.

Verum quando moribundus nondum est sensibus destitutus †vel etsi iam videatur sensibus destitutus, quamdiu non constat, eum interius agere nihil posse†, sive sacerdos eum absolvi posse putat sub conditione sive non, in omni casu ante omnia conandum est, ut moribundus eliciat cum aliis actibus necessariis actum perfectae caritatis et contritionis. Nam sic fortasse salvabitur, qui aliter erat periturus.*

QUAESTIO II.

Quomodo agendum cum haeretico, qui invitat ad disputandum.

Per se non est statim agendum de particularibus doctrinis, sed vera Ecclesia demonstranda est; Sacra Scriptura non relinquenda privatae interpretationi.

204. Resp. I. Acturus cum haereticis de materia fidei [1], ubi disputatio publica instituta non est, non descendat statim ad mysteria particularia expendenda, utrum vera vel credibilia sint; sic enim sine fructu aget et locus variis evagationibus dabitur; sed ostendat: 1. Veram fidem necessariam

[1] Observetur imprimis can. 1325, § 3: «Caveant catholici, ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia Sanctae Sedis aut, si casus urgeat, loci Ordinarii.» Intelliguntur prohibitae disputationes vel publicae vel privatae *ex condicto* habendae, non eae, quae casu oriuntur: attamen etiam ab his caveant, qui non bene instructi sunt.

esse ad salutem. 2. Non nisi unam esse veram religionem et Christi Ecclesiam, quia contradictoria nequeunt esse a Deo revelata. 3. Illam Ecclesiam debere posse inveniri ideoque habere certas notas, ex quibus dignosci possit; quia tenemur eius doctrinam amplecti et sequi. 4. Notas verae Ecclesiae Christi esse, ut sit una, sancta, catholica, apostolica; has soli Ecclesiae catholicae convenire habes ex n. 199. 5. In vera Christi Ecclesia debere esse iudicem infallibilem controversiarum in rebus fidei et morum; alias Christus Ecclesiae suae non satis providisset, facile deficeret ab unitate et sanctitate doctrinae, et post ortas tot haereses et opiniones diversas nesciremus, quid tenendum, quid reiciendum esset; in multis non intelligeremus verum Scripturae sensum, non possemus discernere, quinam libri Scripturae habeant Spiritum Sanctum auctorem et qui non; gentilis vel quicumque merito dubitaret de sua religione, invenire veram religionem non posset. Iudicem autem talem apud haereticos nòn esse fatentur ipsi; eum autem catholici habent, nempe vicarium Christi, S. Petri successorem. His praemissis, si quis velit descendere ad particulares fidei articulos, dicendum ei est, eos intelligendos esse iuxta sensum verae Ecclesiae Christi, cui iudex infallibilis controversiis decidendis praepositus sit a Christo. Haec autem tractanda sunt cum mansuetudine, comitate, sine contemptus signo, ne acerbentur animo neve suscitetur pertinacia. Atque hoc modo agendum cum convertendis; excitandi etiam sunt, ut a Deo petant lumen, offerant se paratos ad obsequendum eius voluntati, frequenter eliciant dolorem de peccatis eaque caveant, ne obicem ponant Spiritui Sancto.

205. Resp. II. Si forte quis dicat: 1) Scripturam esse claram; 2) nihil credendum necessario, quod in ea non habeatur vel ex ea per evidentem consequentiam non deducatur; 3) nihil in ritus Ecclesiae moresque hominum esse inducendum, quod non expresse mandetur in Scriptura; respondendum est, aliud sentire Ecclesiam, verae Ecclesiae notis insignitam, huic esse credendum.

Dein respondere potest ad *primum:* Cur ergo David propheta (Ps 118, 73) ait: «Da mihi intellectum, et discam mandata tua?» Unde tot hactenus fuere controversiae inter Christianos? Unde est, cur Calviniani et Lutherani inter se non conveniant in rebus fidei? Unde, cur Apostoli propositas a Christo parabolas Mt c. 13 non intellexerint? Unde, quod S. Petrus dicat, Paulum scripsisse aliqua ad Romanos difficilia intellectu? Deinde proponi possunt illi textus exponendi: 1. Quomodo intelligitur illud Eccle 3, 19: «Unus interitus est hominis et iumentorum, et aequa utriusque conditio; . . . nihil habet homo iumento amplius.» 2. Quomodo illud Ps 35, 7: «Homines et iumenta salvabis, Domine.» 3. Quomodo illud Eccli 42, 14: «Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.» 4. Ez 18, 20 dicitur: «Filius non portabit iniquitatem patris» et Ex 20, 5: «Ego sum Dominus . . . visitans iniquitatem patrum in filios.» Quomodo haec cohaerent? (Primum de culpa, secundum de poena intelligitur.) 5. Ex 33, 20 ait Deus: «Non enim videbit me homo, et vivet»; at Gen 32, 30 ait Iacob: «Vidi Deum facie ad faciem» (nempe sub corporali specie). 6. Iob 1, 22 dicitur: «In omnibus his non peccavit Iob labiis suis», et cap. 7 ipse dicit, se desperasse, suspendium elegisse, peccasse. Quomodo haec concilias? Similiter sequentia: 7. Eccle 1, 4: «Terra in aeternum stat» et Lc 21, 33: «Coelum et terra transibunt.» 8. Eccle 3, 1 dicuntur universa sub coelo suis spatiis transire; sed ib. v. 14 omnia opera, quae fecit Deus, in perpetuum perseverare dicuntur. 9. Io 15, 15 dicit Christus: «Omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis», et ib. 16, 12: «Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo.» 10. Mt 10, 8 dicitur: «Gratis accepistis, gratis date», sed Lc 10, 7: «Dignus est operarius mercede sua.» Plures eiusmodi antilogias vide apud *Tirinum* [1].

[1] Comment. in Script. t. 3, index 4.

Ad *alterum*. 1. Ubi scriptum, Dominicam diem loco sabbati celebrandam esse? 2. Ubi scriptum, quinam libri sint canonici et a Spiritu Sancto inspirati; ubi, illos, quos etiam haeretici ut tales recipiunt, esse incorruptos? 3. Ubi scriptum, Christum fieri praesentem sub speciebus panis et vini in sumptione, vel illa tantum esse signum et figuram corporis Christi? 4. Denique, cur ante suam cenam exemplo Christi non edant agnum paschalem, non lavent sibi pedes, cur feminas ad cenam admittant, cur quater quotannis adeant? Ubi haec et similia scripta sunt esse facienda aut omittenda?

Ad *tertium*. Cur infantes baptizant? Cur in baptismo adhibent patrinos etc.?

Si nolit acquiescere signis Ecclesiae verae, interroga: 1. Ex quo libro Scripturae velit disputare. Unde sciat, librum illum esse Sacram Scripturam, aut unde noverit esse incorruptum. Unde sciat, illum esse sensum a Sancto Spiritu intentum, cum, ut haeretici aiunt, nihil sit credendum, quod in Scriptura non sit. Si recurrat ad spiritum privatum, dicat, cur potius ipsius spiritui, quam aliorum spiritui contradictorio credendum. Ubi habeatur, illum spiritum esse a Deo.

2. Ecclesia tua aut est nova aut antiqua. Si nova, non est Ecclesia Christi, quae ante annos fere 1900 fuit. Si antiqua, ubi ergo per 15 saecula a Christo usque ad Lutherum et Calvinum latuit? Quis historicus eius meminit?

3. Vera Christi Ecclesia aut est infallibilis aut fallibilis. Si infallibilis, ergo Romana Christi Ecclesia, quae secundum vos aliquando fuit vera, adhuc est vera, quia errare non potuit. Si fallibilis, unde ergo estis certi, vos recte credere? Quomodo potestis habere fidem certam et firmam? Si dicat, suam Ecclesiam fuisse in mundo ante Lutherum: aut ergo fuit visibilis aut invisibilis. Si visibilis, quis eam vidit, quis de ea scripsit, quis in ea fuit? Si invisibilis, ergo nemo, etiam qui velit recte colere Deum, eam invenire potuit; ergo nec tenebatur; ergo omnes tunc damnati sunt defectu fidei.

Et nonne eodem iure Turcae et Anabaptistae habere se veram fidem Christi dicent?

4. Aut possunt homines salvari in Ecclesia catholica, aut non. Si possunt, ergo sectarii egressi sunt de salvifica Ecclesia, quae non nisi unica esse potest. Si non possunt, ergo omnes per duodecim saecula damnati sunt, tot martyres pro Christo passi, tot confessores, S. Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Bernardus, Benedictus, Dominicus, Franciscus Seraphicus et Xaverius, quos ipsi vos dicitis Sanctos.

5. Nonne Lutherus et Calvinus Sacram Scripturam a Romana acceperunt Ecclesia? Haec tunc erat aut vera aut falsa. Si vera Ecclesia, ergo damnandi sunt, qui ab ea recesserunt. Si falsa, quomodo vestra Scriptura non est falsa, quam ab Ecclesia falsa accepistis?

6. Credisne, non esse purgatorium, Missam, septem sacramenta etc.? Ubi hoc habetur in Scriptura?

7. Aut agnoscis, veteres haeresiarchas, Arium, Nestorium aliosque recte ab Ecclesia damnatos, aut non. Si non, ergo primaevam condemnas Ecclesiam et haereticorum illorum doctrina est vera, ideoque non sunt tres divinae personae, Christus non est verus Deus et verus homo. Si iure damnati sunt, idem de Luthero et Calvino admittere debes, quia etiam eorum doctrina in illis damnata est, v. gr.: opera bona non esse necessaria ad salutem, non esse admittendas traditiones, aliaque superius relata.

8. Religio seu secta potius Lutherana et Calviniana, per quos est propagata? Incorruptamne habet Scripturam? Minime. Nam 2 Petr 1, 10 antiquissima et vulgata editio habet: «Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis»; Lutherus delevit: «per bona opera.» Rom 3, 28; «Arbitramur iustificari hominem per fidem»; Lutherus addidit: «per *solam* fidem.» Io 6, 51 textus antiquissimus habet: «Ego sum panis vivus»; Calvinus substituit: «vivificans.» Hebr 13, 4 ait: «Honorabile connubium in omnibus», id est, omnia in

legitimo matrimonio honorabilia sunt; sectarii substituerunt: «inter omnes», ut defendant coniugia ministrorum Ecclesiae. 1 Cor 9, 5 ait Apostolus: «Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi?» videlicet ad ministerium temporale. Lutherus addidit: «in uxorem.» Plures eiusmodi corruptelas omitto, quae videri possunt apud polemicos.

9. Denique, si cum Iudaeo sit de fide tractandum, ostendendum est illi, Messiam venisse, atque proponenda sunt motiva credibilitatis, quibus religio catholica unice fit prudenter credibilis. Si gentilis ad fidem sit deducendus, demonstrandum illi est, Deum esse unicum, omni honore et cultu dignissimum, eum colendum esse cultu rationabili, quo ipse vult; ubi autem hic habeatur, debere posse colligi per notas et signa etc., ut supra; legem christianam esse rectae rationi conformem, Deo dignam, bono publico utilissimam etc.

CAPUT V.

De confessario poenitentis indurati, aut volentis differre seriam poenitentiam ad finem vitae, vel ostendentis exiguum dolorem de peccatis.

QUAESTIO I.

Quomodo agendum cum peccatore indurato.

206. Resp. Cum homine duri cordis procedi potest hoc modo: 1. Confugiat confessarius ad orationem, praesertim in sacrificio Missae, et petat gratiam lucrandi animam illam. Orationi utiliter iunget mortificationem aliquam, v. gr. ieiunium, et aliorum preces, quas expetere potest, praesertim a parvulis. Proderit etiam promittere sacrificium pro animabus purgatorii offerendum.

2. Si tempus ferat, studeat sibi blandis verbis, non faciendo mentionem de confessione, et officiis caritatis devincire indurati animum, et ubi illum utcumque sibi attentum habet, dicat: «Quid existimas, si quis enorme crimen publice commisisset, et adesset iam iudex cum suis ministris, illum ad

carcerem, patibulum vel rotam aut rogum abripi iubens; num ille non esset deprecaturus? Numquid non in genua provolveretur, humiliter per Deum et omnia sacra rogaturus veniam? Nonne et tu idem faceres? Si annuat: Nonne credis, Deum esse iustum iudicem, qui nullum peccatum, quod poenitentia seria non sit expiatum, possit exigente sic iustitia rectaque gubernatione relinquere impune? Numquid non credis, Deum hic esse praesentem? Nonne posset hic iam mandare vel permittere daemonibus, ut in hoc momento ad infernum te abriperent! ‚Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: arcum suum tetendit, et paravit illum; et in eo paravit vasa mortis' (Ps 7, 13 sq). Quid, si te mox abriperet? Quid, si cras? Vae animae tuae, vae in aeternum! Adhuc tempus est; erit momentum, ex quo tempus non erit amplius. Quin ergo prostratus humi dicas contrito corde: ‚Parce, Domine, parce mihi misero.'» Iuvat quoque referre historiam aliquam de impoenitentibus, v. gr.: Impoenitens quidam lusit operam S. Francisci Borgiae, et ad poenitentiam adduci noluit. Crucifixus autem avulsa a cruce manu sanguinem e vulnere lateris haustum coniecit in eius faciem, dicens: «Sanguis meus tibi sit in perditionem.»

3. Si homo pergat esse obstinatus, confessarius inquirat causam et eam amovere studeat. Submittat hominem gratum, qui illum officii sui commoneat; si aeger est, quantum licet per sigillum, moneat medicum, ut aegrotum de morte imminente moneat. Haec si non iuvant, accedat confessarius iterum et serio de salute animae eum moneat: «Deus non irridetur, non dat gratias pro arbitrio nostro, sed quando vult. Erit, cum eum, qui moneat te officii, aut non habebis aut percipere non poteris. Idem Iesus, qui nunc benignus ad poenitentiam te invitat, erit tuus severissimus iudex; nunc paratus est omnia tibi condonare, tunc ridebit in tuo interitu. Quis tibi erit animus in eo momento, quo animae tuae, a corpore solutae, in ictu oculi omnia tua peccata, beneficia Dei, qui te salvare tam diu voluit, obicientur et momento

post in inferno eris sine fine cruciandus?» Si nondum moveatur, fingat se cum indignatione abire sacerdos et ultimum serio et acriter adhortetur eum his vel similibus verbis: «Quid tibi persuades? Putasne Deum te egere in coelo? Nonne potest habere alios, Iudaeos, etiam gentiles, qui locum alias tibi paratum occupent cum maiore Dei laude, gloria et gratiarum actione? Stulte et insipiens, haeccine reddis Deo tuo, qui creavit te et redemit tanto pretio?» Et his dictis abeat. Interea instiget eos, quos impoenitens novit optime sibi affectos, uxorem, liberos, consanguineos, qui genibus ipsius advoluti rogent, ut misereatur animae suae; saepe hae voces aures obdurati vulnerant. Subinde revertatur sacerdos, et si etiamtum obstinatum inveniat, acrius eum aggrediatur: «Quis tandem es tu, miser homuncio, ut resistas divinae voluntati? Risistis pietati Dei te misericorditer invitantis, incides in manus vindicantis. Ecce instat momentum, a quo pendet aeternitas, eaque infelix, si pergas molestus esse Deo tuo. Nolens volens mox deseres omnia et ab omnibus desereris.» Poterit etiam cum adstantibus humi provolutus, crucifixum manu tenens, hunc in conspectu poenitentis indurati ita alloqui: «Non sinas, Domine, perire animam hanc, quae tanto tibi pretio stetit, pro qua cruci affigi, illudi a Iudaeis, a Patre deseri et mori voluisti» etc. Proderit etiam humana motiva proponere, v. gr.: «Ecce, si ita moriaris, damnum patietur tua et tuorum fama coram omnibus; sepeliri debebis non ritu religioso, sed defoderis indecore.» Si his non cedat victus, remotis aliis interroget sacerdos: «Num forte times confiteri? Homo sum et peccator, egens misericordia Dei, sicut tu; noli existimare non esse alios, qui diu in gravissimis sceleribus vixerint, et levem erubescentiam vincendo misericordiam consecuti vel sancte vivant in terris, vel modo iam beati gaudeant in coelis. Confitere homo homini fragili, sicut tu. Si vis non confessus latere, post mortem coactus confiteri damnaberis. Amabo! quae sunt, quae erubescis edicere? Num hoc? an illud? Saltem dic levia aliqua» etc. Sic via sternitur ad di-

cenda alia. Si nihil impetretur, morte instante dicatur: «Migrandum est; elige, quod vis: aut poenitere hic ad momentum, aut in aeternum ardere.» Si omnia nihil proficiant, putant quidem aliqui ad terrorem aliorum dicendum: «Si aliud non vis, abi maledicte in ignem aeternum»; at consultius est, ingeminare pia suspiria contritionis et amoris, ut vel in ultimo articulo non desertus possit resipiscere.

QUAESTIO II.

Quomodo agendum cum peccatore volente differre poenitentiam.

207. Resp. Cum eo, qui vult differre poenitentiam in finem vitae aut annos senectutis, sic procedi potest: 1. Monemur Eccli 5, 8 sq: «Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictae disperdet te.» Monet nos Christus Mt 25, 13: «Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam»; et Apostolus Hebr 9, 27: «Statutum est hominibus semel mori.» Mors certa, hora incerta, locus, modus incertus. Maior pars hominum ante quinquagesimum annum in aeternitatem abripitur. Quid, si hodiernus, quid, si crastinus dies ultimus tibi foret? Omni die, omni hora mori potes. Si scires, uni ex cibis pluribus tibi appositis admixtum esse venenum, quam cautus esses; uni horae inest mors tua, et ita securum te putas?

2. Deus, qui poenitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Angelo peccanti moram poenitendi non concessit; Adamum post commissum peccatum paradiso mox expulit. Benignus est in tolerando, sed et iustus in puniendo. Exspectat quidem saepe ad tempus, sed ad tempus ab ipso praedefinitum; intra quod nisi peccator se convertat, actum est de eius salute.

3. A momento, quo esse incepisti, coepisti mori: statuit Deus singulis numero certo annos, dies, horas, momenta; quo diutius vixisti, eo propinquior es morti, eo plus debes Deo, quod tam diu te toleraverit, eo gravius inde iudicaberis.

Sive vigilas, sive dormis, ad mortem properas. Si difficile tibi est, nunc poenitere, quid erit in fine? Quomodo tunc assurges ad Dei caritatem, tot peccatis ab eo aversus? Arbor, quae numquam floruit, numquam viruit, fructum quomodo proferet? A quo exspectabis auxilium? Deum tam diu contempsisti, quomodo promittes tibi gratiam efficacem? Amor terrenorum, dolores corporis, obtusio sensuum, animi perturbatio, insidiae daemonis poenitere et de salute cogitare te non sinent. Fiet iusto Dei iudicio, ut, qui cum posses poenitere, noluisti, non possis cum velles. In tota Scriptura non invenitur nisi bonus latro unus, quem in fine vitae vere poenituit: unus, ut nullus desperet; solus, ut nullus praesumat. Sancti timuerunt et adhuc timent, ne in morte deficiant, et tu speres te conversurum? Si vis agere poenitentiam, cum iam amplius peccare non poteris, peccata te dimiserunt, non tu illa (inter sermones *S. Aug.* serm. 393; *ML* XXXIX 1715).

QUAESTIO III.

Quomodo sit agendum cum ostendente exiguum dolorem de peccatis.

208. Resp. Si poenitens exiguum de peccatis dolorem praeferre videatur, non ilico iudicandum est, deesse verum dolorem. Quibus enim natura durior est et cor minus tenerum, ii difficilius moventur ad dolorem sensibilem, quo verba et gestus animentur. Talis autem dolor necessarius non est, sed sufficit rationalis dolor vitae praeteritae et prompta voluntas se emendandi, quae adesse iudicabis, si poenitens libenter admonitionem et instructionem admittat; si conatum sincerum emendandi se iam adhibuerit; si ostendat se paratum ad expianda peccata poenitentiis propositis, quae statui eius et conditioni non sunt nimis graves et inconvenientes. Quodsi doloris et propositi sinceri signa haec desint, proponenda illi sunt motiva doloris, pericula etc., et excitandus est poenitens ad dolorem pro conditione sua secundum dicta.

CAPUT VI.

Quomodo confessario agendum cum infirmis et moribundis.

QUAESTIO I.

Quid praestandum confessario *in accessu* ad infirmos.

209. Resp. Vocatus ad infirmum cogitet, 1. moneri se a Christo, ut cooperetur ad salutem animae auxilio nunc maxime indigentis; ilico accedat, interim suae infirmitatis memor, utpote qui sine Deo nihil in naturalibus, minus in supernaturalibus possit. Roget Deum Patrem per infinitam bonitatem suam et caritatem, qua dilexit mundum; Christum Dei Filium, Dominum nostrum, per passionem et mortem suam pro salute animae illius toleratam; Spiritum Sanctum per amorem illum, quo animam istam in baptismo sanctificavit: ut sibi gratiam largiatur recte infirmum disponendi, huic vero ut concedat veram contritionem et caritatem. Imploret quoque patrocinium et intercessionem B. Mariae V. per labores et dolores, quos pro nostra redemptione pertulit eius Filius. Petat item auxilium Angeli custodis illius infirmi.

2. Si non novit infirmi personam, conditionem et habitudinem, conetur vel in itinere, vel in domo infirmi, si tempus ferat, prius intelligere, qualis sit: v. gr. num sit vir eruditus, prudens, utaturne iudicio et sensibus; utrum petierit confessarium, num credatur morti vicinus; sitne confessus, num communicaverit, extremam unctionem acceperit, testamentum fecerit; qualem vitam duxerit? Sitne aliquid magni momenti, de quo eum moneri conveniat vel necesse sit; num se afflictum spiritu ostenderit? Haec vel ex his, prout convenire videbitur, interroget.

3. Cubiculum ingressus, aqua lustrali infirmum aspergat eique benedicat hac forma: «Benedicat te Deus Pater †. Sanet te Deus Filius †. Illuminet te Spiritus Sanctus †. Cor

tuum custodiat, animam tuam salvet, et ad aeternam vitam te perducat. Amen.» Vel dici potest oratio: «Visita, quaesumus, Domine, habitationem istam» etc. Deinde salutet infirmum, nisi mors instans aliud suadeat; quaerat de morbo, doloribus eorumque circumstantiis, de his enim infirmi plerumque libenter loquuntur. Ostendat commiserationis affectum, exponat, ex cuius ordinatione prospera nobis et adversa eveniant: hunc morbum esse a Deo providentissimo et nostri amantissimo patre illi immissum, ut suum infirmus erga Deum probet amorem, pro debitis per humanam fragilitatem contractis satisfaciat, et ipsa satisfactione, quae in altera vita sine merito praestanda fuisset, merita sua et gloriam augeat, Christo assimiletur magis; ut recordetur, nos in hoc mundo peregrinos esse, patriam nobis esse coelum designatum etc. Moneat proin infirmum, ut acceptet morbum de manu patris, vertat eum in bonum animae suae, et quod pati debet, libenter patiatur, alioquin passurus tamen, sed sine merito.

4. Si non instat periculum mortis, non ingerat statim mentionem confessionis; sed si forte infirmus eam horreat, prius studeat sacerdos eius animum sibi conciliare et ad confessionem eum disponere non advertentem, v. gr. exponendo Dei in humanum genus caritatem, paternam hactenus de nobis curam, beneficium vocationis ad veram sui agnitionem, beneficium baptismi, Christi in nos amorem, potens patrocinium Virginis Matris eius, quam voluit esse etiam matrem nostram et quae gaudet intercedere pro nobis.

5. Hoc modo aegroti animo conciliato, si is non ipse insinuet, velle se confiteri, confessarius proponat ei confessionis utilitatem, ostendendo hanc conferre ad animi quietem, animo autem quieto facilius recuperari corporis sanitatem, quam animus sollicitus impediat; morbos saepe esse nuntios, quibus indicet Deus, cupere se, ut penitus ad eum nos convertamus; hanc esse suavissimam Dei providentiam, ut moneat nos, dum adhuc mens et sensus vigent; monuisse etiam hoc Christum

suo exemplo, qui in cruce moriturus primam curam habuit, ut peteret a Patre veniam peccatoribus; nulli periculo obiciendam esse animam, quam habet unicam: Nulla satis magna securitas, ubi periclitatur aeternitas.

6. Si aeger petat moram, v. gr. horae, ut se praeparet, concedenda illi est, nisi obstet periculum. Cavendum tamen, ne diu differatur, praesertim in febribus malignis, ne delirio postea praeoccupatus confessionem non possit amplius peragere. Si de die in diem velit differre, urgendus est suaviter, proposito Dei invitantis amore et desiderio, ut obsequatur, gaudio Christi, quod habet de ovicula vel una ad se redeunte, gaudio Angelorum super uno peccatore poenitentiam agente etc. Si his nihil flectitur, inquiratur causa, cur nolit animae suae consulere; causam auditam studeat sacerdos amovere; submittatur amicus, qui aegrotum inducat ad confessionem; quando morbus est periculosior, moneat confessarius, si forte alii non audeant, serio de periculo, ut disponat domui suae. Si nondum cedat aegrotus, cum discretione adhibenda sunt, quae dixi a n. 206 de indurato et volente differre poenitentiam; si autem paratum se ostendat, disponatur secundum modo dicenda.

QUAESTIO II.

Quomodo infirmus volens confiteri *disponendus* sit.

210. Resp. 1. Confessarius iuvet infirmum, praesertim si hic rudis sit, in eliciendis actibus fidei, spei, caritatis, contritionis etc. Saepe enim motiva nesciunt, aut morbus impedit, quominus possint eos elicere. Quodsi infirmus debilior sit, proponenda sunt illi credenda et speranda per breves quaestiunculas, quibus attendat et subinde uno alterove verbo respondeat, v. gr. *pro actu fidei:*

Carissime etc. Nonne credis, quae credit et credenda proponit sancta mater Ecclesia, quae teste Apostolo columna et firmamentum est veritatis, cui Christus perpetuam promisit

Spiritus Sancti assistentiam? Resp.: Credo. — Credis igitur, Deum esse unum in natura et trinum in personis, remuneratorem bonorum et vindicem malorum? Et hoc ideo credis, quia Deus dixit, qui nec falli nec fallere potest? Resp.: Credo firmissime. — Nonne etiam credis, Deum nos creasse et nos conservare, ut ei serviamus et tandem salvi fiamus; postquam perieramus, Filium Dei, pro nobis incarnatum, morte et sanguine suo nos redemisse, gratiam nobis meruisse, qua possumus et sine qua non possumus salvari; eum sacramenta instituisse, per quae gratiam accipimus et sanctificamur? Et hoc credis, quia Deus ista revelavit? Credo. — Nonne etiam credis, Deum paratum esse, poenitentibus remittere peccata et iustificatis dare vitam aeternam? eum esse omnipotentem, iustum, fidelem, misericordem, summe bonum, omni amore et cultu dignissimum; eum peccata odisse super omne malum atque iuste graviterque illa punire? atque hoc iterum credis, quia Deus ita revelavit omniscius et verax? Credo; in hac et pro hac fide mori sum paratus.

Pro actu spei. Nonne speras per infinitam Dei misericordiam et per merita Christi veniam peccatorum, necessaria auxilia gratiae et vitam aeternam, quia Deus infinite potens, benignus, misericors et fidelis promisit ista inquirentibus se? Resp.: Spero. In te, Domine, speravi, non confundar in aeternum.

Pro actu caritatis et contritionis. Numquid nosti, quanta tibi praestiterit Deus? Creavit et conservavit te, ut eo in aeternum fruereris; dedit tibi Filium suum redemptorem, magistrum, cibum animae tuae in terra et advocatum in coelis; Mariam, Filii sui matrem, dedit tibi patronam, praeterea Angelum tui custodem. Quam liberalis et benignus fuit in te Deus! Est ipse sibi sufficientissimus, in se ipsa bonitas, ipsa misericordia, ipsa clementia, summa maiestas, omne bonum. Num igitur non omni amore est dignissimus? Nonne ergo gaudes et gratularis ipsi de omni bono suo?

Nonne ipsum praefers omnibus, quae cogitari possunt, ipsi optas omnem gloriam, te offers ad ipsi benedicendum, ad amandum eum et laudandum hic et in aeternum, eumque diligis ex toto corde, ex tota anima, quia dignus est omni cultu et amore? Resp.: Amo et amabo eum in aeternum. Utinam illum eo amore, quo amant ipsum omnes Sancti in coelis, amare possem!

Nonne ex corde doles, quod Deum, tam in te benignum, tam in se amabilem, tam dignum omni honore, umquam peccatis tuis offenderis? Nonne doles, quod feceris, quae tantae bonitati displicent, quae, etsi nec praemium exspectandum nec poena timenda esset, omnium cordibus est amanda? Resp.: Ex toto corde doleo. — Dic igitur: «Deus, propitius esto mihi peccatori! Pater, peccavi in coelum et coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus; ne proicias me a facie tua!» Statuamus igitur, deinceps, quoad Deus vitam dederit, amore eius omnia peccata vitare, occasiones peccandi fugere et praestare omnia, quae, re prudenter considerata, ad salutem necessaria iudicaverimus! Resp.: Statuo per Dei gratiam. Dixi, nunc coepi. Statui custodire iustificationes tuas, Domine. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in me.

2. Si terreatur forte multitudine peccatorum, excitetur Dei clementia erga peccatores, v. gr. erga Magdalenam, latronem in cruce, Petrum, cui primo inter Apostolos post resurrectionem apparuit, erga Thomam, cui pertinaciter incredulo obtulit latus et manus. Item erigatur verbis Dei dicentis: «Nolo mortem impii, sed ut convertatur . . . et vivat» (Ez 33, 11). «Miserationes Domini super omnia opera eius» (Ps 144, 9). Ipse pater optimus est, etsi nos simus filii prodigi. Etsi tu commiseris, unde damnare te potest, ipse tamen non amisit, unde salvare te potest.

3. Si infirmus sit rudis minusque apprehendat motiva dilectionis Dei, inducendus est primum ad dolorem minus perfectum, seu attritionem, secundum dicta.

QUAESTIO III.

Quae sint praestanda confessario *in confessione* infirmi vel moribundi.

Infirmi animus est erigendus; ipse iuvandus in examine conscientiae, in excitando dolore cum proposito, urgendus ad exsequendas obligationes restituendae rei alienae, occasionis peccati removendae etc. — Satisfactio qualis imponenda. — Absolutio a peccatis vel censuris reservatis. — Benedictio Apostolica.

211. Resp. Infirmum rite dispositum 1. animet ad confessionem sinceram in conspectu Dei faciendam, cui omne cor patet et omnis voluntas loquitur et quem nullum latet secretum; qui tantum exspectat, ut serio poenitenti et sincere confitenti occurrat, eumque stola gratiae vestiat et in filium recipiat.

2. Impertita benedictione interroget infirmum, a quo tempore ultimum confessus sit; nihilne voluntarie omiserit, poenitentiam impleverit. Si reperiantur priores confessiones invalidae, procedendum secundum dicta n. 191, in quo casu necesse non est, urgere, ut quae non confessus est a reliquis separet, ubi commode fieri non possit.

3. Si, id quod apud infirmos plerumque contingit, interrogationibus opus est, excitetur, ut sincere et animose respondeat ad singula, sicut conscientia dictat; nihil prae verecundia taceat, numerum nec augeat nec minuat, sed sincere certa pro certis, dubia pro dubiis confiteatur.

4. Tum interrogando percurrat praecepta fidei, spei, caritatis, decalogi, Ecclesiae, peccata propria officii, status, prout discretio dictabit et conditio confitentis. Si tempus talem examinis ordinem non fert, convenit interrogare graviora, circumstantias mutantes speciem, numerum; pro personarum diversitate interrogetur de scandalis, de confessionibus non rite factis, de odiis inveteratis, usuris etc., demum de aliis, prout tempus et circumstantiae permiserint.

5. Si absoluta confessione nihil supersit, quod gravet conscientiam aut quod praestandum antea sit, confessarius poeni-

tentem benigne alloquatur et renovet cum eo dolorem de peccatis et propositum vitandi omnia peccata occasionesque peccandi, hoc vel simili modo: O mi Deus, ex toto corde doleo, quod tot et tantis peccatis te offendi atque iram tuam gravissimasque poenas aeternitatis merui. Detestor nunc peccata mea super omnia. O mi Deus, Deus cordis mei, propter te ipsum, qui infinite bonus es, amo te et amabo super omnia. Poenitet, ah poenitet me, misericordissime Deus, quod te tam graviter et toties offendi! Tu quaesivisti me, et ego contempsi te. Ex intimo corde doleo, quod te, omne bonum, omni amore dignissimum, tam parvi feci. Pater, peccavi in coelum et coram te; respice in faciem Christi tui et miserere mei. Quid tibi retribuam pro patientia tua in me? Offero me totum ad obsequium tuum, et statuo firmissime per gratiam tuam, quam suppliciter peto, numquam peccare amplius, occasiones peccandi fugere et tibi soli servire. Amore tui condono omnibus, qui umquam me offenderunt. In satisfactionem suscipe labores, dolores, sanguinem, mortem Filii tui, Domini mei Iesu Christi; suscipe etiam hos dolores meos, quos tui amore libenter feram; vitam meam libens pro te profundo. Haec sicut nunc supplex peto, ita de tua infinita bonitate confido, te per pretiosum sanguinem Filii tui veniam et gratiam mihi daturum, ut emendatus in finem usque perseverem. Bone Iesu! respice in me miserum peccatorem oculis misericordiae, quibus respexisti Petrum flentem in atrio, Magdalenam in convivio, latronem in crucis patibulo; et praesta, ut peccata mea cum Petro digne defleam, cum Maria Magdalena perfecto amore te diligam, et cum latrone in paradiso in saecula saeculorum te videam et glorificem. Amen.

6. Si est obligatio praestandi aliquid in vita, iubeatur illud statim infirmus praestare, v. gr.: 1) Si obligetur ad restitutionem famae, curet eam restituendam ut potest verbo vel scripto. Si ad restituenda bona fortunae obligetur vel ad

damna compensanda et possit restituere vivus, iubeatur restituere; si non possit, obliget, etiam sub poena, heredes in testamento, ut statim restituant. Si dubium sit, an quid debeat, uti fieri potest v. gr. in administratione bonorum, curet, ut re declarata suum cuique tribuatur. Vide infra n. 235. Si aliqua acquisivit per contractum iniustum, uti debet, restituat. Vide tamen de hoc *Lessius,* De iust. l. 2, c. 20; *Diana* p. 3, tr. 9, res. 92. — 2) Si aegrotus est in occasione proxima continua peccandi, v. gr. si concubinam habet et prolem ex ea, aut matrimonium illi promisit, inducatur, ut, si possit, ineat cum ea matrimonium, quo proles legitimetur et promissioni satisfiat[1]. Si hoc fieri non possit, nec possit concubina eici, potest quidem absolvi, si dispositus sit, curandum tamen est, ne concubina aegro ministret, sed amoveatur ab eius conspectu, uti monui supra sub n. 173. — 3) Si aegrotus ab altero est graviter offensus vel laesus quocumque animo etiam pessimo, inducendus est, ut offensam remittat, odium, rancorem internum deponat, signa det odii exstincti externa, immo etiam, ut actionem iudicialem iniuriarum, si quae ei competit, potius remittat. Nam etsi a legitimo iudice sine peccato possit peti satisfactio et punitio laedentis, quia legitima vindicta ad virtutem iustitiae pertinet, et per se convenit malefactorem puniri, ut alii ab iniuriis inferendis coerceantur: periculum tamen est, ne ex occulto odio is, qui

[1] Inire matrimonium cum concubina nunc fere semper possibile est. Nam iuxta can. 1043 sq. urgente mortis periculo locorum Ordinarii, et in casibus, in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, etiam parochi, necnon sacerdotes et confessarii quoque (sed hi pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum) ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, non tamen adulterinae et sacrilegae, *possunt* tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, *dispensare,* remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus.

laesus est, procedat et gaudeat de alterius malo tamquam suo bono. — 4) Si mulier honesta infirma sit separata a viro nec ei persuaderi possit, ut velit dein ad virum redire, examinanda est causa divortii: si iusta est, non tenetur redire; si est dubie iusta, interrogetur, sitne parata facere, quod postea iudicabitur in conscientia faciendum; si ita, absolvi poterit.

7. Omnibus rite peractis, infirmo est imponenda poenitentia levis aut levior pro ratione morbi gravis aut gravioris, tamen sine praeiudicio tertii. Possunt imponi actus fidei, spei, caritatis, patiens dolorum tolerantia, resignatio in voluntatem Dei, restitutio mature facienda, condonatio iniuriae publice illatae, reconciliatio cum inimicis, invocatio sanctorum nominum Iesu, Mariae, Ioseph etc. Potest etiam gravis poenitentia iniungi in eventum valetudinis recuperandae.

8. Demum confessarius infirmum absolvat primum a censuris, si quam incurrerit, tum a peccatis, et applicet illi indulgentias moribundis concessas. *Ad has indulgentias, quae vocantur Benedictio Apostolica in articulo mortis, rite applicandas necessaria est praeter potestatem legitime acceptam[1] formula a Benedicto XIV praescripta, quae in Rituali Romano invenitur, cum recitatione *Confiteor* aliarumque precum, etsi propter sacramenta simul administranda bis vel ter *Confiteor* debeat repeti. Solum periculum imminens, ne infirmus ante finitam formulam decedat, ratio est, cur licite et valide forma brevior adhibeatur. — Indulgentia illa sic intelligitur, ut moribundus eam reipsa accipiat, idque vi benedictionis etiam satis longe antea datae, in ipso mortis momento, post quod anima desinat esse in statu viae seu constituatur in termino. Quapropter inutile esset eam repetere, atque eam repetere revera compluries vetuit S. Indulg. Congr. (cf. Decr. auth. 9 257 263 286 300 362) pro eodem mortis periculo; licet autem

[1] Vi can. 468, § 2 haec potestas competit cuilibet parocho aliive sacerdoti, qui infirmis assistat.

eam dare, cum primum mortis periculum reipsa probabile est, simul cum extrema unctione (d. d. 19 Dec. 1885). — Conditiones requisitae sunt: a) status gratiae saltem per contritionem acquisitus, si sacramenta suscipi amplius non possunt; immo conandum semper est, ut, quantum fieri possit, actus ferventissimae caritatis et contritionis eliciatur; b) invocatio nominis Iesu, eaque ore prolata, si possibile est, alioquin saltem corde; c) ut ipsa mors aequo ac libenti animo de manu Dei suscipiatur. A danda hac benedictione abstinendum tamen non est, etsi moribundus inveniatur sensibus destitutus.*

†Quoad absolutionem moribundi notandum, quod iuxta can. 882 in periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, etiam excommunicati vitandi, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, ita tamen ut a) absolutio complicis sit, extra casum necessitatis, illicita (non invalida), ut b) ab sacerdote specialis facultatis experte absoluti ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata teneantur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum, qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum (intra mensem saltem per epistulam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo), si de censura a iure; eorumque mandatis parendi.†

Non potest tamen dari absolutio a censuris et a peccatis reservatis per quemlibet statim a prima die cuiuslibet infirmitatis, sed debet adesse aut articulus aut periculum mortis probabile. Adest autem *articulus mortis*, quando mors moraliter certo proxime instat seu ex morbo seu ex vulnere seu ex sententia iudicis; cui aequivalet, si quis sit in periculo proximo perpetuae amentiae. *Periculum* vero *mortis* est, quando cum dubio vel timore pru-

dente mors exspectatur, uti in proelio, morbo vel itinere periculoso, obsequio pestiferorum; vel si mulier sit partui vicina eaque sit experta in aliis partubus periculum vitae. Unde reus ad mortem condemnatus, si instet exsecutio sententiae, mulier illa, si instet partus etc., potest a quovis absolvi.

Si tamen infirmus habet casum reservatum, cui annexa est excommunicatio, haec simul praestanda sunt: *Primum,* ut ante satisfiat parti laesae v. gr. peragatur restitutio famae, honoris, bonorum, ob quorum laesionem lata est censura; aut res sic disponatur, ut illa satisfactio sit infallibiliter secutura, v. gr. dando confessario, vel apud alium deponendo, quod restituendum erat; vel obtinendo a parte laesa condonationem. Quodsi satisfactio fieri non possit, modo detur cautio pignoratoria vel fideiussoria, vel saltem iuratoria, si alia dari non possit[1]. *Alterum,* ut promittat, se nolle amplius crimen illud committere, et se velle stare mandatis Ecclesiae, id est se velle, si potuerit, negotium cum Summo Pontifice vel alio ad normam can. 882 componere.

Si tamen aeger est destitutus usu rationis, potest, si cetera adsunt, absolvi; immo valide absolveretur, etsi confessarius quae imponere debet negligeret, quamquam hic graviter peccaret. Neque reincideret poenitens, si solam promissam *satisfactionem* non praestaret, etsi tunc peccaret. Immo si impotentia satisfaciendi est perpetua, non est opus quidquam a poenitente requirere. Demum, si casus reservatus non habet annexam censuram, minus etiam opus est se postea sistere superiori.

[1] In foro *interno,* etsi quoad delicta atrociora utiliter exigi possit iuramentum, sufficere tamen, ut confessarius moneat de obligationibus, quas habeat poenitens, et ut poenitens se eas impleturum esse serio promittat, habes ex S. Alph. VII 129. Promissio autem versari debet circa tria: a) circa satisfaciendum parti laesae, quando realis satisfactio fieri nondum potuit neque cautio plena dari; b) circa crimen non amplius committendum; c) circa implendam obligationem standi mandatis Ecclesiae. *

QUAESTIO IV.

Quomodo infirmus in visitatione sit excitandus ad coniunctionem cum Deo, resignationem, patientiam etc.

Exercitium virtutum theologicarum cum infirmo. — Motiva resignationis in Dei voluntatem. — Erigendus infirmus ad patientiam. Motiva: necessitas, aequitas, utilitas, excellentia, exemplum Christi, B. Mariae V. aliorumque Sanctorum.

212. Resp. I. In visitatione infirmi ante omnia exercendi sunt cum ipso *actus fidei, spei et caritatis,* quibus anima intellectu et voluntate Deo coniungitur, modo supra dicto, vel hoc modo:

1. Pro *fide* elicienda possunt illi exponi praecipua fidei capita et eius motivum, et tunc elici actus fidei hac ratione: Credo, Domine, quidquid per Ecclesiam unam, sanctam, catholicam et apostolicam credendum proponis; et ideo firmissime credo, quia tu dixisti, qui es infinita veritas, nec potes fallere nec falli. Credo; adiuva, Domine, incredulitatem meam.

2. Pro *spe* elicienda proponi illi possunt infinita Dei benignitas, misericordia, clementia, omnipotentia, fidelitas, beneficia particularia infirmo prae tot aliis collata, ut salvus fieret; merita Christi, Beatissimae Virginis, Sanctorum. Tunc potest spes sic elici: Spero, misericordissime et benignissime Deus, per merita unigeniti tui Filii pro me passi veniam meorum peccatorum, gratiae auxilia et vitam aeternam; et ideo firmissime spero, quia venientibus ad te illa promittere dignatus es, qui in promissis tuis servandis es fidelissimus et potentissimus. In te, Domine, speravi; non confundar in aeternum.

3. Pro elicienda *caritate* proponi possunt Dei beneficia, desiderium eius, ut ad eum veniamus et ut ipse nos in aeternum beatos faciat; dein labores doloresque Christi; tum summa Dei bonitas, maiestas, dignitas, cui debetur omne obsequium et amor. Porro actus caritatis hoc vel simili modo elici potest:

O quam sero amavi te, pulchritudo aeterna! O bonitas infinita, dulcedo ineffabilis! Quid mihi est in coelo, et a te

quid volui super terram? En paratum cor meum ad amandum te, nunc et in aeternum. Deus cordis mei, diligo te super omnia; gaudeo, gratulor tibi de infinitis tuis perfectionibus, de omni honore et gloria tua in coelo et in terra, quia tu iis dignus es. Utinam sexcenta corda mihi essent, quibus solum te amarem; ament, laudent, benedicant te omnes creaturae mecum et pro me, et plus quam possim ego.

Ah! quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrimarum, ut defleam peccata mea, quibus te summum bonum offendi et Filium tuum, Dominum et Salvatorem meum, in crucem egi. Peccavi in conspectu tuo et coram te; abusus sum donis, a te mihi concessis ad gloriam tuam et salutem meam, in tuam ignominiam et meam perditionem; servire te feci in peccatis meis. Detestor ingratitudinem meam, abominor mala, quae feci coram te, omni honore dignissimo. Utinam vel sanguineis eadem lacrimis deflere possem! Delicta mea pavesco, et ante te erubesco; attamen spem veniae non abicio, verum infinita fretus misericordia tua statuo expiare peccata mea neque amplius ea admittere. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in me.

213. Resp. II. *Pro resignatione* in voluntatem Dei iuvat proponere sequentia: 1. Statutum est omnibus semel mori. Nescimus, quandonam mori nobis magis expediat; novit id Pater noster coelestis. Avocat ille nos ex hac mortali vita quandoque citius, ne diutius viventes labamur in peccata et pereamus in aeternum. «Raptus est [iustus], ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius» (Sap 4, 11).

2. Vitam a Deo gratis accepimus; cur eam reposcenti non libenter oboediamus, ut temporalem et miseram commutet in aeternam et felicem?

3. Non sumus maiores Sanctis, Virgine Matre Dei, ipso Christo. Sancti mortui sunt, et mortem desideraverunt. «Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo», aiebat S. Paulus (Phil 1, 23). S. Ignatius martyr cupiebat devorari a bestiis sibi praeparatis, ut Christo frueretur. B. Virgo mortua est,

ut imitaretur Filium suum. Christus dignatus est mori, ut nos liberaret a morte aeterna. Quis recuset igitur mori, si ita Deo placeat? «Ita Pater: quoniam sic fuit placitum ante te» (Mt 11, 26); paratum cor meum, paratum ad faciendam voluntatem tuam. Sive vivam, sive moriar: tuus sum.

4. Peregrinamur a Domino; hic in exsilio sumus, patria nostra coelum est; quis ad eam non festinet ex hac lacrimarum valle? Pater! non mea, sed tua voluntas fiat. «Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus» (Ps 41, 2).

Resignationem saepe difficilem reddunt terrena, coniux, liberi etc. Haec removeantur, nec colloquium de iis instituatur, nisi forte necessarium sit, iubeaturque infirmus eorum mentionem omittere et Deo committere; quia de iis loqui nihil utilitatis, multum vero incommodi affert, aegrum affligens et impediens, quominus ad bona maiora se praeparet. E coelo, quo properat, plus illis auxilii impetrare poterit, quam vivus praestaret in terris. Pater illorum Deus est, ipsi cura erit de illis. Brevi standum erit ante tribunal Dei, ibi quaeretur de operibus nostris, non de aliorum felicitate; Christus nudus mortuus est in cruce, et nos mundo oportet mori, antequam moriamur.

214. Resp. III. Ad praeparandum animum ad *patientiam* serviunt: 1. Necesse est nos pati, quia homines sumus, quia exsules, quia Christiani. Homo nascitur ad laborem teste Iob 14, 2: «Quasi flos egreditur et conteritur», et Eccli 40, 1: «Iugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum usque in diem sepulturae, in matrem omnium». Vocamus saepe terram hanc vallem lacrimarum, et nos exsules filios Evae; quid ergo exspectare possumus nisi adversa? Pati omnes necesse est, parvos et magnos, divites et pauperes, reges et plebeios. Christiani appellari volumus; sacrum hoc nomen astringit nos, ut adversa libenter patiamur. «Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?» (Lc 24, 26.) Non intrabimus in gloriam eius, nisi per patientiam. «Si quis vult post me venire . . .,

tollat crucem suam quotidie» (Lc 9, 23). Ideo Christiani sumus, ut sequamur Christum et cum eo patiamur; unde dixit Apostolus (1 Thess 3, 3): «Nemo moveatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quod in hoc positi sumus.» Rex passus est, ne recuset pati famulus.

2. Nos pati aequum est: peccando insurreximus contra Deum; turbavimus ordinem rectum, qui exigit, ut creatura Deo, servus domino subsit; hic ordo restituendus est, nos itaque Deo per adversa iterum sumus subiciendo. Proinde, si placet dulcedo misericordiae, non debet displicere pulchritudo iustitiae.

3. Pati utilissimum est: nam patiens adversorum perpessione purgat animam ab affectu ad terrena et illicita adducitque ad amorem coelestium; delet cum magno merito debita peccatis contracta, quae magnis poenis sine merito in altera vita eluenda essent; meretur magnam in coelis gloriam. «Momentaneum et leve tribulationis nostrae . . . aeternum gloriae pondus operatur in nobis», inquit Apostolus (2 Cor 4, 17). «Speciosa misericordia Dei, in tempore tribulationis, quasi nubes pluviae in tempore siccitatis» (Eccli 35, 26).

4. Aequo animo nos adversa ferre gloriosum est Deo et nobis: Deo quidem, quia Deo gloriosum est habere filios, qui paternum agnoscentes affectum de manu eius etiam dura libenter admittunt, qui etiam in asperis suam profitentur subiectionem voluntque concurrere ad reparandam gloriam patris; habere famulos, qui, seposita omni commoditate propria, in adversis patientes eius consilia, ordinationem et providentiam laudant, prompto animo omnia, quae sive corpus sive animam spectent, excipiunt, suam in eum fiduciam et amorem cum sui immolatione contestantes. Nobis autem gloriosum est, tum quia sic probamus nos veros Dei filios et famulos fideles, eius gloriae studiosos, profitemur nostram in eius providentia fiduciam subiectionemque, eius in nos amorem, quo in nostram salutem adversa immittit; tum quia sic conformamur Christo regi gloriae, quo nihil gloriosius. «In hoc enim vocati estis: quia et Christus passus est pro nobis,

vobis relinquens exemplum ut sequamini vestigia eius» (1 Petr 2, 21). «Communicantes Christi passionibus gaudete ... quoniam quod est honoris, gloriae et virtutis Dei, et qui est eius spiritus, super vos requiescit» (1 Petr 4, 13 sq). Hinc dixit S. Apostolus Paulus (2 Cor 7, 4): «Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra», et S. Iacobus (1, 2): «Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.» Proinde Deum amanti vel iucundum est pati.

5. Adversa a Deo immissa impatienter ferre valde indecens est et periculosum. Quid diceremus de infirmo, qui potionem amaram, ad sanitatem valde utilem aut necessariam, recusaret a medico peritissimo admittere? quid de condemnato ad mortem, qui nollet manere aliquot dies inclusus, ut liberaretur a morte? quid de debitore, qui oblato uno nummo nollet exstinguere cum lucro ingenti debita immensa? Ecce talis est homo, qui non acceptat aequo animo adversa a Deo oblata. His vult Deus sanare animas nostras, vult remittere poenam mortis aeternae, vult condonare magna debita per peccata contracta et dare nobis divitias gloriae aeternae; quis igitur non acquiescat?

6. Percurri potest tota vita Christi, quae a primo momento usque ad ultimum vitae spiritum fuit mera passio; ipse non habuit, in quo reclinaret caput suum, et morientis lectus fuit dura crux; huius nos coheredes esse volumus, et erimus, si tamen compatimur. Castigat Dominus omnem filium, quem recipit (cf. Hebr 12, 6).

7. Proponi potest exemplum B. Virginis et Sanctorum. Illius animam doloris gladius pertransivit; praesciens mortem Filii sui durissimam et persecutiones compassa est viventi, et post eius mortem passa est contradictiones ab inimicis Christi. Sancti autem, quam multa et varia sunt passi! in vetere quidem Lege Tobias, patriarcha Ioseph; in nova Apostoli et alii: Petrus crucifixus, Bartholomaeus excoriatus, Laurentius vivus assatus etc.

Pii actus et affectus per intervalla breviter cum infirmo exercendi.

Actus fidei.

215. 1. Sapientissime et veracissime Deus! credo, quaecumque revelasti; sufficit mihi verbum tuum. Tu es ipsa sapientia et veritas, quae nec fallere nec falli potest. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.

2. Tres sunt, qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum, Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt. Credo, Domine; adiuva incredulitatem meam.

3. Credo, mi Deus, te Filium tuum misisse in mundum ut peccatores salvos faceret, quorum ego primus sum.

4. Credo remissionem peccatorum, carnis resurrectionem et vitam aeternam.

5. Credo, quod redemptor meus vivit, et in carne mea videbo Deum salvatorem meum.

6. Credo, bone Iesu, quae dixisti: nemo venit ad Patrem, nisi per te; et nemo ad te, nisi Pater traxerit eum. Sine te nihil possum; sed de plenitudine tua nos omnes accipimus.

7. Tu es Deus omnipotens, sanctus, immortalis, creator, conservator et gubernator omnium; ad imaginem et similitudinem tuam creasti me, ut tibi servirem et salvus fierem. Miserere mei et salva me.

8. Iesu bone, tu iudex constitutus es vivorum et mortuorum; ne intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Actus spei.

1. In te, Domine, speravi; salvum me fac a persequentibus me et libera me.

2. Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam. Ego egenus et pauper sum, Deus, adiuva me.

3. Miserere mei, quoniam tribulor. Deus meus es tu; in manibus tuis sortes meae.

4, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.

5. Adiuva me, Deus, salutaris meus, et propter gloriam nominis tui, Domine, libera me, et propitius esto peccatis meis propter nomen tuum.

6. Benignissime Iesu, redemisti me sanguine tuo; ne perdas cum impiis animam meam.

7. Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe; memento, quanti steterim Filio tuo.

8. Angele Dei, qui custos es mei, ab hoste maligno protege me etc.!

Actus caritatis.

1. Diligo te, Domine, fortitudo mea, refugium meum, liberator meus et Deus meus.

2. Iste Deus meus, et glorificabo eum, in aeternum cantabo misericordias eius.

3. Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram? Diligo te, Domine, Deus meus, quia solus es omne bonum, magnus et omni amore et cultu dignissimus.

4. Quis Deus praeter Dominum, aut quis Deus praeter Deum nostrum? Vivit Dominus, et benedictus Deus meus in aeternum; in te, per te et ex te sunt omnia.

5. Domine, bonorum meorum non eges; verum diligo te ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex tota mente mea, ex omnibus viribus meis. Amo te propter te; da, ut amem te magis et ferventius.

6. O bonitas aeterna! sero cognovi te, sero te amavi. Utinam numquam offendissem te! Poenitet me, ah poenitet me! Oculo misericordiae respice miseriam meam. Num damnabis pulicem unum? Da gloriam nomini tuo, et di-

mitte mihi universa delicta mea. In te speravi, non confundar in aeternum; statui custodire mandata tua; tibi vivam, quamdiu vivam.

QUAESTIO V.

Quid agendum confessario, si vocetur ad infirmum loquela et sensibus destitutum.

Absolvendus est, qui signa poenitentiae dat sacerdote praesente; qui dederit eo absente testantibus aliis. Quid, si nullum signum fuerit perceptum; si dubitatur de vita. — De absolutione saepius repetenda.

216. Resp. I. Si infirmus, loquela plane destitutus, *signo vel nutibus significat poenitentiam sacerdote praesente,* absolvendus est, quia signa poenitentis animi, quae praesente mortis periculo eduntur, censeri debent ad absolutionem sacramentalem directa, ideoque esse sacramentalis confessio; nam in tali statu quivis optimum animae suae medium solet desiderare. Signa autem poenitentiae sunt: pectoris percussio, elevatio manuum vel oculorum in coelum, aspectus intentus crucifixi vel piae imaginis etc. Si prudens sit dubium, utrum haec signa sint orta ex poenitentia an ex solo maerore et mortis angustiis, absolutio danda esset sub conditione. Dixi: «Si loquela plane destitutus»; nam qui aliqua peccata nominatim potest confiteri, debet imprimis mortale, si quod habeat, aperire, etsi non possit omnia manifestare.

217. Resp. II. Si *praesente sacerdote nullum dare potest poenitentiae signum, dedit* vero *priusquam* sacerdos accesserit, atque idonei testes, immo etiam unicus praesens, id testantur, absolvendus est. Ratio est: quia signa censetur dedisse, ut alii manifestarent velut interpretes confessario suam poenitentiam, sicque dolor et confessio fit sensibilis confessario et sacramentalis. *Hoc certum est, si moribundus vocari iussit sacerdotem vel desiderium confitendi ostenderit. Alioquin non certo quidem, sed probabiliter habes confessionem ad absolutionem sacramentalem necessariam, atque etiamtum absolvendus quidem est, sed conditionate tantum. Quod ad

omnes casus applica, ubi dubium prudens exsistit de sufficienti confessione vel dolore.* Docuit hoc Concilium Arausicanum primum can. 12 his verbis: «Subito obmutescens . . . baptizari aut poenitentiam accipere potest, si voluntatis praeteritae testimonium aliorum verbis habeat[1].» Et idem valet, si, qui signa poenitentiae viderunt, non amplius sint praesentes infirmo, sed in platea sacerdoti occurrenti indicarunt. Ratio est eadem. Neque, si moribundus ratione et sensibus est destitutus, magis fit confessio sacerdoti praesenti a teste praesente quam ab absente; cum moribundus non sit ita praesens confessario, ut cum eo humano modo possit agere: ergo sicut in primo casu confessio absenti sacerdoti facta in ordine ad absolutionem a praesente accipiendam sufficit, sic et in casu secundo.

218. Resp. III. Moribundus, qui *christiane vixit,* iamque sensibus et loquela destitutus est, quem *neque nunc* signa poenitentiae dare *neque dedisse antea* expresse constat, sub conditione absolvendus est. Ratio est: quia ad extrema deducti censentur Deo velle conciliari et christiane mori, et saepe dant signa, quae non advertuntur data, ad absolutionem accipiendam; vel etiam quia vita christiane acta est testimonium quoddam voluntatis et petitio tacita absolutionis; qui enim christiane vivit, recte censetur velle christiane mori et petere sacramenta extrema christianis dari solita. Hinc videtur dedisse, et dedisse censetur signa poenitentiae. Hoc multi[2] extendunt ad eum, qui male vixit, modo fuerit catholicus, si inveniatur sensibus destitutus; quia tales homines saepe utuntur ratione, atque fides, quam in Christum professus est, praebet fundamentum iudicandi, eum velle catholice mori et hoc conari; nec constat, eum non dedisse signa poenitentiae, eo quod non sint clare apprehensa. Unde, si quis in duello cadat tempusque intercedat inter vulneratio-

[1] Bruns t. II, p. 124.

[2] Ita S. Alphonsus VI 483; Lehmkuhl, Theol. mor. II[12] n. 646.

nem et mortem et praesumi possit adhuc uti ratione, censere licet eum poenitere, potestque sub conditione absolvi. Nam vita christiane acta est aliqua poenitentiae manifestatio non pro quocumque, sed pro tempore mortis instantis, et moriens praesumitur memor salutis, nisi clara det signa impoenitentiae. Immo forte anhelitus ab eo dirigitur ad sacerdotem ad absolutionem obtinendam. Haec quidem incerta sunt; quia tamen non omnino improbabilia, consulendum est saluti animae, ad quam sacramenta instituta sunt. Irreverentia autem ab iis arcetur in casu necessitatis per conditionem appositam.

219. Resp. IV. Si sacerdos ad infirmum veniens *dubitet, an iam mortuus sit,* adhuc debet eum absolvere, quia hic in dubio eligenda sunt securiora. Idque maxime valet, si signa poenitentiae antea dedit, etsi probabilius putetur iam mortuus; nam saepe iudicantur mortui, qui postea adhuc ad se redeunt. Nec desunt medici, qui existimant, animam aliquando manere unitam corpori uno alterove quadrante post mortem vulgo existimatam. Retulit mihi celebris medicus, puerum in aquam lapsum et extractum plane apparuisse mortuum, igni autem dein applicatum rediisse ad se. Testantur quoque indubitatae historiae, quosdam, qui ad horam videbantur mortui, immo sepulti fuerunt, ad se rediisse[1]. Proin si incertum sit, utrum iam infirmus obierit, adhuc sub conditione absolvendus est, si signa poenitentiae dederit aut dedisse prudenter praesumi possit secundum dicta. Haec

[1] Videlicet si observatum fuerit, vi morbi paulatim absumi vires infirmi vitamque exstingui, brevi post ultimum spiritum, quem infirmus duxisse visus est, eum reipsa mortuum fore, satis certum est: quamquam generatim horae quadrantis spatio vel ultra non omne dubium excluditur. Quando vero subitanea et vehementi concussione, suffocatione, apoplexia similive casu vitae signum quodcumque exstinctum est, nihilominus spatium satis diuturnum, non unius tantum horae sed longius, dubium rationabile de morte re secuta generatim exsistit: quapropter in eiusmodi circumstantiis sacramenta conditionate conferri omnino debent. Cf. Capellmann-Bergmann, Medicina pastor.[17] p. 320 sqq. 325 sqq. 528 sqq., scil. cpp. de agonia, mortis similitudine, signis mortis; Gury-Ferreres, Casus conscientiae II[2], n. 1192 sqq.*

valent tantum pro catholicis, non pro haereticis, nisi forte hi sacerdotem catholicum petiissent; alias haeretici non censentur signa dirigere ad accipiendam absolutionem sacramentalem.

220. *Petes:* Quid sentiendum de pacto, quod moribundus iam confessus inierit cum confessario, ut in agone adhuc semel absolvatur? Resp. Cum ad novam absolutionem, saltem extra casum necessitatis, requiratur nova accusatio, iubeat confessarius, ut absolutione accepta in genere iterum se accuset et dolorem eliciat cum proposito; quibus praestitis potest eum agonizantem iterum absolvere, saltem nisi mora nimis longa inter agonem et praemissum dolorem intercessit; in hoc enim casu expedit renovare dolorem ante agonem. Si tamen in agone aeger signa poenitentiae nova dat, absolvendus est; sicut etiam, si non temere timetur, ne relapsus sit in grave peccatum. *Immo frequentius dandam esse absolutionem pro diversis circumstantiis, eamque aut absolutam aut conditionatam, disce ex *S. Alph.*, Prax. confessarii n. 276, 11: «Dum infirmus adhuc sensibus viget, absolutionem pluries ei conferri post brevem reconciliationem iuvabit, ita ut ille magis circa statum gratiae securus reddatur, si forsan praeteritae confessiones invalidae fuissent, aut saltem gratiae augmentum recipiat, necnon purgatorii poenae ei minuantur. Et si forte infirmus tunc in letale incidat peccatum, ne exterreat, sed monens, ut Iesu et Mariae nomina invocet, si rursum tentatur, benigne eum confortet, procuret, ut contritionis actum eliciat, et statim absolvat. Si tamen infirmus iam sensibus caret et nullum doloris nec absolutionis desiderii signum ostendit, non expedit, valde saepius intra eundem diem absolutionem ei impertiri, quia tunc, licet conditionate detur, tamen, ut sacramentum valeat administrari sub conditione, urgens et gravis ratio requiritur; unde opus est, ut aliquod notabile temporis spatium intermediet. Verum in hoc sacerdos ex conscientia quam noverit infirmi se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit pravis cogitationibus, si

aliquo vulnere moritur aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus, si infirmitas est nimis acerba et ipse non libenti animo suffert, *tunc saepius absolutio dari potest; sin autem,* sufficit ut *trium aut quattuor horarum spatium* intercedat, *frequentius tamen, si iam moriturus est.* Non abs re autem erit aegrotum, dum mente pollet, monere, ut, si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum absolutionem quaerit, aut dum sacerdos ipsi conferre vult, v. gr. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet, et similia.»

*Ad quae solum addo, si quando sacerdos ex sola conscientiae aegroti notitia per confessionem habita putet saepius absolutionem esse repetendam, fieri posse, ut oporteat hanc adstantes celare, ideoque *secreto* omnibus externis signis omissis absolutionem conferre.*

QUAESTIO VI[1].

Quando et quoties infirmis danda communio et extrema unctio et quomodo ad illa disponendi sint, quomodo urgendi.

Viaticum mature dandum, etiam non ieiuno. — Num ei, qui paullo ante communicavit. Quando vomitus, tussis etc. obstent. — Utrum dandum sit reis, usu rationis non utentibus, amentibus, pueris. — Quomodo disponendus sit infirmus ad viaticum, ad extremam unctionem; quibus sancta unctio danda, quae corporis partes et quomodo ungendae.

221. Resp. I. Eucharistiae sacramentum pro viatico dandum est infirmis, si sunt in periculo mortis: tunc enim obligat praeceptum[2] sub mortali pro Viatico sanctam Communionem sumendi. Unde inducendi sunt infirmi, ne cum periculo non accipiendi illud differant, et expellendus mundanus ille timor, quo nolint divulgari suam infirmitatem. Forma illius conferendi est: «Accipe, frater (vel soror), viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat

[1] Hac in quaestione plura e novi iuris dispositione erant mutanda, expungenda, supplenda. [2] Can. 864.

ab hoste maligno et perducat in vitam aeternam. Amen.» Differt Viaticum ab ordinaria Communione, quia in hac gratia bene vivendi, in illo bene moriendi datur et petitur. Circa hoc nota: 1. Qui mane sanus communicavit ex devotione, si dein eodem die incidat in periculum mortis, iuxta †can. 854, § 2 «valde suadendum», ut denuo communicet; obligatio non est, sive latens periculum mortis iam mane adfuerit sive non. Ex eiusdem canonis § 3 «perdurante mortis periculo sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet».†

2. Qui ab ultima Communione post octo dies incidit in periculum mortis, secundum probabiliorem sententiam tenetur iterum communicare, quia periculum ante octo dies satis propinquum non erat. *Suarez*[1] tamen, *Lugo*[2], *Illsung*[3], alii probabiliter tenent, eum non teneri, quia obtentus sit finis praecepti, qui est per Communionem se disponere ad mortem vicinam: ergo praecepto satisfactum est, quamvis mors non fuerit praevisa; erat enim vicina. In praxi tali iterum danda est Communio tum propter aedificationem populi, tum ut infirmus melius ad mortem disponatur. *Consentit in omnibus *S. Alphonsus* (VI 285, dub. 2). Quamquam probabiliorem habet sententiam, quae ad denuo sumendam sanctam Eucharistiam *obligat*, dicit nihilominus alteram sententiam «satis probabilem, saltem si periculum mortis naturaliter accidat», i. e. ex complexione infirmi, non ex accidentali infortunio.*[4]

3. Infirmus, qui non potest commode exspectare aut cui parochus altero die difficulter potest Viaticum ministrare ieiuno, potest communicare non ieiunus[5]. Quod etiam

---

[1] In 3, disp 69, sect. 3, n. 3. [2] De Euch. disp. 16, n. 39 sq.

[3] Theol. pract. univ. tract. 6, disp. 4, a. 6, § 1, n. 129.

[4] Etiam nunc e novo iure stricta obligatio erui nequit, intensissime vero suadenda Communio est e mente can. 864, § 2.

[5] Can. 858, § 1 absolute dicitur: «Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, *nisi mortis urgeat periculum*, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum.» Ergo

saepe potest fieri in infirmitate eadem diuturna, quia Concilium Constantiense et Ecclesiae consuetudo videtur absolute a praecepto ieiunii eximere periculose infirmos[1], si commode non possint manere ieiuni. *Ergo pro adiunctis fieri omnino potest, ut infirmo nunc saepius detur sancta Eucharistia, quam ipse sanus ad eam accesserat; nam praesens necessitas et devotio spectanda est, non praeterita. Cf. *Lehmkuhl,* Theol. mor. II[12] 220, ubi notatur, sacerdotes curatos obligari ad id, ut etiam saepius aegroto sancta Eucharistia detur, maxime si petat.* †Quo in casu plerumque aderit «iusta et rationabilis causa» a can. 847 requisita ad hoc, ut sacra Communio ad infirmos occulte deferatur. Quodsi sacra Communio administratur sive publice sive occulte per modum Viatici, id pertinet ad parochum (can. 850). [Alias «Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia sanctissimi Sacramenti commissa est» (can. 849, § 1)].† Si igitur infirmus heri aut ante dies aliquot communicavit ex devotione, potest hodie iterum communicare pro Viatico, non tamen teneretur secundum ea, quae modo ad 2 dicta sunt.

4. Si infirmus ex indispositione stomachi omnia quae sumit eiciat, non est illi danda Communio ob irreverentiam certam. Sententia communior et probabilior est, in dubio, an reiecturus sit sacras species, sanctam Communionem non esse

Viaticum dari potest non ieiuno saltem ex quacumque rationabili causa, cum et alii infirmi, qui non letaliter decumbunt, bis in hebdomada non ieiuni communicare possint, ut mox dicemus.

[1] Immo can. 858, § 1 etiam *alios*, quos «mortis urgeat periculum, a ieiunii lege eximere videtur ita, ut iuxta can. 864, § 3 perdurante mortis periculo sanctum Viaticum (ergo non ieiuni) pluries suscipere possint. Ceterum illi quoque infirmi, qui non sunt in urgenti mortis periculo constituti, aliquoties non stricte servata lege ieiunii communicare possunt iuxta can. 858, § 2: «Infirmi tamen, qui iam a mense decumbunt sine certa spe, ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam (sive liquidam sive solidam) vel aliquid per modum medicinae antea sumpserint.»

dandam, in hoc tamen casu posse dari infirmo minimam particulam, si sic eam retineat, in liquore vel iusculo, licet hoc moraliter certo sit prius descensurum. Potest etiam prius dari particula non consecrata: quam si retineat, dari deinde potest Communio; non vero, si reiciatur. *Videlicet distinguendum est: si grave periculum adfuerit, ne sacrae species reiciantur, dandae non sunt; si periculum non est grave, aliquali periculo materialis irreverentiae sacras species exponere licebit ex gravi causa recipiendi Viatici; immo si sumis, esse aegrotum, cui aliis sacramentis, nisi sola Eucharistia, provideri non possit, licebit etiam cum gravi periculo vomitus eam dare; suprema enim regula in sacramentis dandis semper sumenda est ex indubia sententia, sacramenta esse propter homines. Sic fere ipse quoque auctor sequenti demum numero 5 rem componit.*

5. Continua tussis non obest Communioni, quia, si species possunt ad stomachum descendere, non est periculum eas ideo eiciendi; nam via sputorum, etsi ascendant e pectore tussiendo, non est via cibi et potus ad stomachum, sed via respirationis ad pulmones. Immo putat *Gobat*[1], posse dari in dubio, an infirmus sit reiecturus, eo quod fructus certus Communionis, qui haberetur, etsi species reicerentur, et necessitas infirmi excusent ab irreverentia, quae tunc esset tantum materialis. Ita in praxi videtur agi posse, si longe probabilius videtur aegrotus non reiecturus; immo *Lacroix* (l. 6, p. 1, n. 543) docet ex *Gobat*[2], non teneri talem abstinere a Communione, si aliquoties per diem vomit: quia non est morale periculum, ne ideo praecise eo tempore accidat. *Observari tamen debet tempus, quo magis improbabile est vomitum secuturum. Ceterum quando aegrotus continuo vomitu laborat, attendenda est sententia *S. Alphonsi* (VI 292), sanctam Communionem dandam non esse, nisi circiter a *sex* horis vomitus cessaverit. Potest tamen fieri experimentum, ut

[1] Tract. 4, n. 163. [2] Tract. 4, n. 170.

detur frustum glaciei cum tantillo frustulo panis: quodsi hoc modo vomitus sistitur, licebit particulam ex consueta hostia laicali dare.*

6. Si infirmus reiciat sacras species eaeque purgari possint, purgandae sunt et suo tempore possunt sumi; si autem purgari non possint, nec tamen cordatus aliquis sit, qui velit sumere, non comburendae sunt, sed aquae in eas immittendae in vase, donec dissolvantur; et dissolutae ita, ut desinant esse species panis, mittendae sunt in sacram piscinam, si adsit, vel species sic dissolutae etiam comburi possunt atque cineres mitti in sacrarium. — Si quis paulo post Communionem revomeret et species non apparerent, rubrica Missalis de defectibus tit. 10, n. 14 praescribit, ut vomitus comburatur et cineres in sacrarium mittantur. *Clara est dispositio rubricae: «Si sacerdos evomat Eucharistiam, si species integrae apparent, reverenter sumantur, nisi nausea fiat: tunc enim species consecratae caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium proiciantur. Quodsi species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur.» Neque ratio est, cur ab hac ordinatione recedatur, quando apud laicum vomitus accidat.*

7. Si infirmus non possit deglutire species panis, detur illi minima particula hostiae cum vino vel iusculo, non Communio sub speciebus vini. Monet autem Rituale Romanum tit. 4, c. 4, n. 9, sacerdotem ad infirmum debere secum deferre *aliquot* particulas, ne postea in reditu obviantes adorent pixidem vacuam; nisi tamen deferat in pixide, quae postea non est referenda publice. *Rituale Romanum l. c. habet haec: «Decenter et de more acceptas aliquot particulas consecratas, vel unam tantum, si longius aut difficilius iter sit faciendum, ponet in pixide» etc.*

8. Viaticum dandum est reis ad supplicium deducendis, praegnantibus partui proximis praesertim periculoso, omnibus adituris proximum vel probabile periculum mortis, in quo

postea videtur dari non posse; hi enim omnes tenentur sub gravi ad Viaticum sumendum[1], nisi non ita diu ante communicaverint. Si quis tamen durante periculo mortis peccasset graviter, non teneretur communicare denuo in eodem periculo. Viaticum dandum non est ebrio moribundo, si constet eum voluntarie se inebriasse aut sic se inebriare solere. Si autem homo alioquin sobrius et ratione utens censeretur modo non uti ratione, Viaticum dandum esset, nisi positive constaret eum esse in peccato mortali. Ratio est: quia, de quo aliud non constet, is potius praesumitur esse in statu gratiae quam in statu peccati; et favendum est potius homini, pro quo sacramentum est institutum, cum exsistenti in gratia certo prosit, immo probabiliter in attrito tantum causet primam gratiam, nec periculum sit irreverentiae nisi forte materialis.

9. Dandum est Viaticum adulto in dubio, an ex amentia sit privatus usu rationis; item illi, qui usum rationis habuit et quem non constat fuisse in peccato mortali, cum usum rationis amitteret, ut docet *S. Thomas* (3, q. 80, a. 9 in corp.)[2], saltem si prius ostenderit devotionem ad illud vel bene vixerit et habitus est ut vir bonus. Ratio iam data est: estque probabile, sufficere voluntatem interpretativam. Si tamen sciretur eum incidisse in amentiam paulo post commissum peccatum mortale, nec adessent signa positiva poenitentiae, dandum non esset, quia semel malus praesumitur semper malus, nisi sit fundamentum praesumptionis oppositae.

10. Dandum quoque est semifatuo vel debilem usum rationis habenti, si censetur capax absolutionis et abest periculum irreverentiae; frustra enim exspectatur plenior usus rationis. Item phrenetico vel deliranti, si alligatus admittat alios cibos, modo tamen absit periculum irreverentiae. In

[1] Cf. can. 864, § 1: «In periculo mortis, *quavis* ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur.»

[2] Illud «quem non constat fuisse in peccato mortali, cum usum rationis amitteret» deest apud S. Thomam l. c.

dubio potest dari hostia non consecrata, et si hanc reverenter accipiat, dari poterit consecrata. Ita *Lacroix* l. 6, p. 1, n. 648. Item dari debet energumeno seu obsesso, etsi a daemone impediatur, quominus profiteatur Christum praesentem; semper tamen abesse debet periculum irreverentiae.

11. Dandum quoque adulto, qui a nativitate surdus idemque mutus fuit, si instrui potest per signa, ut discernat cibum spiritualem a corporali; si tamen simul a nativitate caecus esset, esset incapax et aequiparandus perpetuo amenti, cui dari Eucharistiam prohibet Rituale Pauli V.[1] *Verum nostra aetate haec aequiparatio non amplius est vera. Quare nihil aliud considerandum est, nisi utrum miser ille homo reipsa habuerit sufficientem instructionem atque doctrinas catholicas edoctus sit, necne. Nam hodie etiam istorum hominum instructionem evasisse possibilem, iam alibi dictum est.* Vide supra n. 195.

222. 12. Pueris quoque, ut indicavi n. 101, dandum est Viaticum, etsi antea non communicaverint, modo ita instrui possint, †ut «sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare» (can. 854, § 2),† quia tum obligantur praecepto divino et sacramentum certo illis proderit; immo prodesset, etsi usum rationis non haberent. Unde etiam in dubio possessio est pro libertate, i. e. etiamtum Viaticum dari *potest*. In dictis casibus praemittenda est absolutio conditionata, †si eum rationis usum attigisse iudicari possint, ut saltem venialia peccata committere eaque aliquo modo accusare et dolore retractare valeant.

†Neque quidquam obstat, quominus pueri, qui mysteria necessitate medii credenda pro suo captu percipiant et dovote pro suae aetatis modulo ad S. Eucharistiam accedant (can. 854, § 3), durante mortis periculo saepius communicent, cum

[1] Perpetuo amentibus non esse dandam s. Communionem, dicit Rit. Rom. (ed. typica 1913) tit. 5, c. 1, n. 10. Hi enim aequiparandi sunt pueris, quibus ob imbecillitatem nondum huius Sacramenti cognitionem et gustum habentibus Eucharistia danda non est iuxta can. 854, § 1.

can. 863 quotidiana Communio *omnibus* fidelibus etiam extra mortis periculum et can. 804, § 3 iterata Viatici susceptio durante mortis periculo commendetur. †

223. Resp. II. Purgata per poenitentiae sacramentum anima, excitandus infirmus, priusquam detur Viaticum, ad magnum desiderium Christi suscipiendi, ad vivam fidem, firmam fiduciam et ardentem caritatem. «Qui manducat meam carnem . . ., in me manet, et ego in illo» (Io 6, 57). O mira pietatis dignatio! «Qui manducat me, et ipse vivet propter me» (Io 6, 58). «Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri» (Io 1, 12). O inaestimabilis dilectio caritatis! «Si filii, et heredes: heredes quidem Dei, coheredes autem Christi» (Rom 8, 17). Ecce, carissime frater, quanta dignatio, quanta Dei caritas, quae animae tuae aestimatio! Veniet ad te Deus ipse, Salvator tuus amantissimus, ut te pascat, soletur, confortet, illuminet, bonis suis ditet etc. Quid retribues ei? Non exigit a te, nisi ut ipsi te plene resignes, ei fidas, eum diligas, patienter sustineas. «Praebe, fili mi, cor tuum mihi» (Prov 23, 26).

Hic praeeatur infirmo brevibus actibus fidei, spei, caritatis, contritionis, resignationis, patientiae, dilectionis proximi, v. gr.: «Tu es Christus, Filius Dei vivi; hoc credo, non quia caro et sanguis, sed quia Pater coelestis revelavit. In te, Domine, spero, quia apud te misericordia et copiosa redemptio. Diligo te, Domine, fortitudo mea, refugium meum et liberator meus, quia Deus meus es et omne bonum. Utinam te dilexissem semper et te numquam offendissem! Desidero te millies, mi Iesu; quando venies ad me? Tibi corpus animamque committo; nihil opto amplius, nisi ut impleatur in me tua sancta voluntas. Iram tuam merui, portabo poenas mihi immissas, quoniam peccavi et offendi benignissimam faciem tuam. Tui amore ignosco omnibus; tu quoque pro misericordia tua ignosce mihi.» — Sumpta communione possunt eiusmodi actus repeti, et dici «Anima Christi, sanctifica me» etc.

224. Resp. III. Quando infirmitas est periculosa, monendus et excitandus infirmus, ut suscipiat sacramentum *extremae unctionis*. Exponantur illi ipsius effectus: eam conferre gratiam, purgare animam a reliquiis peccatorum, roborare contra tentationes daemonis, conducere, si expediat, ad salutem, etiam ad recuperandam corporis sanitatem, uti testatur Scriptura, idque ex opere operato seu vi institutionis suae. Unde recte dicitur: ideo rarius aegros sanari, quia differunt sacram unctionem. Proinde, si aeger laborat mala persuasione, propter unctionem actum esse de sanitate recuperanda, haec illi est eximenda. Habeo a medico, plures infirmos, qui valde periculose decumbebant, accepta sacra Synaxi statim melius habuisse et dein convaluisse. Quodsi accedat sacra quoque unctio, quae etiam ad corporis sanitatem restituendam instituta est, plus spei erit; animo nimirum confortato etiam corpus roboratur. Nec omittat sacerdos plebeiis eximere persuasionem, non licere inuncto deinceps saltare vel nudis pedibus incedere, quando semel extremam unctionem acceperit. Deinde eliciantur pii affectus ut supra, videlicet fides de hoc sacramento, spes obtinendi promissa, amor Dei tam boni, gratiarum actio pro occasione suscipiendi sacramentum hoc, cuius fructu tam multi destituuntur. Et dum inungitur infirmus, occupet se piis affectibus: «Iesu, Fili Dei vivi, miserere mei! Propitius esto mihi peccatori! Bone Iesu, dic animae meae: Salus tua ego sum!» etc. — Demum peracta unctione animetur ad fiduciam sanitatis, si ita expediat; simul tamen ad perfectam resignationem, et finiatur consuetis orationibus. Quodsi in morbo diuturno periculum post datam sacram unctionem desinat et dein iterum redeat, iterari extrema unctio potest; iterata tamen in eodem morbo et periculo esset irrita, uti etiam collata non graviter vel periculose aegrotanti. Hinc tali exorto periculo iterum danda est, si data extra periculum fuisset.

225. Resp. IV. 1. Danda extrema unctio non est, nisi infirmi constituti sunt in periculo mortis ex infirmitate cor-

poris [1], v. gr. febri, laesione, indispositione vel debilitate corporis. Hinc danda est reo, qui sumpto veneno exspectat mortem; exsistenti in periculo mortis ob sanguinem e naribus fluentem, qui sisti non possit; puerperae, cui ob specialem rationem timenda est mors; senibus deficientibus; non tamen suspendendo vel capite plectendo, nec ituris in proelium, nec cui pes est abscindendus. Ratio est: quia hoc sacramentum institutum est tantum pro infirmis. Priores infirmi sunt, non posteriores; neque pede minuendi ordinarie cito deficiunt.

2. Danda quoque est, per se loquendo, omnibus adultis ratione aliquando usis, si non constat, eos esse in peccato mortali non retractato, et abest periculum irreverentiae [2]. Unde danda est furiosis, lapsis in amentiam, ebrio deficienti, vulnerato in duello, si tempus superfuit pro contritione, quod in dubio praesumendum est. Ratio est: quia in bonum animarum sacramenta sunt instituta; sufficitque hic intentio interpretativa; et quamvis, per se loquendo, ad fructum huius sacramenti requiratur status gratiae, cum sit primarie sacramentum vivorum: per accidens tamen potest attrito conferre primam gratiam. Nec hic periculum est irreverentiae nisi materialis forte, quae permitti potest ob necessitatem et bonum animae, quod speratur. *Id videlicet, quod in aliis sacramentis vivorum, v. gr. in Eucharistia, probabile tantum est, vix non moraliter saltem certum est in extrema unctione; idque ita, ut non solum in statu gratiae constituat eum, qui attritus bona fide suscipiat, sed etiam satis probabiliter eum, qui, postquam sacra unctione munitus fuerit, demum attritionem elicere possit et eliciat. Quare etiam si homini sensibus destituto extrema unctio detur conditionate, conditio numquam esse debet «si dispositus es», sed «si capax es».*

[1] Vel ex senio. Cf. can. 940, § 1.

[2] Can. 942: «Hoc sacramentum non est conferendum illis, qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant: quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub conditione.»

3. Danda est pueris sufficientem usum rationis habentibus ad peccandum, etsi sacram Eucharistiam nondum acceperint: tum quia pueri quandoque peccant graviter et proinde aliquando salus eorum ab unctione dependere potest, tum quia hoc sacramentum confert gratiam et robur conducitque ad sanitatem. Unde dari potest illi, qui post baptismum numquam peccavit, v. gr. qui in extremo mortis periculo baptizatur. *Nam baptismus, etsi cum culpa omnem reatum poenae, etiam temporalis alias in purgatorio luendae, deleat, non tamen delet omnes alias reliquias peccatorum, pravos habitus, infirmitatem ad bonum, neque aufert diabolicas tentationes, quibus propter commissa peccata homo magis subicitur. His igitur medetur sacramentum extremae unctionis, atque id conferri potest cuilibet baptizato, qui sive post baptismum sive ante baptismum utcumque peccavit, neque falsa redditur forma, etiamsi post baptismum ille, cui confertur, nullum peccatum commiserit; nam nihilominus peccata baptismo priora satis reliquerunt, quibus *Dominus indulgeat* (cf. *S. Alph.* VI 721).*

In dubio, num puer vel alius aeger umquam sit usus ratione, inungendus est ob rationem datam (sub conditione). Idem valet in dubio alio quocumque, v. gr. num moribundus adhuc vivat, num sit periculum mortis, dum differri unctio non potest: quia in extrema necessitate praesumendum est in favorem hominis, pro quo sunt sacramenta instituta [1].

226. Resp. V [2]. Per se seorsim inungenda sunt organa quinque sensuum, vel si unum desit, pars propinqua: quia talis quinque sensuum inunctio est de praecepto Ecclesiae in hoc sacramento. Atque etiam pro singulis sensibus adhibenda est peculiaris forma exprimens sensum, v. gr. pro visu: «Per istam sanctam unctionem et suam piissimam miseri-

[1] Ita in omnibus can. 941.

[2] Huius numeri doctrina reformata est secundum decretum d. d. 25 Apr. 1906 et can. 947. * †

cordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum deliquisti. Amen.» Et sic de aliis sensibus. Si mora non permittit, ut specialis forma adhibeatur singulis sensibus, nunc certum est, sufficere unicam unctionem in parte principaliore corporis, v. gr. in fronte cum forma *universali*. Nam decretum *S. Officii* d. d. 25 Apr. 1906 sequenti die a Pio PP. X approbatum explicite quidem de forma unica generali, implicite[1] etiam de unica unctione loquens haec habet: «Cum huic supremae Congregationi quaesitum fuit, ut unica determinaretur formula brevis in administratione sacramenti Extr. Unctionis in casu mortis imminentis, E^mi ac Rev^mi Patres . . . decreverunt: *In casu verae necessitatis sufficere formam:* ‚Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen.'» Ad unctionem adhibendum est oleum infirmorum ab episcopo benedictum; quod si deficit in decursu anni, potest modicum de non benedicto affundi[2]. Si per errorem chrisma esset adhibitum, † sacramentum secundum meam opinionem non valeret. Nam olei benedictio illa requiritur, quam Ecclesia habet pro legitima, uti inde patet, quod Ecclesia olei benedictionem, quam in ritibus orientalibus concredit presbyteris, in ritu latino reservat Episcopis (can. 945). Iamvero ad legitimitatem benedictionis non solum competens minister, sed etiam correspondens formula pertinet. Quodsi chrisma adhibetur, idem est ac si adhibetur oleum sine legitima forma benedictum. De huiusmodi autem formula statuit can. 1148, § 2: «Benedictiones sive constitutivae sive invocativae invalidae sunt, si adhibita non fuerit formula ab Ecclesia praescripta.» †

Porro conferens hoc sacramentum debet esse sacerdos. Valide conferre potest quivis sacerdos, licite tamen non potest nisi parochus, vel alius cum eius licentia[3]. Parochus sub

---

[1] Id explicite enuntiatur can. 947, § 1. [2] Can. 734, § 2.

[3] Can. 938, § 1 et 2: sufficit licentia rationabiliter praesumpta etiam extra casum necessitatis.

mortali tenetur ex iustitia illud administrare[1], etsi qui, aliis sacramentis instructus, hoc sacramentum petere sine contemptu et scandalo negligeret, secundum communiorem sententiam non nisi venialiter peccaret[2]; nam hic potest magnum bonum non necessarium sine gravi peccato sibi omittere, non tamen potest illud pastor negare. Plura vide apud auctores. *In morbo tamen contagioso, ut sub peccato mortali parochus teneatur extremam unctionem administrare, debet agi de homine, cui aliter ita secure nequeat succurri, ut modo dictum est. Nam in eiusmodi circumstantiis, ubi parochus de se suaque vita timere debet, per se non tenetur nisi ad sacramenta *necessaria* suis procuranda[3]. Cf. supra n. 154 et *S. Alph.* VI 729. — Verum parochum dedecet omnino adeo timidum esse, et nimio timore esse potest scandalo fidelibus, qui viderint medicum corporalem longe magis impavidum. Adhibeat igitur prudentes cautelas, dein magno animo sequatur potius exempla Sanctorum, v. gr. S. Caroli Borromaei, qui archiepiscopus singulos infirmos visebat et *omnia* sacramenta administrabat.*

QUAESTIO VII.

Quae praeterea in visitatione infirmorum observanda.

Curanda in cubiculo infirmi. — Quid sit agendum, si aegrotus videatur sensibus destitutus; quid, si morbus sit contagiosus. — Allocutio ad defuncti coniunctos.

227. Resp. 1. Curetur, ut in cubiculo infirmi altum servetur silentium, nec quivis admittantur ad alloquium, sed ii tantum, quorum consuetudine sublevetur infirmus.

2. Si morbus sit periculosus, iubeatur infirmus totus esse in negotio animae suae nec sermones profanos admittere; arceantur nimis crebrae visitationes et complorationes paren-

---

[1] Can. 939. [2] Can. 944: «nemini licet illud negligere».

[3] Ceterum in casu gravis necessitatis seu in periculo infectionis unctiones licite adhibito instrumento fieri possunt: can. 947, § 4.

tum, liberorum, consanguineorum, uxoris, et maxime aspectus eorum, ex quibus posset tentatio ad peccatum reviviscere.

3. Curetur, ut sacrae Christi crucifixi imagines, B. Virginis, Angeli custodis etc. ob oculos decumbentis ponantur; sit etiam ad manum aqua lustralis, qua frequenter aspergatur infirmus et fugentur infestantes daemones.

4. Moneatur aegrotus suaviter de mortis periculo eique breves affectus pii suggerantur.

5. Si sensibus videatur destitutus, suggerantur ei sacra nomina, et eliciendi sunt breves actus fidei, spei, caritatis, resignationis etc., sed non nimis alta voce; nam experientia constat, aegris acutum esse auditum eosque graviter affligi voce altiore. Iuvat ad cranium capitis potius formare voces quam ad aures ipsas. Successive auribus infirmi ingeri potest: «Iesu, Fili Dei, miserere mei! Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege! Nunc monstra te esse matrem! Angele Dei, custos mei, defende me, ne peream! Domine Iesu, per amaritudinem illam, quam pro me in cruce sustinuisti, maxime cum benedicta anima tua egrederetur de corpore tuo, miserere animae meae in egressu suo! Beatae animae, quibus quoquo modo solatium attuli aliquando, nunc mementote mei!» etc.

6. Si morbus sit contagiosus, moderata cura adhibeantur remedia, quibus praecaveatur, ne sacerdos et infirmo servientes inficiantur[1]. Ad quod imprimis iuvat, aerem in cubiculo infirmi frequenter renovare et purgare. Renovatio optimo modo peragitur fenestris in vicino cubiculo, quod communicat cum cubiculo infirmi, apertis; alias aliter curandum est, ne flatus aeris directe graviter aegrotum tangat. — Dein sacerdos cavere debet ab animi depressione et timore contagionis. Quam-

[1] Loco eorum, quae auctor pro conditione medicae artis suo tempore exsistente dedit, notavi, quae nostri temporis medici de morborum contagione eiusque praecautione docere solent. *

quam non convenit halitum aegroti directe et immediate excipere, tamen timor nimius omnino excludendus est. — Consulitur a medicis, ut, si fieri possit, ante accessum ad aegrotum sumatur haustus generosi vini, postea mutentur vestes atque manus et facies laventur sapone valido. — In cubiculo infirmi, quo facilius germina infectionis exstinguantur, in angulo poni potest amphora aquae permixtae cum 300—500 *gr* calcis chloratae.

7. Soletur sacerdos, si expediens sit, defuncto coniunctos, ubi decesserit, his aut similibus: «Sicut placitum fuit coram Deo, ita factum est. Hic laudandus est in omnibus; novit ipse, quid cuique magis expediat, et paterne ordinat omnia. Non habemus hic manentem civitatem, sed peregrini sumus super terram, ea lege nati, ut transeamus per mortem ad vitam felicem. Nescimus diem neque horam, qua transeundum nobis sit et quando nobis magis conducat; novit id Pater noster: acquiescamus igitur eius voluntati. Dilecta fuit Deo anima defuncti, ideo properavit illam educere de medio iniquitatum et ex periculis eripere. Ne invideamus eius felicitati; commodatus nobis fuit, repetiit illum Deus. Gratias agamus, quod tanto tempore nobis illum indulserit; multi suis orbati sunt maturius; invenit tamen Deus modum, quo iuvaret eos, inveniet etiam, quo iuvet modo. Ipse melior est quam decem filii, amici» etc. Haec dicenda sunt fidenter, non animo vel voce tristi, alias movebuntur, quos cupis consolari, ad maiorem tristitiam. Adduci quoque possunt exempla eorum, qui mortem suorum forti tulerunt animo. Talis fuit Beatissima Virgo, mater Machabaeorum, S. Felicitas, quae septem filios coram spectavit morte affici et eos ad martyrium excitavit; S. Franciscus Borgias, qui intelligens coniugis dilectae mortem nihil motus dixit: «Deus illam nobis commodaverat, eandem iam repetiit; agamus gratias, quod tam diu eam nobis indulserit.» Poterunt etiam circumstantes hac occasione excitari ad vitam christianam.

CAPUT VII.

Quomodo tractandus homo odio vel inimicitiis implicitus, qui condonare nolit.

Examen eius, qui de odio se accusat. — Odii reus quomodo tractandus; inducendus est, ut ignoscat. Motiva et media ad deponendam vindictam.

228. Resp. I. *Si quis de odio* contra proximum *se accuset*, advertat confessarius et inquirat, num vero odio laboret; sunt enim, qui odii se accusant neque tamen odio laborant; sunt quoque, qui odium fovent et in pectore coquunt et tamen dicunt, se iis, a quibus offensi sunt, cupere omne bonum. Proinde de hoc se accusantes examinandi sunt, in quo consistat illud odium. Sicut amare alterum est velle et procurare illi bonum, de eius bono gaudere, de malis eius dolere: sic alterum odisse est velle illi inferre vel inferri malum, de illius malis gaudere, de bonis dolere. Si examinatus ex his postremis nihil habeat proximoque communia et debita caritatis officia et signa praestet, etsi queratur, se aversionem experiri contra illum et moveri sibi sanguinem, dum illi obvius fiat: odio voluntario non deprehenditur laborare. Monendus est, ut pro illo oret, defectus eius excuset, apud alios bene de ipso loquatur, illius alloquium quaerat; sic enim aversio et displicentia, quae silentio pressa fovetur et manet, dissipabitur. Si autem communia et debita caritatis signa et officia neget, etsi dicat, se cupere illi omne bonum, odio laborat.

229. Resp. II. *Qui deprehenditur odio laborare,* ei sua declaranda est *obligatio:* 1. Etsi offensus possit exigere pro iniuria illata satisfactionem, tamen proximo suo malum velle, ut illi malum est et ut est contra ordinem caritatis, non licet. 2. Tenetur ostendere communia signa caritatis et tollere scandalum, si quod adsit. 3. Tenetur non ostendere signa inimicitiae; quia lex, qua prohibemur odisse inimicum, prohibet signum odii. Unde interrogandus talis est, a quo tempore foverit odium, num mala optaverit, voluerit inferre, et quae. An gavisus de alterius malis, inviderit eius bonis.

Quoties tales actus, interruptos moraliter, repetiverit per hebdomadam etc. Deinde, num adversarium sit allocutus. Si dicat: «Procul absit, nimia erit iniuria»; num saltem salutanti responderit amice. Si hoc negat, ex natura sua gravis est contemptus et vindicta quaedam repugnans caritati, nisi salutatus sit multo superior conditione vel officio, aut nisi praecedens iniuria ita levis fuerit, ut illi adscribi non possint omissiones illae. Immo licet alloquium et salutatio de se sint signa specialia benevolentiae, debita proximo non ex praecepto sed dumtaxat ex consilio, in praxi tamen saepe ex circumstantiis evadunt communia et ex praecepto debita, ut, quando inimicitiae sunt publicae, vel offensus solebat ante acceptam iniuriam salutare et alloqui, vel sermones miscet cum ceteris suae communitatis omnesque salutat eo praetermisso. *Nimirum non ex eo quidem, quod *antea* solebat saepius alloqui, sequitur, offensum etiamnunc idem facere debere. Nam si ex spectata utriusque relatione solummodo voluntarie inita haec oriebantur atque specialem familiaritatem seu amicitiam denotabant, ea restaurare non *obligationis* sed heroicae caritatis non debitae est; si vero alloquium quasi natura sua fluebat ex relatione non voluntaria sed naturali cognationis, affinitatis, ab his nunc plene desistere longe facilius esse potest scandalo atque facile est signum rancoris et odii nondum exstincti: verum etiamtum spectandae sunt circumstantiae.*

230. Resp. III. Peracto examine *inducendus est* poenitens, ut *odium deponat* et *ex animo ignoscat,* statuatque se reconciliare cum adversario et communia signa et officia caritatis exhibere. Si dicit: «Ignosco, sed non adibo aedes vel nuptias» etc., attendendum est, num non adire sit signum veteris rancoris intus latentis, ut si frater fratris vel consobrinus consobrini nuptiis adesse nollet, non habens aliam causam quam recentem offensam. Et in hoc casu incapax est absolutionis, uti etiam si nollet salutantem resalutare sibi non multo inferiorem; haec enim vindicta esset, eaque scan-

dalosa. Ordinarie tamen, etsi suadendum sit, poenitens non est obligandus ad salutandum primus, si ipse sit affectus magna iniuria vel sit conditione multo maior; multo minus, si salutans sciret, se non resalutatum iri. Quamquam hac in re non facile credendum poenitenti, utpote in causa propria, eaque lubrica.

Si his se non dederit, ostendantur illi 1. necessitas ignoscendi et caritati satisfaciendi. Quid petis in oratione Dominica? «Dimitte», inquit, «nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.» Vis tibi dimitti, ut tu dimittis; nonne oras contra te? Quid dixit in evangelio dominus servo, qui noluit dimittere conservo suo? «Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me: nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?» (Mt 18, 32 sq.) Quid fecit dominus illi servo? Tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet omne debitum. Quid Christus infert? «Sic et Pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris» (Mt 18, 35). Quid dixit Christus (Mt 5, 44)? «Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos» etc. Ecce agitur de anima tua, quam habes unicam, quae unice tua est, quae est thesaurus tuus, quam Christus tanti fecit, ut pro ea poneret dilectam animam suam, ut redimeret eam in sanguine suo; nisi remittas proximo, actum est de ea. Miserere animae tuae, et vindictam relinque Deo, qui dicit: «Mihi vindicta» (Rom 12, 19).

2. Si his non emolliatur, proponatur illi, quam gloriosum sit ignoscere. Est enim victoria maxima et gratissimum Deo sacrificium: «Diligere proximum tamquam se ipsum, maius est omnibus holocautomatibus et sacrificiis» (Mc 12, 33). Est maxima apud omnes prudentes laudis materia et gaudii apud Angelos. «Res tibi pro martyrio computabitur», inquit *S. Chrysostomus* (Hom. 3, n. 3 De Davide et Saule. *MG* LIV 699), «si insidias molientem . . . inter bene meritos numeraris.» Si ergo gloriam quaeris, quam falso in vindicta apprehendis,

veram gloriam tibi facito propriam. Nonne laudabile est in S. Catharina Senensi, quod pus suxerit e vulnere feminae suae calumniatricis; in S. Ambrosio, quod stabilem victum assignaverit cuidam sicario, qui ei necem moliebatur; in S. Achatio, quod vasa sacra quoque vendiderit, ut quibusdam succurreret, a quibus graviter fuerat diffamatus?

3. Exponatur utilitas condonationis et consequens delectabilitas; nam elevat ad dignitatem filiorum Dei, secundum illud Mt 5, 44—45: «Diligite inimicos vestros . . . ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.» Aperit ianuam misericordiae divinae. «Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur» (Mt 5, 7). Animam liberat molesta illa tortura aversionis, quam secum fert. «Qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium» (Prv 12, 20). Non datur hic tertium: aut condonandum, aut renuntiandum dignitati et hereditati filiorum Dei; aut deponenda vindicta, aut spes misericordiae. Demum condonatio iniuriarum ingentia debita exstinguit peccando contracta. An non libenter aliquot asses debitori tuo remitteres, ut tibi vicissim ab eius domino aliquot milia remitterentur?

4. Proponatur poenitenti, quam deceat remittere: Deus toties tibi dimisit desideratque, ut remittas inimicis tuis; num id ei negabis? Christus oravit in cruce primum pro suis adversariis, ut nobis exemplo suo adderet animos ad nos ipsos hac in re vincendos; num exemplum hoc contemnes? Desiderat Christus, ut ignoscas: num, si coram id abs te peteret, velles ei id negare? Vis in coelo aliquando gaudere cum electis Christi fratribus et amore cum illis in Deo iungi; cur non incipis modo?

5. Exponatur, adversa omnia nobis obvenire a Deo, ut nos vincamus et immolemus eius dispositioni. Item, quam fragilis sit homo, quam facile impingat, quot modis impellatur a daemone et naturae corruptae inordinatis affectibus, ut proinde dignus sit potius misericordia quam ira. Consulat propriam experientiam: inveniet, se etiam ipsum saepe impegisse, et

tamen cupit, ut sibi ignoscatur. Si dicat: «Iniuria est nimis gravis, quam vilis homuncio mihi intulit», respondeatur: «Nonne graviora sunt, quae Deo intulisti et quae vis ut tibi ignoscat? ne vilem dixeris, quem Deus in filium adoptavit et Christus in fratrem; animam attende.» Si instat: «Sanguinis nobilitas et honor meus postulant, ut vindictam sumam», respondeatur: «Nobilitas in virtute, qua Deo assimulamur, sita est; ex eadem carne sumus omnes; famam et honorem optime tueberis, si Christum regem gloriae imitaberis; si ad tuum, ad familiae honorem est necesse iniuriam puniri, noli invadere iurisdictionem alienam, sed ini viam a Deo constitutam, et iudicem implora, sed ex bono zelo, procul ab omni inordinato appetitu vindictae.» Si dicat: «Ignoscam, sed oblivisci non potero», respondeatur: «Ignoras forte, quod dicis; recordaberis forte iniuriae, at noli sine renovata condonatione; si animo vindictam foveris vel resumpseris, incides in manus vindicantis Dei, qui impunem te non dimittet, forte ne in hac quidem vita. Experti id sunt permulti. Ad martyrium ductus Sapritius sacerdos, quia noluit inimico ignoscere, lapsus est in idololatriam et idolis immolavit, et corona martyrii alteri delata est (*Surius* ad 9 Febr.). Mulier, ut testatur *Bernardinus Senensis* (Serm. 15 Quadrag.), negans petenti veniam a daemone abrepta est. Alia in morbo Viaticum sacrum acceptura vultum avertit dicens: ‚Sicut ego averti vultum meum, aliis nolens ignoscere, sic Deus nunc avertit vultum suum a me', atque ita vivere desiit. Si vis videri fortis, ignosce et parvi pende inimici iniurias. ‚Nihil', ut quidam ait, ‚ita confusam facit iniuriam agentis, sicut fortis et mitis patientia tolerantis et neque in opere neque in lingua se vindicantis.' Et — sunt verba *S. Hieronymi* (Ep. 17 ad Marcum n. 1, apud *ML* XXII 359) — ‚apud Christianos non qui patitur, sed qui facit contumeliam, miser est.' Similiter miser est non condonans; sibi enim, non alteri nocet, similis cani, qui lapidem, quo petitus fuit, rodens dentes obtundit. Optimum vindictae genus est rem Deo permittere.»

6. Haec si non iuvent, et si occasio permittat, confessarius provolutus ad genua obstinati cum imagine Crucifixi in manu, petat per dolores Christi, ut, si non inimico, saltem Christo donet iniuriam, qui omnium peccata in se suscepit et dixit: «Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis» (Mt 25, 40). Si non cedat, dicatur: absolvi eum non posse nec veniam a Deo sperare, nisi ignoscat.

Qui antea promiserat, velle se reconciliare et communia caritatis signa adversario exhibere, neque fecit, ordinarie absolvi non debet.

231. Resp. IV. *Si ignoscere se dicat, difficulter tamen:* aliquando, ut in concepta voluntate firmetur et perficiatur, iuberi potest pro inimico orare, sacrificium Missae offerre, eius salutem commendare Beatissimae Virgini, aliaque caritatis obsequia praestare. *Discretione tamen opus est, quando confessarius vult imponere poenitenti speciales orationes pro inimico. Nisi enim in speciali necessitate inimicus versatur, sufficit, si severum praeceptum spectamus, inimicum non excludere a communi pro omnibus oratione; eo ipso enim inclusus est in numero eorum, pro quibus oramus; singulariter pro eo orare est opus supererogatorium. Quapropter si poenitens fortis animi sit atque bene dispositus ad facienda meliora et perfectiora, ad pleniorem de se victoriam deferendam moneri vel etiam iuberi potest specialia opera bona peragere pro inimico. — Si vero poenitens deprehendatur magnis viribus spiritualibus destitutus, ita ut vix inducatur ad exsequenda praecepta necessaria, potius abstineat confessarius ab imponendo opere quasi heroico, sed pro poenitentia sacramentali imponat opera plane alia; quoad inimici dilectionem dicat: «En, complures Sancti heroica caritate inimicos in peculiares amicos assumpserunt; ergo tu id saltem ne detrectes, quod omnino necessarium est, ut scilicet veniam des, odium deponas neve a *communi* dilectione et oratione inimicum excludas.»* — Dein offensus consideret exemplum Christi aliaque iam adducta motiva.

Idem suadendum est ei, *qui aperte non vult ignoscere.* Caveat autem confessarius, ne videatur velle agere advocatum adversarii; sed potius ostendat se quaerere bonum offensi. Si tamen offensus iniuriam gravius apprehendat, quam revera sit, ostendi ei potest, quid vere sit, neque generosi animi esse, talem iniuriam non posse remittere; si vero gravis sit iniuria, eo generosius esse eam remittere.

CAPUT VIII.

Quomodo procedendum cum obligato ad restitutionem.

Radices restitutionis. — Causae excusantes. — Quando poenitens monendus et obligandus sit ad restitutionem; quando absolutio neganda. — Quid agendum cum aegro ad restitutionem obligato.

232. Resp. I. Confessarius observet *principia generalia,* hac in re auctoribus probata, quorum *primum* est: Obligatio restituendi, secluso speciali contractu, oritur tantum aut ex re aliena in se sive aequivalenti exsistente, aut ex iniusta damnificatione, aut ex utraque simul. — *Secundum:* Qui possedit rem alienam bona fide, reddere debet rem in se, si adhuc exsistat; si non exsistat, aequivalens, si habeat illud, aut quanto ex illa factus est ditior. Idem reddere debet fructus naturales et mixtos, in quantum naturae rei respondent, nondum praescriptos, saltem si in se adhuc exsistant. *(Quod ad fructus attinet, cum recentiora iura hac in re non raro magis in favorem eius, qui bona fide res alienas possedit, pronuntient, is, cuius interest, has legis determinationes generatim potest sequi.)* Qui autem mala fide rem alienam possedit, insuper tenetur ad lucrum cessans et damnum domino rei emergens. — *Tertium:* Qui iniuste alium damnificavit, tenetur eum servare indemnem; si rem adhuc habet, eam in individuo restituere, nisi sciatur, dominum esse contentum, ut restituatur in aequivalenti. — *Quartum:* Res fructificat suo domino; si autem sunt fructus non rei, sed mere industriales, ut lucrum ex aliena pecunia per negotia-

tionem acquisitum, illi domino rei non debentur. Lucrum tamen cessans et damnum emergens ei compensandum est, nisi excuset bona fides. — *Quintum:* Ex sola damnificatione nemo tenetur compensare damnum grave, nisi damnificando mortaliter peccaverit contra iustitiam. — *Sextum:* Concausae damni, ut mandans, suadens, mutus, receptans etc., tenentur ad restitutionem, si vere in actu secundo influxerint per peccatum iniustitiae in damnum; secus non tenentur. — *Septimum:* Si plures ad idem damnum concurrerunt, ante alios tenetur is, apud quem res in se vel in aequivalenti adhuc exsistit. Si non exsistit, primo loco tenetur principalior causa, in huius defectu alii. Dominus enim rei debet servari indemnis, ita ut teneatur etiam unus ad totum damnum, nisi forte absque illius concursu nihilominus damnum totum fuisset illatum. — *Octavum:* Res immobiles corporales bona fide possessae regulariter praescribuntur *iuxta dispositiones legis loci, tum quoad tempus praescriptionis, tum quoad exceptiones, quia hac in re magna reperitur diversitas. Sic in iure *Germanico* immobilia valde difficulter praescriptione acquiruntur, res mobiles decennio vel vicennio.*

†*Bona ecclesiastica* praescribi possunt iuxta normas sequentes:

Can. 1508: «Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui sequuntur.»

Can. 1509: «Praescriptioni obnoxia non sunt:

1. quae sunt iuris divini sive naturalis sive positivi;

2. quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico;

3. iura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum;

4. fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum *nullius;*

5. eleemosynae et onera missarum;

6. beneficium ecclesiasticum sine titulo;

7. ius visitationis et oboedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint et nulli Praelato iam subsint;

8. solutio cathedratici.»

Can. 1510, § 1: «Res sacrae, quae in dominio privatorum sunt, praescriptione acquiri a privatis personis possunt, quae tamen eas adhibere nequeunt ad usus profanos; si vero consecrationem vel benedictionem amiserint, libere acquiri possunt etiam ad usus profanos, non tamen sordidos.

§ 2: Res sacrae, quae in dominio privatorum non sunt, non a privata persona, sed a persona morali ecclesiastica contra aliam personam moralem ecclesiasticam praescribi possunt.»

Can. 1511, § 1: «Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales, quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio 100 annorum praescribuntur.

§ 2: Quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam, spatio 30 annorum.»

Can. 1512: «Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito.» †

233. Resp. II. *Causas* quoque *a restitutione excusantes* perspectas habeat confessarius, quae respectu bonorum fortunae sunt: praescriptio, remissio creditoris, compensatio aliunde facta, impossibilitas restituendi vel absolute vel nonnisi cum gravi iactura famae vel status iuste acquisiti, cessio fori, si adsunt conditiones relatae in *Reuter,* Theol. mor. p. 3, n. 354 etc. *et in *Lehmkuhl,* Theol. mor. I[12] 1228 sqq*. Respectu famae autem causae excusantes sunt: recuperatio famae aliunde facta, deletio infamiae per oblivionem criminis inducta inter homines, condonatio facta aut prudenter existimata, impotentia restituendi sine graviore damno, amissio famae alia via facta, negatio restitutionis famae propriae non minus laesae ab eo, qui a te est infamatus.

234. Resp. III. Deinde *observentur sequentia:* 1. Si prudenter iudicetur poenitentem scire obligationem suam eidemque velle satisfacere, confessarius non tenetur quidem monere; consultius tamen est monere, dicendo v. gr.: «Non dubito, quin scias obligationem tuam et velis, quod debes, exsequi.» 2. Cum onus restituendi sit admodum grave et poenitens sit in possessione bonorum suorum et famae, ad restitutionem ordinarie obligandus non est, si qua sententia passim reputata probabilis poenitenti faveat; quia in dubio favendum est possidenti et obligatio dubia certam solutionem non exigit. 3. Si casus difficilior occurrat, non resolvat ilico confessarius, sed moram rem domi expendendi aliosque consulendi licentiam petat, et iubeat poenitentem dein ad se redire. Hoc si facere commode poenitens non possit, iubeatur consulere alium virum timoratum et doctum; quod si facturum se promittat paratumque se ostendat ad praestanda, quae tenetur, absolvi potest. 4. Si putet confessarius in rigore loquendo posse poenitentem ab onere restituendi esse liberum ob sententiam vere probabilem illi faventem, oppositum tamen videatur probabilius, non est quidem obligandus ad restitutionem, quamdiu sententia favens sua probabilitate non destituitur; suaderi tamen potest, ut restituat, maxime si debitor est opulentus et creditor pauper: proponendo illi, sibi quid vellet in tali casu fieri? 5. Si certa est obligatio restituendi, attamen poenitens, potens restituendi, difficultatem moveat, ostendendum illi erit peccatum non dimitti, nisi, cum possit, fiat restitutio; quia non minus est malum aliena retinere invito domino, quam illa auferre, cum sit continuata ablatio. Unde dixit *S. Augustinus:* «Si enim res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia sed fingitur» (Ep. 153 ad Macedon. n. 20; *ML* XXXIII 662). Eligat proinde, utrum in aeternum ardere in inferno an re carere aliena malit; sciatque, nullam illi a Deo exspectandam esse benedictionem, qui maledicet eius propriis propter aliena possessa et iniuste detenta, ut experientia docet multos; unde

natum proverbium: Male parta male dilabuntur. Si dicat liberos suos fore miseros, ne credat, sed iubeat eum in Deo confidere, qui facit, ut omnia diligentibus se cooperentur in bonum; miseros fore, reponat, si aliena possideant et subtracta Dei benedictione in aeternum cum ipso pereant, si etiam sua propter aliena perdant. («De male quaesitis non gaudet tertius heres.») Si opponat, graviter se passurum in fama, suggeratur modus, quo famae consulatur. Confessarius tamen non facile restituendi onus suscipiat, ne sigillum violetur. 6. Qui antehac admonitus non restituit, regulariter non est absolvendus, donec restituerit, quia nimium solet esse periculum, ne propositum, quod prae se fert, mutet. Si tamen iam sic videatur constitutus, ut merito credatur mox satisfacturus, absolvi potest[1]; attamen recte ei etiamtum iniungeretur, ut ad Communionem prius non accederet, quam actu restituisset, nisi esset specialis ratio benignius agendi; et tunc praescribendum est tempus et modus restituendi, quod et alias saepe utiliter potest fieri, si ante factam restitutionem absolvatur. 7. Qui rem alienam apud se detinet, †absolvi debet, si confessarius de eius firma restituendi voluntate dubitare nequeat, alias† non est absolvendus, nisi prius restituerit. 8. Qui promittit facturum se restitutionem et videtur ante absolvendus, determinet tempus iubeaturque singulis diebus, si statim restituere non possit, petere gratiam coram Crucifixo perseverandi in proposito illudque statuto tempore exsequendi. 9. Cum, quando creditores sunt incerti, sit debitum elargiendum pauperibus, suadeatur, ut, si debitor sit fortunae tenuioris, pro restitutione faciat eleemosynas etiam alias dari solitas, *vel recurratur ad S. Sedem pro reductione*. Universim etiam suaderi potest, ut misero debitori tantundem remittatur a domino. 10. Si debitor dicit se non posse restituere, ne credatur illi, nisi id efficaciter probet; neve absolvatur, nisi promittat se, quamprimum poterit, satisfacturum. 11. Si poeni-

[1] Immo debet iuxta can. 886.

tens debet alteri ex contractu, et solutionem differt, spectanda est consuetudo et intentio contrahentium; nam consuetudo habet, ut, quae praestanda sunt quotannis, differri diutius possint, quam quae ex aliis contractibus sunt debita. Quamquam sola dilatio solutionis etiam in aliis, si fiat sine damno creditoris, excusari potest a mortali.

235. Aegrum, qui restituere debet, adigendum esse, ut, dum vivat, ipse restituat, dixi supra n. 211. Quibus adde: Si non expediat in testamento restitutionis mentionem fieri, codicillum adiciat, quo iubeat heredes dare summam illam confessario vel alteri amico secundum voluntatem aegri expendendam; aut, si notarius commode haberi non possit, capitulum addat, quo dicat, se in manibus confessarii vel amici schedam reliquisse, qua declaraverit, quid post mortem suam fieri velit, quamque perinde validam esse velit, ac si testamento fuisset inserta. *Attamen num expediat *confessarium* intermedium statuere eique assignare pecuniae summam, consulendae sunt leges regionis. Nam aliquando hae irritant donationes vel legata confessario facta. Quae irritatio, etsi conscientiam non liget, tamen gravia incommoda afferre atque intentum finem frustrare potest.* Si grave moribundo videatur timenti, ne liberi honeste dein vivere non possint, exponatur illi necessitas restituendi, iactura salutis certo futura; utatur parabola medici, qui a confessario permotus dixerit infirmo, non esse spem sanitatis, nisi periculo eriperetur adipe ex uno filiorum suorum. Ex advocatis filiis autem nullus voluit tam diu tenere digitum in accensa candela, ut vel gutta deflueret. Hac, inquam, parabola usus dicat: «Quid existimas? Num teneres digitum per quadrantem in accensa candela pro prosperitate filiorum? num quis illorum id faceret pro tua valetudine? Nemo omnium: et tu tam stolidus sis, ut aeternis pro iis suppliciis te addicas? Post paucos dies eris in oblivione omnium, et ardebis in inferno» etc. — 12. Restitutio famae fieri quoque potest per tertiam personam magnae auctoritatis.

CAPUT IX.

Quomodo confessario agendum cum poenitente pudibundo, pusillanimi vel desperabundo.

Quomodo animandus qui horret confessionem, erigendus qui animum despondet ob multitudinem peccatorum commissorum, ob frequentem relapsum, ob tentationes, quas patitur.

236. Resp. I. Si quis *timore infamiae vel confusionis apud confessarium incurrendae* horreat vulnera sua detegere, utiliter servantur haec: 1. Confessarius suaviter et benigne eum excipiens dicat: Nonne morbos corporis letales amico vel medico pro sanitate recuperanda libenter aperires? Cur ergo horreas detegere animae tuae statum mortalem, ut eam sanes? Nonne anima plus est quam corpus? Est illa unicus thesaurus tuus; corpus rodetur vermibus. Quid mavis, exiguam modo coram me confusionem subire, an aeternam? Hanc si vis vitare, debebis aliquando confiteri, quae nunc horres aperire; quo diutius exspectas, eo maior erit confusio et difficilior victoria. 2. Cogita clementiam Dei: homo non erubuit peccare in conspectu Dei, qui exigit, ut, ne detrudendus sit in confusionem aeternam, confundat se coram uno homine et non vereatur pro anima sua dicere verum; quid minus poterat exigere? 3. Quae sacerdoti panduntur in confessione, ea minus scit, quam quae nescit; haec enim discere potest et eorum scientia uti; quae autem in confessione audivit, nullatenus revelare potest, etsi vitam deberet amittere, immo etsi totus mundus esset periturus. Quid igitur tibi oberit uni homini tua vulnera detegere cum certa spe veniae? Nonne hoc melius est, quam postea coram toto mundo confundi et dein in aeternum proiectum esse a beatis? Nonne Deus novit tua peccata, nonne angelus custos et alii angeli? Quid ergo confusionis erit, si ego quoque ea noverim cum gravissima obligatione tacendi? «Si lates non confessus, confessus damnaberis», ait *S. Augustinus* (In Ps 66, n. 6; *ML* XXXVI 808). 4. Existimasne te dicturum,

qualia non audiverim? Nota est mihi humana fragilitas, nota daemonis invidia et ad malitiam impellentis fallacia; pudorem tibi eripuit, ut peccares, nunc eum tibi inicit, ne confitearis; contere caput venenosi serpentis et eice venenum. Etiam ego peccator sum, Deique misericordia indigeo; non est peccatum, quod fecit homo, quod non faceret alter homo, nisi praeservaretur ab eo, a quo factus est homo. Noli igitur erubescere confiteri homo homini, peccator peccatori. An forte magnam times poenitentiam? Pars magna poenitentiae tuae erit haec tui victoria, lucrari poteris indulgentias; quotidiana tua opera recte faciendo satisfactionem Deo praestabis, ea uniendo cum laboribus et doloribus Christi Salvatoris tui. Magnam tibi apud me conciliabis aestimationem, magnum angelis causabis in coelo gaudium, si poenitentiam egeris. Quam gloriosum est S. Petro, S. Paulo, S. Mariae Magdalenae, S. Augustino etc. egisse poenitentiam! Si secutus es errantes, sequere poenitentes. Praestitit Deus multis magnisque peccatoribus non minores favores vere poenitentibus, quam aliis, qui aut numquam aut raro peccarunt. Cur ergo circumferas torturam conscientiae, quae numquam cessabit te cruciare, nisi confessus fueris? Peracta generosa confessione quietem habebis animae, quae omnibus mundi gaudiis praeferenda est. Quis reorum non libenter confiteretur, si angore mortis et ipsa morte se sciret liberatum iri confessione? Cetera suggeret prudentia et unctio Spiritus Sancti.

237. Resp. II. Si poenitens deprehenditur *pusillanimis ob peccata sua praeterita,* procedi cum eo hoc modo potest: 1. Negotium habes cum patre, qui, licet offensus sit, pater tamen manet, isque pater misericordiae, cuius miserationes super omnia opera eius: qui prodigum filium ad se revertentem in gratiam amantissime recipit, uti declaravit nobis in parabola filii prodigi (Lc 15, 11 sqq.); qui disertis verbis declaravit (apud Ez 33, 12): «Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit ab impietate sua.» Ecce iam Deus debet hoc sibi, ut tibi ignoscat, tui curam habeat,

ne pereas. — 2. Deus pro nobis dedit Filium suum, et hic se tradidit pro nobis; quomodo, quod minus est, negabit? Audi Patrem dicentem: «Accipe Filium meum, quem do pro te, et redime te.» Audi Filium: «Omnia mea tua sunt.» Deus bonus plus velle, sapiens plus invenire, omnipotens plus dare non potuit. Teneritudo amoris Deum quodammodo cogit, ut misereatur. «Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te» (Is 49, 15 sq.). Cognovit nimirum Deus figmentum nostrum, quia caro sumus, lutea vasa portantes, proni in malum ab adulescentia nostra, novit nos lapsos et corruptos primum non propria sed protoparentis nostri voluntate, novit diabolum ex odio ipsius Dei nobis insidiari undique; hinc peccata nostra respicit potius ut miseriam nostram, quam ut sui contemptum et iniuriam, et multus est ad ignoscendum, atque opera diaboli lubens destruit. — 3. Ipse Filius infallibile remissionis chirographum nobis reliquit (Mt 6, 14) his verbis: «Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester.» Ille est ut medicus, qui «venit salvare, quod perierat» (Mt 18, 11); pastor bonus est, qui oves errantes quaerit et ad ovile laetus reportat (Lc 15, 4 sqq.); redemptor est, qui, quos sanguine suo comparavit, non abiciet. «Empti estis pretio magno, sanguine quasi agni immaculati» (1 Cor 6, 20 et 1 Petr 1, 19). «Copiosa apud eum redemptio» (Ps 129, 7). Quid non speres? — 4. Pusillanimitas ex fraude est daemonis, qui nihil quaerit aliud, nisi nos perdere. Novit dictum: «Spes autem non confundit» (Rom 5, 5), et: «Scitote, quia nullus speravit in Domino, et confusus est. . . . Quis invocavit eum, et despexit illum?» (Eccli 2, 11 sq.) Novit daemon omnia tua perdita esse, si diffidas Deo. Hinc te ad diffidentiam impellit. Si existimas te hactenus parum boni fecisse, habes advocatos multos, Filium Dei, piissimam Matrem eius, omnes coelites et Sanctos in Dei Ecclesia; horum merita participas. — Proponi possunt exempla peccatorum, qui magni

Sancti evaserunt: ut Magdalena, Matthaeus, Augustinus etc. Deus, ut dixi, magnis peccatoribus vere poenitentibus legitur non minores contulisse favores, immo saepe maiores, quam iis, qui rarius peccaverunt. Proponi quoque potest parabola de ove perdita, de muliere, quae drachmam perdidit everritque domum et, ubi invenit illam, convocavit vicinas dicens: «Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram» (Lc 15, 9). Drachma est anima, qua inventa gaudet Christus, gaudet Ecclesia triumphans et Christo gratulatur. — 5. Si poenitens dicat: Vereor, ne maior sit iniquitas mea, quam ut veniam merear, — respondeat confessarius: Maior est Dei pietas quam tua impietas, maior Dei misericordia quam tua iniquitas, maiora sunt Christi merita quam tua demerita; «ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi» (1 Io 2, 2); pietas et misericordia Dei Christique merita sunt infinita: peccata totius mundi illis comparata non sunt quantum guttula aquae collata mari. Si hoc universum ignis esset et in hunc mitteretur aquae guttula, putas, eum exstinctum iri? Minime. Sic tua peccata immersa in merita Christi et in abyssum misericordiae Dei. — 6. Pusillanimitas et maxime desperatio, quam illa parturit, grandis est Dei iniuria; desperare enim dicit exercite, Deum aut non posse aut nolle ignoscere, et ad hoc ipsum inclinat pusillanimitas. Quid putas, si pater omnem habuisset filii curam, numquam filium promissis suis fefellisset, addiceret delictorum veniam, filius tamen patri non fideret: nonne merito pater offenderetur? Quanto potiore iure Deus pro iniuria habebit, si ei diffidamus!

238. Resp. III. Si quis *frequenter recidivus* in eadem peccata *despondeat animum* vel contrahat de emendatione futura, erigi potest partim iam dictis, partim sequentibus: 1. Nulla sunt peccata, quae per Dei gratiam vinci emendarique non possint. Est autem Deus paratus dare auxilium necessarium; vult enim, ut peccator convertatur et vivat (Ez 18, 23); cupit et mandat, ut a nobis peccata vitentur, et

novit nos sine ipsius auxilio vincere non posse. «Cum ipso sum», ait, «in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum» (Ps 90, 15). Potuit te daemon perdere, multo magis potest te Deus restituere; incipe, et senties auxilium. — 2. Cur Christus tanta passus est? Nonne, ut medicinam animae tuae morbis praepararet, ut vires tibi daret ad vincendum mundum, diabolum, te ipsum? Potentior est medicina illa quam morbus tuus. Fortior ipse est tuo hoste. Dabit tibi perficere, qui dedit velle. — 3. Si scires te hodie denuo committendo illud peccatum oculos amissurum, nonne abstineres? Ita. Vides igitur te abstinere posse; abstine, quaeso, saltem hodie in honorem Christi pro te tam dura passi; cras propone similiter, neque cogita de longa vita, sed dic omni die: Hoc die abstinebo, hac nocte non peccabo. — 4. Si dicat poenitens: Proposui saepius, et tamen relapsus sum, respondeat confessarius: Relapsus accidunt ex fragilitate naturae per consuetudinem infirmatae, quandoque etiam permittuntur a Deo ad expugnandam superbiam nostram et confidentiam in propriis viribus. Agnosce humiliter tuam infirmitatem et confitere impotentiam, et confide in Domino: «Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur» (Ps 90, 1). «Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem» (Is 40, 31). Age igitur; si non cessas recidere, ne cesses resurgere. Si vas luto inficitur saepius et identidem lavatur, tam sordidum non est, quam alterum, quod infectum numquam purgatur. Mundamus calceos, etsi praevideantur iterum inquinandi; miles curat vulnera, etsi praevideat nova in proeliis sibi infligenda: et tu negligas animam? Nonne insanum diceres incarceratum, qui nollet exire e carcere, eo quod timeret, ne post tempus iterum incarceretur! Victus dicitur, non qui inter pugnandum vulneratur aut aliquando vel semel iterumve superatur, sed qui ad extremum cadit. — 5. Quid maius censes malum, rarius peccare et resurgere, an vero in peccatis perseverare? Qui frequenter resurgit, rarius deinde cadit, quia resurgendo Dei gratia roboratur discitque incedere cautius.

239. Resp. IV. Si poenitens *animo concidat ob tentationes*, quas patitur, his considerationibus erigatur: 1. Necesse est nos tentari; natura enim nostra corrupta pugnantibus inter se passionibus et habitibus infecta est, pars inferior seu sensitiva ad sensibilia vetita non minus quam licita propendet; unde dixit Apostolus: «Caro concupiscit adversus spiritum» (Gal 5, 17), et S. Iacobus (1, 14): «Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus.» Dein adversarius noster diabolus circuit quaerens omni modo nos perdere. Unde dixit Iob (7, 1): «Militia» seu tentatio «est vita hominis super terram.» Denique proposuit Deus vitam immortalem velut coronam, ad quam contendimus pervenire; non datur autem corona sine victoria, nec victoria sine certamine, nec certamen sine hoste. «Non coronatur, nisi legitime certaverit» (2 Tim 2, 5), et «Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te» (Tob 12, 13). — 2. Utile admodum est nos tentari, tum quia in tentatione videntes periculum ruendi in interitum aeternum, agnoscimus fragilitatem nostram et indigentiam divini auxilii, atque ita discimus nos humiliare; tum quia per victoriam tentationum probatur in nobis virtus et amor Dei et fidelitas in eum, quae magnopere placet Deo, sicut amicitia in tentationibus. «Tentat vos», dicitur Dt 13, 3, «Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum an non, in toto corde, et in tota anima vestra.» — 3. Gratum est Christo spectaculum, videre nos pugnantes pro gloria nominis sui. Spectator adest et pugnat in nobis, nec sinit nos tentari ultra id, quod possumus, dicente sancto Apostolo: «Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis» (1 Cor 10, 13). Homines iumenta non onerant ultra vires; novit figulus, quantum temporis oporteat vasa relinqui in fornace, ne perdantur; quidni Deus sapientissimus, salutis nostrae amantissimus provideat, ut accommodet vires tentationibus, ut cum tentatione possimus facere proventum? Si ergo Deus pro nobis, quis contra nos? — 4. Tentari malum non est, sed vincere gloriosum signum-

que praedestinationis, dicente S. Iacobo (1, 12): «Beatus vir qui suffert tentationem: quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae, quam repromisit Deus diligentibus se.» Penes te est victoria, modo velis. «Diabolus alligatus . . . latrare potest, mordere non potest, nisi volentem», ait *S. Augustinus* [1]. «Non nocet sensus, ubi non est consensus.» [2] — 5. Tentationes graviores post conversionem indicium sunt hominem evasisse e servitute diaboli; quos enim captos habet, minus tentat, ut venator feram iam captam non persequitur, sed fugientem. «Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis» (Iac 1, 2). — Modum resistendi tentationibus et media eas vincendi suggerat confessarius ex dicendis cap. XII.

CAPUT X.

Quae confessario observanda et agenda cum reis captivis vel condemnatis ad mortem [3].

Quid reo liceat circa responsa danda, circa fugam, circa complices indicandos; modus agendi cum reo ante confessionem et post eam; irregularitas praecavenda.

240. Resp. I. Generatim haec sunt observanda: 1. Reus ab iudice interrogatur iuridice, quando interrogatio fit servato iuris ordine et adest semiplena probatio vel per testem legitimum oculatum vel per indicia aequivalentia vel per in-

---

[1] Inter opp. suppos. app. serm. 37, n. 6; ML XXXIX 1820 (adscribitur S. Caesario Arelat.). *

[2] Inter opp. suppos. S. Bernardi, Tract. de interiore domo c. 8; ML CLXXXIV 515. *

[3] Nolui haec, quae auctor notavit spectato iuris ordine antiquo communi, supprimere, secundum quem reus capitali sententia plecti non potuit nisi crimen fassus, sed ad hanc confessionem extorquendam post vehementia indicia probationesque semiplenas ad quaestionem, i. e. etiam torturam, vocari vel revocari poterat. Utilia enim etiamnunc sunt quam plurima. Satius duxi ea, quae propter hodiernum usum et procedendi iudicialiter modum explicatione vel mutatione indigent, inferius addere. Aliqua tamen ex hoc capite minus apta expunxi. *

famiam in iudicio probatam. — 2. Reus sciens non adesse semiplenam probationem, vel de ea rationabiliter dubitans, non tenetur iudici interroganti fateri crimen, sed potest cum iuramento negare illud, quia sensus est: Non feci crimen, quod fateri tenear; iudex enim non potest interrogare de crimine, nisi quod teneatur fateri reus; unde nec censetur de alio interrogare, quia delicta non praesumuntur. — 3. Reus *iuridice* interrogatus tenetur fateri crimen, saltem si capitale non est. Ratio est, quia superiori, qualis hic est iudex, legitime praecipienti parendum est, atque iudex hic legitime praecipit; exigit enim bonum commune, ne crimina sic iam probata, quae aliunde plene probari non possunt, maneant impunita et passim invalescant; iudici hanc esse potestatem et in hac re unumquemque consentire debere, dictat recta ratio. Dixi: «saltem, si capitale non est»; nam si reo ex confessione mors esset subeunda vel alia poena valde gravis, communior et probabilior quidem opinio docet etiamtum esse obligationem fatendi, eo quod humana praecepta etiam obligent cum periculo vitae, ubi agitur de bono communi et damno reipublicae; non paucis tamen videtur esse supra vires humanae fragilitatis adigi hominem ad ferendum testimonium contra se ipsum, ex quo mors certa immineat vel alia poena valde gravis. Unde censent reum in hoc casu etiam posse negare crimen, si sit spes evadendi et nullum grave malum reipublicae immineat. Haec sententia probabilis est et secundum *Lugo*[1] in praxi tuta; proin, si reus eam sequi velit, non ideo ei neganda est absolutio. Nec obstat iudicem habere ius interrogandi eumque interrogando licite agere; nam ius habet sane *probabile,* eoque utendo licite operatur; sed *certum* ius non est ex principiis directis, atque cum eo stat ius etiam probabile rei. — 4. Non potest reus interrogatus de sociis criminis eos revelare, qui sint occulti nec aliis indiciis vel testimoniis convinci possint, quia sine causa eos infamaret. Crimen

[1] De iustitia et iure disp. 40, n. 15.

tamen exceptum tenetur etiam non interrogatus manifestare; tale est haeresis, laesio maiestatis, proditio, coniuratio, cusio falsae monetae, latrocinium, magia [1]. — 5. Post latam sententiam non tenetur reus fateri crimen, quod ante iniuste negavit; quia finito iudicio finitur obligatio rei, nec inde oritur scandalum, quia praesumitur sententiam esse iustam et reum putare non teneri se ad fatendum; nec inde infamatur accusator iniuste, quia reus non tenetur ex iustitia fateri crimen et iuvare accusatorem, unde tantum est causa permissiva infamiae, si qua sequatur. — 6. Reo fugere licet ex carcere etiam iusto [2], immo etiam effringere carcerem, quia ius ad vitam tantum est, ut nulla potestas humana quemquam obligare possit ad eam non conservandam, si conservandi spes commoda appareat. Unde etiam alii, qui non sunt ministri iustitiae, possunt reo subministrare instrumenta, quibus carcerem effringat, quia reo hoc facere licet; aliis tamen difficilius licet effringere carcerem, exigente id bono communi, ne omnis securitas pereat [3]. Ministri igitur iustitiae, v. gr. custodes carceris, ne instrumenta quidem possunt subministrare, sed ex iustitia tenentur fideles esse reipublicae propter officium, quod susceperunt. Secundum *Dicastillo* [4] potest pater, frater, uxor reum iuvare in effringendo carcere, quia sunt una cum ipso persona [5]. — Si iniuste condemnatus provocet ad tribunal Dei, etsi possit abesse culpa, cum quilibet gravatus possit appellare ad iudicem superiorem: id tamen periculosum est ob periculum inordinati appetitus vindictae et odii.

[1] Ratio utriusque responsi est, quia secundum ordinem iuris antiqui testimonium solius rei non faciebat sufficientem probationem; in criminibus autem *exceptis* ansam dare poterat complendae probationis. *

[2] Intellige capitis reum vel ad poenam gravissimam damnatum: ceteroquin, si poena iuste lata est ipsa detentio in carcere, fuga non permittitur, nisi carcer sit durissimus — id quod nostra aetate vix obtinet. *

[3] Proin, si fuga rei fuerit perniciosa reipublicae, nullo modo licebit ad fugam iuvare. *

[4] De iustit. et iure l. 2, t. 1, d. 6, n. 88.

[5] Idem concedunt amico (Lehmkuhl, Theol. mor. I [12] 979).

*241. 1. Secundum recentiora iura reo non defertur iuramentum, neque eius confessio exspectatur, ut possit poena, etiamsi sit supremum supplicium, infligi. Subicitur tamen non raro interrogatorio, in quo certe non licet ei mentiri; simpliciter tamen negare ea, quae conferant ad criminis probationem, censetur restrictio non pure mentalis, cum actio vel circumstantia negata intelligatur de ea, quam reus fateri non debeat. Quando autem crimen plene probatum atque sententia condemnatoria lata est, cum negatio finem honestum amplius non habeat, etiam reus a negando crimine vero cessare debet, sed debet potius fateri, maxime si alias suspicio falsa contra alios remaneret.

2. Criminis socios indicandi non facultas solum, sed etiam obligatio facilius adest, quam in iure antiquo, cum ad probandum crimen non eaedem formalitates requirantur, quae tunc in ordinariis criminibus probandis erant necessariae. Sed etiamnunc naturalis iuris regula valet non esse infamandum criminis accusatione eum, quem criminis complicem esse *nulla ratione* probari possit nisi solius primarii criminis auctoris testimonio, utpote quod inefficax sit ad probandum, ad suspicionem iniustam excitandam satis efficax.

3. Circa fugam eiusque capiendae opitulationem vix aliter dicendum est, quam secundum ea, quae supra iam exposita sunt. Et quamquam hodie incarceratio longe soleat esse humanior, tamen post sententiam capitalem, magis etiam ante sententiam condemnatoriam pro evadenda poena gravi forte impendente licebit etiamnunc conatus facere, qui bono publico detrimentum non inferant.*

242. Resp. II. In praxi cum reis confessarius hoc modo prudenter procedat: 1. Studeat eorum animos sibi conciliare, tum verbis affectum compassionis significantibus, tum si possit eleemosynis; interroget eorum nomina, ubi nati, in qua religione educati etc.; dein per decursum doceat eos venerari providentiam Dei eique se subicere, qui errantes oves variis modis reducit ad se; proinde agnoscant eius amorem et car-

ceris molestias aequo animo suscipiant de eius manu, seque plene eius dispositioni committant; utpote qui sit mitissimus pater, noveritque figmentum nostrum seu fragilitatem, voluerit-que Filium suum esse advocatum nostrum. Atque ita disponat eos ad contritionem perfectam, ut cum merito ferant molestias suas. Haec ut impretet et ut eos soletur, saepe, si liceat, ad eos accedat. · · 2. Ut confidentius secum agant, instruat eos, illa, quae secum in foro conscientiae agant, cum iudicibus communicari non posse, ideoque sive nocentes sint sive innocentes, id iis nec obfuturum nec profuturum. Ratio est, quia alias alliciuntur, ut se falso probent innocentes, ut a confessario iuventur, alii contra, ut falso se nocentes dicant, timentes, ne confessarius conferat cum iudicibus ipsique quaestioni iterum subiciantur. Unde non expedit, ut ad confessionem sacramentalem admittantur, priusquam in foro profano eorum causa pateat; secus ex timore, ne vel deferantur vel cogantur eadem fateri iudici, peccata facile tacent quae confiteri debent et alias confessuri essent. Caveat etiam confessarius, ne temere evulget, quae extra confessionem accepit. — 3. Ne respondeat se fore patronum vitae, sed animam curet, ne rei spe vitae taceant confitenda, neve postea, si spes fallat, a confessario alienentur. — 4. Ne importune agat, ut se reos fateantur, tum quia quidam vere rei non sunt, tum quia facile fit, ut ex timore, ne deserantur in fine et sine Communione moriantur, sacrilege confiteantur. — 5. Ne recenseat coram iis modum procedendi iudicialem, neve ordinarie admittat querelas de facta iniuria, sed ad patientiam et resignationem disponat. Expedit tamen, ut confessarius sciat modum procedendi in iudicio et probationes, quo prudentius possit agere in foro conscientiae et iudicem monere, si quid monendum est. — 6. In confessione examinet, an criminis complices prodiderint, si tenebantur, an timore victi vel ex odio innocentes aliquos denuntiarint; si ita, inducendi sunt, ut tempestive revocent, idque ante sententiam; revocatio enim, quae fit post sententiam aut quando iam in

eo est, ut feratur, non tanti penditur a iudicibus. Est autem obligatio efficaciter revocandi, licet metuant, ne ad torturam revocentur, vel id certo praevideant, quia in pari sua et proximi necessitate potior ratio innocentis quam nocentis habenda est. Quodsi reus iam capite plectendus ad id adduci non posset ob gravissimam causam, v. gr. quod putet se tormentis subiectum iri, ut confirmet dicta, curet confessarius, ut in carcere fiat revocatio scripto vel voce coram duobus testibus, dein exponat coram iudice eam a reo factam esse praesentibus testibus; quae valida et sufficiens esse debet; et si iudices eam admittere recusent, excusatus est apud Deum reus, illi vero, si contra denuntiatos procedant, iniqui homicidae sunt, inquit P. *Frid. Spee* in Cautione criminali dub. 30. — 7. Si incarceratio sit diuturna, curandum, ut captivus semper sit utiliter occupatus orando, meditando, legendo etc. pro capacitate sua[1]; ut mane oret, intentionem rectam faciat patiendi eo die, quae Deus immiserit; audito pulsu campanae ad Sacrum, eo se convertat et Missae mente assistat et spiritu in omnibus sacrificiis, quae per orbem fiunt se commendet; ad horae pulsum per salutationem angelicam petat felicem mortem, patientiam, resignationem; pro diversitate horarum recogitet diversa mysteria passionis Christi etc. — 8. Ad cavendam omnem suspicionem sinistram expedire vi-

[1] Hodie, quod *lectionem* attinet, attentio confessarii dirigi imprimis in id debet, ne legantur impia et noxia. Nam cum scriptis, etiam popularibus, omnia abundent, facile fit, ut sive ab amicis sive ab ipsis carceris custodibus libri scriptave mala subministrentur. Quare omnino curandum est, ut his bona substituantur; quod si fieri nequeat, lectio potius plane interdicenda est. Bona autem intelligo primo loco ea, quae revera pietatem atque rerum aeternarum desiderium foveant, maxime si agitur de reo, cui non ita multum post moriendum sit; dein ea, quae pie et innocenter recreent et delectent, vel etiam quae rebus indifferentibus mentem occupent atque distrahant: posteriora tamen ita moderate, ut non nimis a cogitationibus piis et religiosis animum avocent. Ante omnia enim instruendus est reus in variis exercitiis pietatis peragendis, ut otium involuntarium et poenale sibi vertat in tempus uberrimi meriti colligendi.

detur, ut reo confessarius sententiam mortis non indicet; sed postquam per eos, ad quos spectat, indicata fuerit, excitet reum, ut illam a Deo velut iusto iudice acceptet, proponat ipsi exemplum Christi et Sanctorum, qui innocentes occisi sunt, et inter eos multi adhuc tenerae aetatis, ut SS. Agnes, Pancratius etc. Si dicat se innocentem, immo si reipsa ita videatur esse, reponatur: Christus vere innocens fuit, haec tua poena a Deo est, coram quo quis se dicat innocentem? Unum veniale peccatum plecti morte meretur. Cupit Deus, ut hanc poenam admittas temporalem, ut parcat animae tuae in aeternum. Sunt fortasse, qui graviora commiserint neque hic puniantur; sed id Deo relinquendum est, qui modo tibi iniuriam non facit, sed gratiam. Si posses modo te liberare a morte per ieiunium diei in pane et aqua, faceres lubens; ecce, Deus per mortem temporalem, quam tamen aliquando subire debebis, te liberat ab aeterna morte; cur id non admittas? Mille anni ad aeternitatem instar momenti sunt, demptis enim mille annis aeternitas integra manet. Si opponit: Mors haec ignominiosa est, — respondeatur: At Christi, qui peccatum non fecerat, mors quot hominum ignominiis fuit onerata! Quales infamias coram mundo martyres sustinuerunt! Gloriosam mortem coram Deo, Angelis et hominibus prudentibus habebis, si magno et lubenti animo ad satisfaciendum divinae iustitiae eam acceptes. Si quae sit infamia, brevis est coram mundo; hac aeternam emes gloriam et perpetuam in altero saeculo exstingues infamiam. Si miles a duce suo profugus redeat magnamque victoriam reportet, magis laudatur, quam si mansisset semper, at nihil umquam egregii praestitisset. — 9. Investiget confessarius, num forte odium conceperit in iudicem vel partem adversam; curetque, ut amore Christi id totum deponat. — 10. Postquam reus per confessionem expiatus et sacramento Eucharistiae refectus est, reliquis remotis agat cum eo confessarius, at non nisi de iis, quae ad animam pertinent, nunc pia colloquia miscendo, nunc cum eo orando v. gr. rosarium, litanias etc.; tamen non

nimium protrahat, sed quietem intermediam indulgeat. — 11. Nocte mortem proxime antecedente persuadeatur, ut dormiat, ne altero die sit indispositus; expedit tamen, ut quis de nocte illi adsit, qui evigilantem animet contra tentationes tunc maxime ingruentes. — 12. Die mortis illucescente, animandus est, ut hunc diem maximi meriti Deo consecret, uniatque, quae pati debeat, cum passionibus Christi; impediatur, ne qui ientaculum offerunt eum inebrient et, cum velint timorem minuere, ineptum reddant ad magnum meritum mortemque felicem. — 13. Nihil agat confessarius, quo mors acceleretur; in itinere ne urgeat reum, ut progrediatur, sed illi se accommodet; continuo cum eo oret sine clamore tamen; oculos eum iubeat custodire et demissos tenere, neminem salutare nisi Salvatorem, cuius effigiem ipse, si possit, aut confessarius ferat. In conspectu loci fatalis iterum eum animet exemplo Christi, S. Andreae, spe praemii et veniae: «Domine, non mea, sed tua voluntas fiat; hic ure, hic seca, modo in aeternum parcas.» — 14. In ipso supplicii loco interroget, num quid sit, quod conscientiam gravet, et eius responso se accommodet; eliciat cum eo actus fidei, spei, caritatis, contritionis, oblationis, idque exquisitis verbis; curet, ut saepe ingeminet sacra nomina; offerat ei preces, sacrificium Missae etc. Si tamen reus capite est plectendus, non pronuntientur amplius sacra nomina, dum ictus exspectatur, ne inclinatione capitis forte gravis error contingat, sed devote recitetur oratio Dominica. Denique, ubi reus iam obierit, oretur cum adstantibus pro defuncti anima: «Pater noster», «Requiem aeternam» etc. Possunt etiam praesentes brevi exhortatione moneri de obligatione sua: parentes, ut liberos suos bene educent; liberi, ut parentes audiant et revereantur. Denique opus caritatis confessarius faciet, si cognatos in loco forte exsistentes visitet eosque soletur etc.

243. Aliquando *quaeritur,* quae cautela adhibenda confessario sit, ne incurrat irregularitatem ex defectu lenitatis agendo cum reo vel iudicialibus personis.

Resp. Cum irregularitas, de qua hic quaeritur, statuta non sit nisi in †eum, qui ut iudex mortis sententiam tulit vel qui munus carnificis susceperit eiusve fuerit voluntarius ac immediatus minister in exsecutione capitalis sententiae (can. 984, n. 6 sq)†: confessario timenda non est irregularitas, quando facit, quae sui muneris sunt. Studeat igitur, ut curet animam; reliqua, nisi quid in bonum rei suggerendum sit, relinquat ministris iustitiae, et facile aberit ab omni periculo, licet agendo, quae sunt sui officii, per accidens causa sit mortis vel accelerationis illius. Unde potest 1. hortari reum, ut in iudicio fateatur crimen morte dignum, quando †crimen probatum et sententia condemnatoria lata est†; iuridice interrogatus certo tenetur confiteri. 2. Si interroget reus, num sibi liceat vel num debeat denuntiare complices, potest, si revera tenetur, responderi illum teneri, etsi agatur de crimine capitali. 3. Potest praecipere, ut manifestet eos, qui aliis meditantur iniurias aut delicta, si illa non nisi per iudicem impediri possint; nam canones non infligunt irregularitatis notam ei, qui †non est minister immediatus in exsecutione sententiae capitalis.† 4. Potest confessarius indicare iudici, reum bene ad mortem esse dispositum.

CAPUT XI.

Quid confessario observandum circa poenitentes variis tentationibus exagitatos.

Tentationum origines et utilitates. — Remedia: oratio, fiducia in Deum, non altercari cum hoste, communicatio cum patre spirituali, exercitium virtutis contrariae. In specie quid sit agendum in tentatione carnis, vindictae, in tentatione circa praedestinationem, in tentatione captiosa de rebus conditionatis; quid, si aspicienti res honestas vel sacras oriatur tentatio.

244. Resp. generatim haec: 1. Tentatio est incitatio ad peccatum, seu ad bonum sensibile propositum voluntati, quo inclinatur vel allicitur ad violandum praeceptum; potest esse levis, gravis, gravissima, prout vis movendi languida vel parva, aut vehemens aut vehementissima est. — 2. Tentatio

oritur aut a nostra corrupta natura, uti fit, si a motibus corporis vis imaginativa et intellectus excitatur ad cogitationes malas; aut a daemone, si obiectis vel motis speciebus foedis in phantasia eam movet ad repraesentanda obiecta sensibilia mala motusque in corpore excitat. Signum, eam a daemone solo esse ortam, est, si fit cum impetu superante vires consuetas nostrarum passionum, obiecto cumulo vel turba vivacium cogitationum. Hoc genus vocatur spiritus tentationis, in materia quidem lubrica spiritus fornicationis, in materia fidei spiritus infidelitatis, spiritus blasphemiae etc. His non cedere est signum magni progressus facti vel faciendi. Denique tentatio potest esse a nobis et a daemone simul, i. e. a daemone et a concupiscentia nostra orta. Huiusmodi tentationes sunt magis communes, raro sunt mere praeternaturales. — 3. Permittit Deus tentationes in bonum nostrum. «Certamen forte dedit illi, ut vinceret» (Sap 10, 12). Bonum autem, quod Deus ex iis elicit, triplex est: *primum* magnum incrementum virtutum, quia actibus heroicis augetur habitus; *secundum* magna animi tranquillitas, quam parit frequens victoria, quae nos daemoni terribiles facit, in verticem ipsius iniquitate eius descendente; *tertium* est coniunctio animae cum Deo eiusque desponsatio cum Christo. «Deus tentavit eos, et invenit illos dignos se» (Sap 3, 5). «Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo» (Apc 3, 21). Atque ita saepe contingit, ut obnubilatus, dum se a Deo remotum putat, sit illi propinquior. — 4. Media generalia contra quascumque tentationes sunt humilitas, oratio, fortitudo. *Humilitas* removet impedimenta gratiae auxiliatricis; Deus enim superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Sunt qui ad turpia tentati adhibent macerationem corporis, et tamen, licet illa ceterum sit praestans remedium, vix quidquam efficiunt; nempe latet quaedam occulta superbia et subtilis complacentia et fiducia immodica in propriis viribus. *Oratio* impetrat gratiae auxilia; *fortitudo* iis utitur, removet pusillanimitatem et praefidentiam, cavet-

que, ne quis temere se exponat periculis. Ex his deduco sequentes regulas generales pro praxi, quas, ubi convenire videbitur, confessarius poenitenti suggerat.

Regula prima. Si te adoritur tentatio, sequere praescriptum Domini dicentis: «Orate, ut non intretis in tentationem», et statim animo ad Deum confuge, eius misericordiam implora, tuam confitens infirmitatem etc., vel animum converte ad honestam occupationem externam, vel actum virtutis, v. gr. caritatis, contritionis, vel virtutis oppositae elice: sic enim et augebis meritum, et satan, videns sua molimina a te converti in bonum contra eum, desistet a maligno suo conatu. Orta igitur tentatione signa tibi dari existima, ut ames Deum et animae brachiis amplectaris Iesum tuum, pro te crucifixum. Cavendum autem, si elicere velis actum tentationi directe oppositum, ne id pertinaciter vel perturbate facias, quia sic aut tentationem augebis, aut caput debilitabis. Unde si non possis placate et facile eum elicere, contemne hostem et converte te ad alia honesta, vel paucis actum caritatis elice vel fiduciae in Deum.

Regula secunda. Magno, divino nixus auxilio, sis in tentationibus animo, memor, te omnia posse in Deo; si enim daemon pusillanimem te advertat, magis insultabit, pollicens iam sibi victoriam, quam tentato praestaret fiducia magna in Deo; si autem se non curari, negligi, contemni advertat, superbus spiritus cedet, non valens sui ferre contemptum, instar procacis mulieris, quae, si virum videat timidum esse, magis insultat, si vero impavidum, cedit et dat verba meliora.

Regula tertia. Cave altercationem cum hoste; immo nec verbum ei repone, nisi forte illud Christi: «Vade, satana: scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies» (Mt 4, 10); sed velut responso indignum eum neglige, noli signa aliqua externa edere, sed, ut dixi, confuge ad Deum et illi soli fidelitatem offer. Si enim altercaris cum hoste vel contendis, augebis tentationem, turbabis animum,

persuadebit sibi superbus hostis, se a te aestimari, et animum turbatum magis laborabit involvere tenebris. Optima vincendi ratio est minime turbari. Molestiam possunt inferre tentationes, sed non nocere, si persistas in proposito Deo sincere serviendi. Proinde illas contemne, immo ne tanti quidem fac, ut reflectas ad id, quod oggerunt; multo minus singulas excute, quales sint, quia singulas excutiendo te conficeres nec quidquam proficeres.

Regula quarta. Tentationes, praesertim molestas, aperi confessario tuo vel directori spirituali; nihil enim magis odit satan, quam suas machinationes non manere occultas, similis libidinoso, qui, dum tentat honestam mulierem secum ad flagitium pertrahere, sua molimina maxime vult viro esse occulta. Dein Deus hanc humilitatem solet gratiae auxiliis remunerare, et directoribus suggerere media, quibus statuit dare efficaciam. Et hinc id negligendum non est, etsi confessarius videatur minus doctus vel expertus.

Regula quinta. Virtutem tentationi oppositam constanter exerce. V. gr. advertis te tentari spiritu superbiae, inclinari ad aestimationem apud homines, ad divitias, commoditates corporis, delicias in victu etc.: exerce te in virtute opposita, v. gr. humilitate, liberalitate erga pauperes, abstinentia, sobrietate, et adhibe media, quae contra singula peccata capitalia proposui capite primo partis secundae a n. 61. In vitia illa invehere, meditare de horum turpitudine, non tamen de luxuria, et de oppositae virtutis pulchritudine, utilitate etc. Sic enim vitii horrorem et virtutis amorem et aestimationem augebis. Atque haec remedia sunt generalia.

Regula sexta. Si pulset tentatio contra castitatem, speciali cautela opus est, ne turberis vel timeas inordinate, neve ad turpitudinem etiam eius considerandam applices animum, quia sic augebis tentationem; sed statim confuge ad Deum, ad vulnera Christi, et aliis honestis rebus applica mentem serio. Tentationes lubricae fugiendo vincuntur. Si oriatur rebellio carnis, expedit loco cedere, aut sibi dolorem insuper imprimere, aut brachiis animae amplexari Iesum crucifixum, et

morti se potius offerre quam consensum dare. Curandum autem, ut solum Iesum intuearis, non tentationem; alias eam auges. Iuvat quoque recurrere ad Beatissimam Virginem, rogando eam per immaculatam conceptionem et mundissimam virginitatem, ut adsit suo patrocinio, ne offendas dilectum eius Filium, tanta pro anima tua salvanda passum; similiter ad Angelum custodem, S. Iosephum, S. Aloysium etc., obsecrando per amorem Christi, ut modo te protegant. Si tentationes sint frequentes, adhibe media n. 74 allata.

Regula septima. Qui tentatur spiritu vindictae, mentem avertat ab iniuria vel molestia illata, et dein cessante tentatione corrigat apprehensionem, qua iniuria saepe parva apprehenditur ut magna. Cogitet ignominias a Christo susceptas et eas, quae a se Deo illatae sunt; meminerit fragilitatis, excuset quoad potest proximum, vel etiam pro eo oret.

Regula octava. Si excitetur tentatio de praedestinatione vel praescientia Dei, aut eam plane neglige tamquam stropham diaboli, aut dic interne: «Meum est servire Deo; futura disponere meum non est, sed Patris, qui misit Filium suum, ut vitam habeam et abundantius habeam. Faciat ipse, quod bonum est coram se. Nemo speravit in eo, et confusus est. Ipse iustus est et misericors. Ipsum amabo, benedicam, laudabo, quamdiu fuero. Si scirem, me esse praedestinatum, quid conveniret me facere? Hoc faciam, quoad vixero.» Ceterum ad indoctos non est loquendum, minus etiam contionandum de praedestinationis mysterio.

Regula nona. Si fatiget haec tentatio: Quid faceres, si aut peccare, aut aeternam damnationem subire deberes? Si hoc vel illud malum tolerare deberes, aut hoc vel illud peccatum perpetrare, quid eligeres? quid faceres in hoc vel illo casu? — ad alia convertat animum et hanc cogitationem velut otiosam contemnat, vel interne dicat: «Mihi bonum est adhaerere Deo meo; imperfectum meum viderunt oculi eius, ego egenus et pauper sum; quicumque casus evenerit, ipsi erit cura de me»; his dictis quiescat agatque agenda, certus, se, etsi non videatur se posse omnino certum quid statuere,

non peccare, sed coram Deo meritum habere. Caveat autem, ne arroganter dicat cum Petro: «Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo» (Mt 26, 35); sed cum fiducia humiliet se coram Deo, agnoscens lapsum futurum, nisi Dominus supponat manum suam et det cum tentatione proventum.

Regula decima. Si daemon immittat tentationem aspicienti res honestas vel etiam sacras, v. gr. imaginem Crucifixi, Beatissimae Virginis, tentatus ne cedat tentatori, sed directe ista aspiciat, etsi experiatur imaginationes foedas aut motus turpes, ut se experiri aliquando queruntur piae animae; neque enim ista obiecta sunt causa talium foeditatum, neque hae homini voluntariae sunt. Proinde ne procedat timide, sed rideat stultam tentationem; timor enim auget et saepe causat illam, cui si cedat, eo tandem deducetur, ut in omnibus timeat, immo nec confiteri nec communicare amplius audeat, timens ex his similes affectus, quos daemon aut phantasia similiter causare poterit. Idem valet, si ex aspectu talium rerum orirentur cogitationes blasphemae, haereticae etc.; nam hae facile vincuntur, si contemnuntur. Hinc etiam errant, qui se ab eiusmodi rebus liberari putant, si eas confiteantur; nam sic augetur timor et tentatio animo magis infigitur, quae oblivione et contemptu melius esset dissipata. *Lacroix* l. 6, p. 2, n. 1907, ubi notat tentatum post tentationem iudicare debere, se tentationi non consensisse, si ea fuit constanter molesta et ipse optarit illam non habere. Plura vide de directione scrupulosi n. 265.

CAPUT XII.

De iis, quae observare debet confessarius eorum, qui specialiter profitentur devotionem aut perfectionem.

QUAESTIO I.

Quae universim sint observanda circa eiusmodi poenitentes.

245. Resp. Confessarius, cum nactus fuerit poenitentes perfectionis capaces dirigendos: 1. Petat lumen per orationem, et priusquam directionem illorum incipiat, conetur intimos

eorum animi motus et constitutionem perspicere, ut instructiones possit illorum capacitati et naturae accommodare; neque enim omnes eodem sunt spiritu ducendi, nec uno omnes modo regendi. — 2. Excitet ipsos, ut foveant desiderium constans maximae perfectionis, etsi hic vel ille videatur ad eam non perventurus, quia desiderium illud faciet, ut eam saltem attingat, cuius est capax, et ut multum mereatur. Sic Sancti multi, quos Deus martyres esse non voluit, magno ad martyrium incensi desiderio, martyribus similes effecti sunt. — 3. Ad perfectionem ducantur per gradus et ex ordine, ut prius conentur assequi primum virtutis gradum, quam ad supremum contendant; v. gr. prius discant operari recta intentione et imitari actiones Christi, quam alta meditari; prius discant levia patienter ferre, quam gravia appetant; prius discant pati aequo animo, quam de adversis velint gaudere. — 4. Non est altius enitendum, quam quo Deus vocat, qui singulis certam perfectionis mensuram ponit certumque sanctitatis gradum definivit; hinc moderator sequi debet ductum divinum, ne opus Dei suis consiliis evertat. Si igitur anima divinitus impellitur ad metum, abstrahenda non est; et licet desiderium maioris perfectionis excitandum sit, hoc tamen fieri debet circa modum proprium, ut nempe ea excolantur, ad quae Deus movet, qui aliquando solam vitam exteriorem hominibus regendam relinquit, modum vero in interiore vita tenendum solus docet. — 5. Doceantur, cuiusque perfectionem in eo sitam esse, ut opera ordinaria bene peragant, ut mane bene surgant, bene orent, legant, Missae intersint, doceant, laborent; prout decet comedant, bibant, ludant, se recreent, conversentur cum proximo; vespere bene faciant examen conscientiae, bene se ad quietem componant, omnia denique, quae ex officio et statu ipsis incumbunt, recte obeant. Haec qui bene facit, perfectus est; facit autem bene, qui facit, quia, quando, quomodo ea vult Deus fieri, cuius sanctissima voluntas omnis perfectionis fons et norma est. — 6. Probandi equidem sunt tales, ut advertatur, quo spiritu ducantur, Dei

an mundi, amoris an timoris, et quis affectus in iis sit praedominans, qui primus mortificandus est. Attamen non omnes eodem modo probandi et tractandi sunt, sed cautela et discretione opus est. Nam in quibus abundat vel praedominatur atra bilis, benignius tractandi sunt, ne, utpote ad tristitiam proni, in deiectionem nimiam propellantur; qui vero complexionis sunt sanguineae et hinc propensi ad amorem, coercendi sunt, ne amor oriatur inordinatus, ut purum reddatur amoris motivum. Deinde animae adhuc tenerae, quas Deus primo sibi conciliat, mollius sunt tractandae, nec omnino est recedendum a divinis consiliis, quae animam suaviter ducendam esse ostendunt. Si autem animae sint nobiliores, seu quae habent gratias et beneficia Dei extraordinaria, suavitati iungenda quaedam severitas, quia hae per dona gratiae sunt pares difficultatibus; harum tamen probatio non sit quaesita neque aperta, sed fiat ex re nata, ut non videatur recedi a communi modo vulgares animas dirigendi. Hinc communia et levia quandoque sunt imponenda; sic enim reprimetur superbia et immoderatus fervor ad extraordinaria. Si autem advertant se probari, facile se fingent ad omnem humilitatis et abiectionis modum. Neque extraordinariae afflictiones imponendae sunt, sed sic instituantur animae, ut eas sua sponte deposcant; nec tamen credendum illorum spiritui, qui deprehenduntur studiose extraordinaria sectari, nisi adsint signa certa, quae ostendant eos impulsu divino duci. Quodsi quis advertatur esse in rebus agendis proprii cerebri et iudicii tenacioris, suaviter dedocendus est. Deus per homines nos dirigere ad perfectionem voluit, ut discamus humiliter oboedire; animae prudentis est, proponere quidem firmiter, non tamen ita obfirmare animum ad aliquid agendum vel omittendum, ut mutatis causis et circumstantiis immutari se non sinat et minus aptus sit ad alia forte magis utilia vel necessaria. Tutius est fidere alterius prudentis iudicio quam proprio; melior est oboedientia quam victima, quia per illam intellectus et voluntas ipsaque anima Deo immolatur. Optima probatio est oboedientia.

Denique, si quis benignae naturae se regendum tradat, sedulo instruendus erit, ut propria et supernaturalia virtutum motiva sciat, saepe examinet actiones suas, ex quo motivo processerint; discat agere ex motivis supernaturalibus; alias enim facillime fiet, ut opera externa agat natura, non virtus, cum natura utpote innata sit fortior. Unde, dum operandum est, proponat sibi motivum virtutis, ex eoque agat; si natura praeveniat, corrigat, neque operetur, donec suum motivum sit voluntas vel beneplacitum Dei; dum exercenda est virtus, ad quam indoles propendet, ne nimium se effundat, sed naturam reprimat et revocet ad exemplum Christi, qui operatus est, quia placitum erat Patri. Nihilominus suadendae et prosequendae sunt virtutes, ad quas indoles propendet: nam Dei gratia naturali inclinationi se accommodat, ut suavius finem consequatur et ut homo constantius agere pergat; sed cavendum, ne opinio virtutis iam comparatae officiat comparandae.

Iuvat quoque notare, quadruplicem esse hominum complexionem: alii sunt sanguinei, alii phlegmatici, alii cholerici, alii melancholici. Sanguinei sunt suaves, affabiles, animosi, obsequiosi, liberales, tractabiles. Haec bona sunt; at simul sunt fervidi, contentiosi, creaturis dediti, ad voluptates proni. Phlegmatici sunt mansueti, facile mobiles, fideles, pacifici, ductiles; sunt tamen simul pusillanimes, inconstantes, desides, tepidi. Cholerici sunt audaces, animosi ad quodlibet aggrediendum, generosi; at sunt etiam praecipites, impatientes, iracundi, rixosi, superbi, inhumani, duri, flava bile praedominante. Melancholici sunt circumspecti, modesti, considerabundi, constantes; at sunt etiam singulares, suspiciosi, proprii iudicii amantes, praedominante atra bile. Hae complexiones bonae sunt, sed sedulo invigilandum corrigendis defectibus, qui in uno quam in altero graviores sunt, prout idem humor in uno magis quam in altero praedominatur.

* Diversae complexionis et indolis cognitio perutilis est in dirigendis poenitentibus quibuslibet, qui stabilem suum habent confessarium, non solum iis, qui perfectionem sectantur.

**Sanguinici* sensibilibus facile afficiuntur, sensuque et phantasia moventur et ducuntur. Hinc qui ad peccata proclives sunt, aliis etiam magis urgeri debent, ut occasiones vitent, ut phantasiam cohibere studeant eamque bonarum piarumque rerum imaginibus imbuant, ut sensuum oblectamentis etiam in rebus minoribus renuntiantes de se victoriam referre discant. — Qui vero a gravioribus peccatis habitualiter immunes ad christianam perfectionem tendunt, cavere debent imprimis, ne facilius mutent bona proposita, ne consolatione desolationeve sensibili levius moveantur et dirigantur, sed ut rem bene consideratam atque cum spirituali duce communicatam ab eoque approbatam strenue contra difficultates orituras prosequantur.

**Phlegmatici* facilius difficultatibus et laboribus deterrentur atque officio desunt. Hi igitur animandi et excitandi sunt, atque attollendi ad considerationem aeternorum, quo et bona et mala terrena discant despicere. Ad praeclara quidem et heroica difficulter moventur; eo maior debet esse conatus, ut in bona quadam mediocritate firmi consistant.

**Cholerici* ad iram et vindictam sunt proni; sentiunt multo profundius quam sanguinici, atque tenaces sunt in propositis conceptis; ad sensualia minus propensi, facile moventur ambitione et superbia. Hinc contra pericula irae, vindictae, odii, inimicitiarum imprimis muniendi sunt. — Si perfectionem christianam sectantur, prae aliis spem faciunt rerum praeclararum gerendarum, idque strenue et cum perseverantia; pericula tamen etiam graviora incurrere possunt, nisi caveant *sibique* diffidant, fidant vero gratiae divinae; prae aliis subici possunt a directore spirituali duris etiam experimentis et humiliationibus, prudenter tamen et cum discretione; aliquando liceat eos deprimere, frangere numquam.

**Melancholici* periculosius etiam ad odium, vindictam, invidiam moventur, atque faciles sunt ad suspiciones concipiendas, in affectionibus suis tenaces. Hi *animandi* sunt, utilibus laboribus *occupandi:* motivis etiam aeternis non tam terrificis quam consolatoriis excitandi.

*Similiter ad recte iudicandum de certis poenitentibus confessario opus est attendat ad varias *systematis nervosi* affectiones et perturbationes. Permulti enim nostra aetate nervis male affectis utuntur, neurasthenia, hysteria, hypochondria, melancholia, quae aliquando in verum animi morbum transeunt. Ceterum nervorum mala affectio in animum semper influit atque moralem hominis conditionem diverso modo afficit.

*Neurasthenia 1) hominem reddit irritabilem, impatientem: quare cave, ne eiusmodi motus eorumque edita signa omnia habeas culpabilia. 2) Reddi potest voluntas hominis plane languens, ita ut homo *abulia,* quam vocant, afficiatur. Nam cum mentis consideratio in certam aliquam partem defigatur, diversae circumstantiae aestimari atque vera de rebus occurrentibus iudicia ferri difficulter possunt, atque ita, impedita iudicandi facultate, liberi arbitrii exercitium impeditur. 3) Quae quidem mentis in certam aliquam rem fixio ea esse potest, ut certis ideis vel cogitationibus quasi obruatur, neque ab eiusmodi cogitationibus vel iudiciis (ideis compulsatoriis) se expedire possit: quod a confessario sciendum est, ne homines ita misere affectos peccati arguat, quasi libere inhaeserint cogitationibus impuris, blasphemis aliterque peccaminosis. 4) Quodsi usus rationis simpliciter impediatur atque nervorum perturbatio hominem ad dementiam perduxerit, de actione morali seu de committendo peccato iam non posse esse sermonem patet. 5) Neurasthenia non raro afficit sphaeram sexualem: quo fit, ut homines sic affecti venereis motibus facillime impetantur, pollutiones patiantur, vel ad eas inducendas, promovendas et accelerandas naturaliter urgeantur. Hi certe in iis, *quae patiuntur tantum,* a culpa vacant; neque tenentur anxie abstinere ab actionibus in se indifferentibus, quae *ex se* notabilis causa esse venerei motus vel pollutionis non censentur, etsi ab ipsis haec sequela praevideatur, modo ne intendatur neve exorta approbetur. Verum aliqua actione causare velle venereum effectum iis non licet, etsi ratio sic

agendi sit exoneratio naturae atque tentationis diminutio. Magis etiam illicitum erit, ipsam actionem obscoenam eiusque voluptatem quaerere, non obstante tentatione vel vehementissima, quae impellat. Neque propter illum tentationis impulsum nervorumque irritationem qui succumbunt, a peccato etiam gravi immunes possunt haberi, quamdiu iudicium boni et mali in iis manserit integrum. Quodsi animi perturbatio perturbaverit rationem seu iudicandi inter bonum et malum facultatem, deerit liberum arbitrium atque merendi vel demerendi facultas.*

QUAESTIO II.

Quae sint observanda circa eorum, qui perfectionem sectantur, tentationes occultas.

246. Resp. Cum daemon non aperte tantum, sed non raro occulte et ex insidiis instar latronis simulantis amicum animas aggrediatur, vel inordinatum timorem incutiendo, dum sperandum, vel implendo spe immodica, dum timendum esset, atque ita agat contra incipientes, proficientes et provectos in vita spirituali: invigilandum est confessario, ut impostoris insidias detegat et dissipet. Quae sunt sequentes:

1. Si *incipiens* primo velut lactantis gratiae filius perceperit teneram devotionem, Deus volens cibo fortiore eum roborare, saepe delicias paulatim subtrahit; daemon autem tunc anxietates ingerit et caliginem conatur offundere, quare poenitens, licet videat pulchritudinem virtutis, putat, eam se assequi non posse. Quod si advertat confessarius, doceat, in quo vera virtus verusque profectus consistat: profectum et pugnam ad Deum pertinere, qui noverit tempore opportuno dare victoriam; negotium perfectionis non perfici uno die, sed lente, uti plantae crescant et fructus maturescant; proinde magno animo poenitens agat, quod possit per gratiam, Deique auxilium patienter exspectet. Si daemon suggerat, tenerae devotionis defectum esse ex propria poenitentis culpa, ideoque, ut solet, instiget pro recuperando vigore ad austeritates

et mortificationes insolitas, cavendum magnopere, ne inconsulto confessario obsequatur: quaerit enim malignus eum perdere et ineptum reddere ad Dei obsequium, et tandem, dum poenitens videt se ne sic quidem assequi quod intendit, eum deducere ad laxitatem, immo ad hoc, ut, sibi persuadens se posse in quovis statu salvari, a recta semita deflectat, et ut, si sit in religione novitius, ad saeculum se recipiat. In has cogitationes si poenitens adductus sit, non leviter sed graviter cum eo agendum est: «Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei» (Lc 9, 62). Nostine, utrum non perseverantia finalis et aeterna salus tua pendeat ab hac constantia in coeptis? Sunt quos Deus vocaverit ad statum perfectionis, sine qua salvi non erunt. Gratia ab eius, non a nostro pendet arbitrio. Putas te in saeculo multum boni posse facere; sed nescis, an *hanc* gratiam sis habiturus, ut facias. «Est via, quae videtur homini iusta: novissima autem eius deducunt ad mortem» (Prv 14, 12). Sed demus te multum boni esse facturum; at quid, si a salute tua aberres, si non praestes ex beneplacito Dei? «Bene currunt», aiebat ad quosdam *S. Augustinus,* «sed in via non currunt» (Serm. 141, c. 4; *ML* XXXVIII 777). Quidquid homo ex voluntate propria agit, nullius est momenti. «Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum» (Os 13, 9).

2. *Proficientibus* conatur persuadere daemon, eos iam eo esse progressos, ut ex parta annona honeste possint vivere, ut dicant: «Nihil violenti perpetuum; arcus semper intensus rumpitur»; atque ita paulatim ad tepiditatem eos adducit, amorem commodorum et socordiam ingerens, ut hoc velut malo hectico correpti tabescant et pereant. His mali sui gravitas, origo, effectus, remedia proponenda sunt. Oritur hoc malum partim ex intellectu, partim ex voluntate. Intellectus paulatim privatur ea, quam conceperat, aestimatione perfectionis et coniunctionis cum Deo, privatur lumine, quo dirigebatur in suis actionibus, privatur vilipensione, quam conceperat, mundi bonorum et voluptatum. His voluntas seducta

novo capitur terrenorum amore; tamquam grande amplectitur, quod ante tamquam inane abiecerat; horret gravia et tamquam gravia fugit, quae ante tamquam levia amplectebatur, utpote destituta vigore caritatis. Non abstinet quidem primo ab omnibus mediis perfectionis: orat, sed sine attentione et reverentia; sacra mysteria frequentat, sed sine praeparatione; libros legit, sed sine recta intentione. Tandem incipit omittere, quae sine superioris reprehensione omittere potest, et negligit non raro orationem. His primum contentus est daemon; deinde adducit ad neglectum omnis exercitii spiritualis; tum demum illum aggreditur forti tentatione et in mortale peccatum praecipitat, praecipitatum reddit sui pertaesum, accensoque tum appetitu irascibili, de peccato in peccatum praecipitat, et aut a fide aut a religione abducit, verificaturque in eo illud: «Percutiat te Dominus amentia et caecitate» (Dt 28, 28). Huc prolabuntur tepidi, estque difficillimum eos curare et ad fervorem revocare, si antea multum progressi erant, quia veritates evangelicae, quibus perspectis peccarunt, non amplius eos movent, nec novissima terrent. Valet suo modo illud Apostoli: «Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum coeleste, . . . et prolapsi sunt: rursus renovari ad poenitentiam» (Hebr 6, 4 6). Itaque confessarii erit aut malum praevertere, aut, si iam invaluit, priusquam ad extrema deveniat, manum medicam adhibere. Initium teporis difficulter, progressus autem eius facile advertitur; si enim sedulo discutiatur oratio, mortificatio, modus resistendi tentationibus, dispositio ad sacramenta, amor solitudinis, desiderium proficiendi: apparebit, utrum quis progrediatur in virtute, an deficiat.

Modus curandi hic esse poterit: Qui non est in tepore adeo progressus, iubeatur omnia exercitia devotionis neglecta resumere et bene peragere, et facile ad meliora redibit. Deinde ad mentem revocet iacturam gratiae, huius pretium, temporis a Deo concessi finem, damna et pericula teporis. «Quia tepidus es, . . . incipiam te evomere ex ore meo» (Apc 3, 16).

«Memor esto itaque, unde excideris, et age poenitentiam, et prima opera fac: sin autem, venio tibi: et movebo candelabrum tuum de loco suo» (Apc 2, 5). Si provectior fuerit, adducatur, ut in secessu sacro exercitia obeat. Si magnes suo vigore incipiat destitui, ferri ramentis undique coopertus vires pristinas resumit.

Si iam in profundum venerit poenitens, ne desperet confessarius, sed media inter spem et metum excitandum incedat via. Primo benevole eum excipiat, ostendatque verbis suavibus vultuque amoeno se ipsi compati. Rigor hic venenum esset. Apiculae moderato aeris sono revocantur dispersae, altiore strepitu fugantur. Unica mellis gutta plures muscae capiuntur, quam integro cado aceti. Subinde proponat motiva fiduciae in Deum concipiendae. Denique ostendat hanc mutationem velut opus Dei maiestate dignum redundaturam in maiorem Dei gloriam, quia sic maxime manifestabit suam omnipotentiam et misericordiam. «Haec mutatio dexterae Excelsi» (Ps 76, 11). Si gaudium est in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quanto magis celebrabitur tanta conversio! Iniuriam facit Deo, qui eum deserit; maiorem facit qui illi diffidit. Anima tua sanguine stetit tuo Salvatori; num eam perditam volet, quam sic dilexit?

Quodsi advertat confessarius se his non proficere, a spe ad terrorem deflectat, exponatque illi gravia pericula teporis et damna, mortem periculosam: Frustra in lucta ultima inclamabis Dominum, cui tam diu surdas aures praebuisti. Ipse tunc in interitu tuo ridebit, et daemon, cui toties es obsecutus, ferocius in te saeviet. In morte incipiet supplicium, non conversio. Solet daemon hanc texere stropham: Alii hoc et isto modo vivunt, nec de sua salute desperandum putant, sed viri sunt honesti, ducunt in deliciis et commoditatibus dies suos, et magni fiunt; haud dubie sunt viri eximii. Dici non potest, quantum damni afferat haec machina viventibus inter tepidos, si nimirum vivunt in communitate relaxata. Consuetudo vim legis sibi arrogat; non sentitur graveolentia

propria, ubi foetent mores communitatis, et unusquisque facile sibi persuadet, bene se vivere, si vivat ut pars maior communitatis et praesertim ut suus superior. Hunc sensum perniciosum corrigat confessarius, doceatque imprudenter a caeco peti, ut viam demonstret; sequendam esse eam, quam Deus docet. «Non sequeris turbam ad faciendum malum» (Ex 23, 2). Quid proderit turba, ubi singuli iudicabimur? Suadeat considerationem sacram, lectionem pii libelli cum desiderio proficiendi etc. «Fili, in tua infirmitate ne despicias te ipsum, sed ora Dominum, et ipse curabit te» (Eccli 38, 9). Discat se vincere primum in minoribus, ut paulatim fiat aptus ad se vincendum in maioribus, idque praesertim in exercitiis antea adhibitis rite peragendis; sicut enim horum neglectu tepidus evasit, sic eorum accurato usu calidus fiet.

3. *Provectioribus* solet inimicus tendere laqueum superbiae et temerariae cuiusdam fidentiae; cum enim experiantur amore insolito se Deo coniungi et vilescere sibi mundana prae felici statu suo, excitat eos, ut arripiant occasiones non secundum scientiam putentque in rebus exiguis deflectere non obesse. His proderit instans oratio, discussio sui, fragilitatis suae consideratio et examen particulare; neque enim omnes motus etiam in eiusmodi hominibus sunt a gratia, neque praecipitatio est instinctus Spiritus Sancti. Natura saepe gratiam praevenit, eam comitatur flectitque in detrimenta. Quodsi evenerit — id quod fieri potest, etsi rarius accidit — talem labi in letale peccatum, confessarius eum benigne excipiat, nec ulla edat signa admirationis aut indignationis, ne eum deiciat. Quid enim mirum labi hominem, qui ob corruptos humores congenitos omni momento labi potest? Caro corrupta prona in malum est ab adulescentia, nec sic gratia naturam confirmat, ut nulla rima peccato pateat. Mirum potius, quod post lapsum confusione plenus se accuset. Caecum labi in foveam nemo miratur, nemo ei indignatur, sed manum ei quivis benevole praebet. Si sic lapsus vehementer sibi in-

dignetur, potest is effectus esse ex gratia, potest etiam adiunctam habere superbiam, cum existimet talem casum sibi accidere non debuisse. Proinde confessarius purget aurum a scoria, permissoque iusto dolore, acerbitatem omnem ex superbia natam tollat, et poenitentem ad spem, caritatem et humilitatem excitet.

Ad *spem* erigi potest hoc modo: Lapsus tuus potest tibi esse maioris sanctitatis initium. Novit Deus ex lapsu Adami maxima bona elicere, sciet etiam ex tuo. Gloriae suae incrementum capiet te iustificando; est enim iustificatio excellentius opus, teste *S. Thoma*[1], quam creatio totius mundi, quia est elevatio hominis ad filiationem Dei, eique obstat peccatum removendum. «Exaltabitur [Deus] parcens vobis» (Is 30, 18). Vertit Deus lapsum peccatoris poenitentis in exaltationem eius, et, quod magis mirandum, arripit Dei bonitas ex lapsu occasionem maiore benevolentia vere poenitentem complectendi, quam antea innocentem, vertens ruinam in splendorem, damna in lucrum: «Si reversus fueris ad Omnipotentem, aedificaberis . . . dabit pro terra silicem et pro silice torrentes aureos . . . deliciis affluës, et elevabis ad Deum faciem tuam» (Iob 22, 23—26). Non est metienda misericordia Domini secundum angustias cordis nostri. «Quam magna misericordia Domini, et propitiatio illius convertentibus ad se!» (Eccli 17, 28.) Dei bonitas ultra omnem limitem se extendit, in illa merguntur omnia peccata poenitentis. «Miserebitur nostri: . . . et proiciet in profundum maris omnia peccata nostra» (Mich 7, 19). Non est, cur poenitens despondeat animum, sed potius, cur maiorem concipiat fiduciam, exemplo Davidis, qui lapsus cum tanta gloria surrexit. «Domine, propitiaberis peccato meo»: Cur? «Multum est enim» (Ps 24, 11): quia nimirum erigere eos, qui lapsi sunt gravius, commendat magis misericordiam et omnipotentiam Dei, estque ingenium benignitatis curare infirma,

[1] I^a 2^ae, q. 113, a. 9 ad 2.

lapsa erigere, ibi magis erogare opes suas, ubi maior est inopia. Pastor bonus Christus sollicite quaesivit oviculam perditam; de inventa convocatos sibi voluit gratulari. In vitis Sanctorum vix reperitur innocentibus collatum aliquid specialis favoris, quod non pariter Deus vere poenitentibus contulerit.

Ad *caritatem* excitetur ei persuadendo, ut deinceps maiore fervore et diligentia operetur, ut conquirat occasiones Deo impensius serviendi et iniuriam duplicatis obsequiis compensandi. Miles fugitivus, quando redit, generose pugnando ignaviam compensat et maculam delet. Ita agendo lapsum et maculam delebit. Deus lapsum permisit, ut ex veneno medicinam extraheret, nec vult infelicem immodico pavore corrumpi, quo vires animae enervantur, teste Scriptura: «Si desperaveris lassus in die angustiae: imminuetur fortitudo tua» (Prv 24, 10).

Ad *humilitatem* inducatur, quia, cum violatae caritatis origo est superbia, studiose humilitati incumbendum est. Itaque animo humiliet se, recognoscens suam indignitatem, impotentiam, nihilum, exteriusque se gerat tamquam hominum consortio Deique conspectu indignum; sistat se statutis diebus coram Domino tamquam foedifragus, confusione plenus; accuset se de sua perfidia, instar filii prodigi, non audens oculos levare ad patrem offensum; offerat se ad quamcumque poenam; indignum se reputet, qui assumat nomen Domini per os suum, ut S. Thais, quae, conversa a S. Paphnutio, eius iussu his usa est ad Dominum vocibus: «Qui plasmasti me, miserere mei!» Fugiat sensuum oblectamenta, se vel vilissimis indignum reputans. Ego mihi, qui fui hostis Dei, indulgeam? Ego abutar eius donis, sectando voluptates? Adoret Dei iustitiam, seque meritum esse fateatur, ut permitteretur sic labi. Sedulo vitet occasiones relabendi. Lapsus in foveam studiosius deinde cavet. Et ita fiet, ut robur, quod ante habuit, recipiat. Demum cavenda est inordinata tristitia.

QUAESTIO III.

Quid sit notandum circa diversos animi motus, inspirationesque boni et illusiones mali spiritus.

247. Resp. Magna discretione et lumine divino adiuvante diligenter expendendi et distinguendi sunt motus voluntatis et illustrationes visionesque animae, ut nimirum discernantur, a quo spiritu proveniant. Nam est quidem spiritui Dei, teste Apostolo (1 Cor 2, 10 sqq.), proprium docere nos, illustrare intellectum, ad bonum movere et regere voluntatem tum per se tum per bonos angelos; at non raro, teste eodem Apostolo (2 Cor 11, 14), ipse satanas transfigurat se in angelum lucis, et spiritus daemonis fingit se spiritum Dei, imitando huius impulsus et interiora colloquia, ita ut, quem homo motum et impulsum Spiritus Sancti existimat in suum profectum immissum, sit impetus daemonis in eius perniciem tendens iuxta illud Prv 14, 12: «Est via, quae videtur homini iusta: novissima autem eius deducunt ad mortem.» Novit nimirum daemon movendo phantasiam et appetitum sensitivum in anima nostra tales ciere affectus, ut, cum revera sint umbratiles pictaeque virtutes, verae tamen esse videantur, et ut iisdem inescentur, qui multum sibi tribuunt in rebus spiritualibus. Sunt tamen etiam aliae illusionum et deceptionum causae, nimirum passionum nostrarum ardor et furor, quibus cum cor agitatur, iudicium rationis invertitur et sinistro affectui accommodatur; atque ita fit, ut iudicetur pulchrum, quod turpe est, dicaturque malum bonum et bonum malum. Deinde similitudo magna inter affectus aliquos virtutis et vitii: unde fit, ut vitium virtus existimetur, v. gr. ira iudicetur zelus, pro liberalitate prodigalitas, pro humilitate pusillanimitas et hypocrisis, pro confidentia praesumptio, pro constantia pertinacia, pro amore divino amor proprius habeatur et exerceatur. Atque in his non aberrare difficillimum est, quia imbecillitas intellectus nostri abyssum cogitationum et affectionum, quae in corde nostro geruntur, penetrare non potest; sed illam penetrat et scrutatur solus Deus. Unde, monente

S. Gregorio M., diligenter invigilandum est, tum «ne per apertum impetum carnis ducamur», tum «ne se impetus carnis quasi sub impetu spiritus latenter subiciat, et culpas, quas agimus, nobis virtutes fingat» (In Ez. hom. 5, n. 3; *ML* LXXVI 822). «Nolite», inquit *S. Ioannes* (1 Ep. 4, 1), «omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint.» Hoc nisi fiat, credes falsum spiritum verum et sequeris, verumque credes falsum et proicies. Quod utrumque periculosum est.

Ad hanc probationem et examen largitur Dominus Deus noster illud donum, quod ab Apostolo appellatur discretio spirituum; at illud non datur omnibus fidelibus, sed iis, quos magistros et duces constituit et probatores in republica suorum posuit, ut discernant aurum a scoria, separent pretiosum a vili et sint quasi os eius. Sunt tamen etiam indicia, quae ad discernendos spiritus iuvent, neque propria industria excludenda, sed ab omnibus adhibenda est. Neque tamen laborandum, utrum motus bonus sit a solo Deo an ab angelo bono vel ex virtute et recta affectione animae, aut utrum malus motus a daemone sit an a carne nostra; hoc enim discerni non potest semper nec semper necessarium est.

QUAESTIO IV.

Ex quibus discerni possit, utrum visiones, suggestiones, illustrationes et motus animae sint a bono an vero a malo spiritu.

Spiritus bonus movet ad vera et utilia, ad mortificationem, plerumque ad ordinaria tantum; signum boni spiritus est, si motus incipit in intellectu et voluntate, si inspirat amorem rerum humilium. Motus mali spiritus tendunt ad vitia et falsa, animum in fine perturbant. Signa deceptionis; indicia visitationis divinae.

248. Resp. Discerni non raro poterit ex sequentibus: 1. Spiritus bonus non inspirat, quae repugnant veritati, v. gr. Sacrae Scripturae, doctrinae in Ecclesia receptae, moribus Sanctorum, vitae Christi; sed his conformia; nec quae sunt frivola, inutilia, impertinentia; sed utilia, solida ect.

Unde sensa, quae huic regulae sunt contraria, non sunt a Spiritu Sancto.

2. Spiritus bonus movet ad sui abnegationem, mortificationem et tolerantiam adversitatum, Christi imitationem, resignationem voluntatis, subiectionem proprii iudicii, oboedientiam perfectam, humilitatem, contemptum mundi, fugam honorum etc., ut operemur ex debito fine, nempe ad gloriam Dei. Unde motus boni spiritus comitem habet rectam intentionem.

3. Spiritus bonus discretus est; unde *ordinate* procedit, ita ut, si animam introducat in cellam vinariam, nempe sanctorum affectuum, in ea ordinet caritatem.

4. Hinc generatim non movet nisi ad res ordinarias vel viribus cuiusque sine miraculis accommodatas, ducendo per vias rectas et planas. Est enim Deus auctor huius ordinariae ad coelum viae; inspirat tamen quandoque extraordinaria, sed fere non nisi in iis, qui humilitate bene fundati et liberi sunt a titillatione vanae gloriae, ne homo impellatur in ruinam. In motu ad extraordinaria bene excutiendus est finis. Videri potest *Ven. Ludovicus de Ponte* in Duce spirituali tr. 1, c. 23.

5. Signum boni spiritus est, si visitatio et inspiratio est in sola superiore animae parte, seu in intellectu et voluntate, vel saltem in ea orta est, licet in partem inferiorem seu phantasiam et appetitum sensitivum se effuderit. Nam Deus solus potest immediate agere in partem superiorem animae, non vero daemon. Qui tamen potest commovere humores et species per sensus ingressas revocare in memoriam, eas mutare, coniungere, sicque movere phantasiam et appetitum, consequenter excitare intellectum et allicere voluntatem ad actus, quos intendit, etiam efficere devotionem sensibilem, ciere lacrimas aliosque effectus, qui a potentiis corporis dependent. Hinc sicut Deus complexione hominis saepe utitur ad excitandam veram devotionem, sic daemon ad excitandam falsam ea utitur. Ex his patet duo esse consolationum et

gaudiorum internorum genera: alia enim incipiunt a parte superiore et transeunt ad inferiorem; alia incipiunt a parte inferiore, possuntque esse a malo spiritu, qui facilius illudit melancholicos et nimis affectuosos, non ita illos, qui sunt animi virilis, quieti, affabiles. Ceterum valde experti sensu quodam interno discernunt divinas inspirationes ab aliis, etsi discrimen explicare non possint, sicut amicus amicum ex signis discernit, et mellis saporem percipimus nec tamen explicare possumus.

6. Signum Spiritus Sancti est sensus saporque quidam humilitatis in imo corde; ut si quis non desideret extraordinaria, non propendeat ad exercitia, quae sint admirationi, sed ponat sanctitatem in ordinariis bene agendis; si se indignum reputet donis Dei, se propter illa non efferat nec aliis praeferat; si gaudeat de contemptu, quando confessarius iudicat illustrationes illas esse illusiones; si dona sua occultet, si confugiat illucescente speciali visitatione ad humilitatem, singulares favores nolit, nisi ut Deo placeat, si penetret profundum sui nihili etc.

7. Malus spiritus movet: si suggestio tendit ad falsitatem et vitia, ut solet facere daemon variis modis; nam aliquando suggerit manifestum mendacium, sed illud falsis rationibus vestit et obducit, ut verum existimetur; alias suggerit vera, sed dolosam inde deducit conclusionem. Sic haereticos permittit sentire vera esse, quae continentur in Sacra Scriptura, sed intelligenda dicit ab unoquoque iuxta proprium iudicium. Interdum suggerit per aliquod tempus vera, ut hominem securum reddat, moveri se spiritu bono, sed postea addit de suo errorem et incitamentum ad peccatum. Si advertatur malum spiritum movere ad bonum, hoc quidem non ideo est omittendum, non tamen agendum, quia ille movet, sed quia vel fides vel recta ratio vel honestas id suadet; neque tunc caret bene operans suo merito, sicut, si ex mala intentione ab aliquo inducereris ad dandam eleemosynam, tu vero recta intentione dares, merito non careres. Si post suggesta

bona falsum quid vel malum ingeritur, signum quidem est hoc esse a malo spiritu; non tamen existimandum omnes inspirationes, quas homo talis habet, esse illusiones a malo spiritu; quia daemon solet bonis Dei inspirationibus miscere aliquas suas, animasque turbare, ut sanctas inspirationes suspectas reddat et hae ideo non admittantur. Hoc in casu humiliter rogandus est Deus, ne nos decipi permittat, et sine perturbatione est agendum recta ad Deum intentione, quod recta ratio et gratia dictat. Si suggestio tendit ad res novas, curiosas, singulares, prodigiosas, inusitatas, quae pariant in mundo admirationem et famam sanctitatis, est a malo spiritu. Item, si excitat ad superbiam, vanam gloriam, praesumptionem animi, ad desperationem, vel alium minus ordinatum affectum, aut si suadet, ne res manifestur superiori aut confessario.

8. Si blande accedat, sed postea relinquat maerorem, desolationem, perturbationem animi, tenebras: est signum mali spiritus, ut docent *S. Ignatius* in Exercitiis (in reg. de discr. spirit. pro *secunda* hebd. 1 et 5) et *S. Macarius* Homil. 7, interrog. 3 (MG XXXIV 526). Sicut enim boni spiritus est solari et tranquillitatem animi adferre, sic maligni est relinquere in animo tenebras, maerorem, perplexitatem, turbationem; nam quisque sibi consentanea operatur.

249. Ex his sequitur: 1. Misere decipi eos, qui illustrationes impulsusque divinos se habere speciales putant, si optent res extraordinarias, si ideo se magni faciant, si contemnant alios, qui tales non habent, si sensa sua leviter manifestent, quasi in aliorum utilitatem id faciant; si contempti tristentur et animum abiciant; si superbiae tentationibus cedant et glorientur de devotionis gratia, sibique in ea complaceant, vel sibi persuadeant, eam maiorem esse quam revera est, vel se ea alios superare eave melius uti quam alios. Etsi enim rebus bonis tales tentationes possint misceri, immo quandoque possit aliquid adhaerescere, attamen id non debet fieri nisi leviter et brevi tempore; alias enim gratiae illae extraordinariae redduntur suspectae.

250. Sequitur: 2. Praesentis divinae visitationis indicia esse: 1) Si subita et sine naturali causa fiat quasi commutatio animae a priore statu obscuro vel tepido vel timido. 2) Si cognitio Dei vel veritatis alicuius cum nova luce vel insolito modo producat cum quiete et suavitate odium vanitatis alicuius vel motum peculiarem ad Deum vel virtutem. 3) Si mens subito dilatetur et inspiretur desiderium perfectionis vel amor puritatis, mortificationis, imitationis Christi, perpetuae unionis cum Deo. 4) Si anima acquiescat Deo vel rebus divinis et virtutibus. 5) Si cum suavitate elevetur ad laudes et complexus Dei. 6) Si adsit sensus humilis de se solito profundior. 7) Si acceptetur contemptus pro Deo sine molestia. 8) Si iam facile homo despiciat res omnes mundi, quae cor nunc dilatatum implere non possint.

QUAESTIO V.

Quomodo devotus homo se gerere debeat tempore sive consolationis generatim, sive devotionis sensibilis.

Tempore consolationis exercenda est recta intentio, humilitas, reprimendus impetus. Vera consolatio quae sit, de devotione sensibili quid sentiendum.

251. Resp. Dum adest consolatio motioque Spiritus Sancti, 1. humiliet se homo, totum Deo tribuens, intendatque ea uti non ad suum gustum augendum vel producendum, sed ad coniunctionem cum Deo, ad eius laudem et gloriam; se omni dono Dei indignum reputet et fateatur, petatque rectum consolationis usum.

2. Cogitet, quam miser soleat esse absente Dei consolatione, et praeparet se ad desolationem: visitationes enim Dei et consolationes neque constantes et perpetuae neque omnibus aequaliter contingunt, sed modo dat eas Deus, ne deiciamur, modo subtrahit, ne iis abutamur et vertamus eas in vitium aut valetudinis detrimentum, ut agnoscamus solius Dei dona esse, ut ea ferventius desideremus, cautius iis utamur, ne labamur in superbiae laqueum vel negligamus exercitia vocationis nostrae, ut exerceamus solidas virtutes, im-

pensisque nostris et quasi de nostro laboremus. Dein tirones sunt velut in hieme, in qua sol communiter latet; proficientes sunt in vere, ubi est maior varietas; perfecti sunt in aestate, in qua calor et lux constans magis, sunt tamen etiam quandoque nubila et tempestates horrendique fragores, sed non diuturna: exspectandae autem sunt a Deo consolationes, non extorquendae.

3. Si anima, divina suavitate quasi ebria, se videatur vix posse continere, reprimat impetum, nec velit divina consilia penetrare suisque viribus opus divinum praevenire, augere et auxilium divinae gratiae quasi superare.

4. Sciendum est, veram devotionem consistere in prompta, forti et constanti voluntate faciendi quidquid Deo placere, et vitandi quidquid ei displicere novimus: non vero in sensibili cordis dulcedine et suavitate, quae lacrimas et gemitus cieat et nescio quem spiritualem gustum pariat. Unde his non est innitendum tamquam verae devotioni. Etsi enim affectus teneri et dulces saepe sint boni Deumque auctorem habeant, et ad coniunctionem cum Deo iuvent; in iis tamen devotionis substantia non consistit, immo sunt saepe periculosi et consolationes falsae, a daemone vel natura ortum ducentes. Unde multae animae his fruuntur, neque tamen veram devotionem habent: sentiunt teneros affectus, in lacrimas, suspiria erumpunt etc., dum v. gr. passionem Christi exponi audiunt; attamen inique possessa nolunt restituere, nulli commoditati renuntiare, nullam molestiam amore Christi subire volunt; similes puero, qui, dum videt matri venam incidi, plorat, et tamen pomum vel saccarum, quod forte in manu habet, illi dare recusat.

5. Si teneri illi affectus deprehenduntur esse a Deo, id quod ex effectibus eorum bonis secundum dicta colligitur — ut si ducunt ad virtutem, v. gr. humilitatem, patientiam, benignitatem, affabilitatem, misericordiam erga proximum, mortificationem, constantiam in bono etc. —, iis humiliter et in finem, in quem dantur, utendum; si autem deprehenduntur

esse a daemone vel a natura, vel de hoc iusta esset suspicio, corrigendi sunt aut reiciendi, animusque firmandus et praeparandus est ad verum Dei amorem constansque eius obsequium. Esse autem a malo spiritu, indicia praeter iam dicta sunt: si circa nos tantum versantur; si respiciunt ut finem placere hominibus, ut fit, si devotio extollitur in publico, marcescit in occulto; si laudibus delectatur, contemptu arctatur; si anxie et perturbate quaeritur; si subtracta vel dilata causat perturbationes et murmurationes; si movet ad arrogantiam, praesumptionem, asperitatem erga proximum etc. Immo etiam vera devotio sensibilis exposita est fraudibus daemonis; conatur enim amorem spiritualium vertere in sensualem, et impellere ad quandam intemperantiam seu gulam spiritualem, ad complacentiam inordinatam, et ubi naturam mollem reperit, ad dolosas lacrimas. Quare mulieres prae viris solent esse illusionibus obnoxiae; proinde magna cautela opus est solliciteque curandum, ut ex supernaturali motivo virtutes operentur.

QUAESTIO VI.

Quid circa desolationes observandum et quae regulae in iis sint tenendae.

Causae desolationis. — Regulae in ea servandae: fiduciae excitatio, discussio conscientiae, fidelitas et constantia in exercitiis piis, honesta recreatio, communicatio cum directore spirituali.

252. Resp. I. Dat Deus consolationes, *ut animus a terrenis voluptatibus abstrahatur*, illas aversetur, ad virtutes arduas excitetur; eum in finem ut plurimum immittit illas incipientibus, tractans eos ut parvulos, lacte eos attrahendo; postea autem, ubi cibos duriores norunt digerere, pascit eos esca grandium, consolationes saepe subtrahit et se quodammodo subducit, ut deserant magis semetipsos et illi serviant propter ipsum. Saepe quoque non dat consolationes aut eas subtrahit provectioribus, vel quia non expediunt, abiturae in vitium; vel quia hi, quibus datae erant, iis abusi sunt v. gr. ad vanam gloriam, superbiam, inanem de se opinionem, gulam

spiritualem, vel quia socordes fuerunt in collectione interna; in exercitiis ordinariis nondum sunt perfecti, non mortificati, non avulsi a creaturis, propriis commoditatibus adhuc dediti etc. Non enim meretur gustum coelestem, cui terrena adhuc sapiunt. Pro sua tamen bonitate desolationes Deus non permittit ordinarie esse constantes; sed sicut mundum, magno universi ornamento, mira eaque perpetua vicissitudine gubernat, ut hiemi ver, veri aestas, aestati autumnus succedat constanter, ut vix dies diei sit per omnia similis: ita gubernat sanctificatos suos, quos neque tribulationes neque iucunditates sinit habere continuas, ut scilicet modo spe erigantur, modo timore deprimantur, modo consolationes, modo desolationes experiantur, nec dies diei, nec hora horae sit per omnia similis. Huic divinae dispositioni aequum est, ut nos accommodemus. Est enim dispositio patris in bonum nostrum et gloriam eius ordinata, ne scilicet prospera continua nos extollant, neve adversa perpetua nos deiciant. Contingit quoque nonnumquam, ut vehementes tentationes medias inter desolationes et ariditates oriantur, tamque variae et spurcae cogitationes, ut quis sibi ad orationem non aliter videatur accedere, quam ut omnis generis tentationibus vexetur, immo nec de divinis, v. gr. de passione Domini, cogitare possit, et si forte cogitet, nullatenus moveatur. Talis homo in afflicto suo statu, si videt alios proficere, intellegitque magnum orationis bonum, in periculo est, ne persuadeat sibi Deum sui esse oblitum; ex quo oritur tentatio contra Deum, ac si nimis dure ageret, et incitatur homo ad orationem omittendam; suggerit etiam daemon hominem ipsum esse causam huius desolationis; unde crescit eius afflictio, et facile recedit ab oratione velut ab equuleo tristis. Pro his sequentes sunt regulae.

253. Resp. II. *Regulae in desolatione tenendae sunt:*

Prima. In nulla desolatione, undecumque est orta, despondeas animum; sed in Dei dispositionem te totum resigna, et certo tibi persuade, Deum, cuius voluntas est sanctificatio nostra, sic te velle purgare ab amore proprio et ad solidam

virtutem perducere; ad quod plurimum conferunt desolationes, si iis bene utaris. In frigore planta dilatat radicem profundiusque mittit, ut plures fructus postmodum tempore caloris proferat. Desolatio frigus est, consolatio calor.

Secunda. In ariditate constitutus examina te, citra tamen animi perturbationem et curiositatem, num ex culpa tua ortum habeat. Si, excussis omnibus, nihil in te culpae reperias, ex quo oriatur, gratias age Deo et noli curiosius ultra inquirere; sed sine ulteriore examine, cum omni candore et sinceritate coram Deo te humilia, indignum te reputans omni eius dono, et fatere te a Deo tractari, ut mereris ob delicta praeterita; immo graviora te meritum esse tibique nihil boni deberi. Quare immola te Deo, neve ores, ut statim libereris. Decet nos ipsos velut mutas hostias immolare, amantique animae satis esse debet sic Deo placere. «Haec mihi consolatio, velle libenter carere omni mundano solatio.» Si tamen sentias te fatiscere, Deum fidenter invoca, ut tibi reddat laetitiam salutaris sui et transferat a te calicem istum; id tamen roga cum plena in sanctam eius voluntatem resignatione; neque enim contentiose et cum afflictione desiderare debes, ne resignatio et debita indifferentia deficiat. Deus enim, videns indifferentiam et resignationem, citius consolabitur. Quodsi repereris ex defectu tuo ortam esse ariditatem, sincere dole de culpa, veniam posce et velut iustam poenam desolationem de manu Dei humiliter admitte, plenus fiducia, fore brevi, ut a Deo benigne recipiaris.

Tertia. Persuade tibi, verissime non esse compendiosiorem viam ad perfectionem quam magna et multa pro amore Dei pati, et lignum ad excitandum divini amoris ignem aptius non esse quam lignum crucis; nam anima, sic ab omni creatura et solatio suo abstracta, soli Deo adhaerere debet.

Quarta. Cave magnopere, ne tempore desolationis ullum devotionis exercitium propter illam omittas vel ordinaria negligas, sed potius aliquid adde et poenitentiam assume, quia in taedio talia sunt et gratiora Deo et magis meritoria. Nam

sic sine tuo solatio et cum maiore tui victoria Deo te immolas evitasque fraudem daemonis, qui in desolatione nititur persuadere nihil boni fieri, melius esse, si aliis exercitiis te occupes, eumque in finem varias inutiles occasiones suggerit: quae est eius fraus insignis. Tibi sit satis, ut obsequaris Dei voluntati, in quo summa est perfectio. Si non aeque coneris peragere tua sine consolatione, signum est, te temetipsum quaerere. Quodsi tanta sit desolatio, ut nec orationis substantiam assequaris, humilia te, ut supra dictum; et satis tibi sit, si Deus te in familia sua toleret, si te in conspectu suo versari permittat; beneficium reputa, quod Deus te poena temporanea purgare velit; propone tibi Iesum in cruce desolatum. Patientia et resignatio optima est oratio. Si doleas, quod Deo melius servire non possis, signum bonum est; dolor enim, si sincerus est, ex amore Dei procedit. Magnum Deo praestas obsequium, si perseveres in conspectu eius vigilesque ad fores eius et observes ad postes ostii eius. Quodsi nolit tibi aperire, acquiesce humiliter; «non dabit in aeternum fluctuationem iusto» (Ps 54, 23). Neque ideo puta te non esse in gratia. Desolatio cum resignatione indicium est praesentis gratiae; «flagellat autem [Deus] omnem filium, quem recipit» (Hebr 12, 6). Magni Sancti, ut S. Franciscus, S. Antonius, S. Bernardus. S. Theresia aliique, magnas passi sunt desolationes, et eas tolerando vivam Iesu Christi in cruce desolati imaginem in se expresserunt. Deus diligentes se diligit. Amorem in patrem magis probat filius, qui in rebus duris se eius accommodat voluntati, quam qui in iis non acquiescit, sed vult patrem suae voluntati obsequi.

Quinta. Si desolatio, ut quandoque contingit, ex corporis defatigatione oritur, optimum est medium honesta recreatione corpori robur restituere et interim plurimos actus virtutum voluntatis adminiculo sine violentia exercere, v. gr. frequenter Deum praesentem alloqui, eum adorando, laudando, gratias agendo, beneplacito eius se resignando. Etsi anima dormire et oppressa esse videatur, actus tamen illi spirituales Deo

maxime placent, atque plus iis inest meriti, quam si saporem haberent adiunctum.

Sexta. Tuo spirituali directori candide statum tuum aperi et media, quae suggerit, adhibe. Deus enim, utpote humilitatis et oboedientiae amantissimus, saepe facit, ut consilia a directore suggesta, etsi quandoque minus utilia videantur, valde iuvent, si humiliter suscipiantur.

QUAESTIO VII.

Quomodo confessarium oporteat dirigere poenitentem circa frequentem vel quotidianam Communionem.

254[1]. *Circa frequentem vel etiam quotidianam Communionem nunc regula desumenda est ex decreto S. C. C. iussu *Pii PP. X* dato d. 16 Dec. 1905, videlicet[2]:

1. Frequentem et quotidianam Communionem dignam fidelibus *cuiusvis ordinis vel conditionis* esse commendandam.

2. *Necessariam* dispositionem non esse nisi a) statum gratiae et b) rectam mentem: quam rectam mentem in eo sitam esse, ut quis arctius se Deo caritate coniungi velit atque suis infirmitatibus et defectibus occurrere; neque humanis rationibus, vanitate, sola consuetudine ducatur. Quapropter ne ille quidem ab hac frequenti Communione impeditur, qui aliquando graviter labatur, si modo firmam voluntatem contra peccatum dimicandi retineat.

3. Maxime quidem expedire, ut absint peccata etiam venialia plene deliberata, atque affectus ad ea; sufficere tamen illam piam et rectam mentem, quae si adfuerit, fieri non posse, ut frequenter communicantes paulatim sese a peccatis venialibus eorumque affectu non expediant.

---

[1] Cum regulae, quae antea dari solebant circa s. Communionis frequentiam, abrogatae haberi debeant, huius numeri textum expungendum aliumque substituendum esse duxi. *

[2] Hae normae per novum Codicem non solum non abrogatae, sed potius confirmatae sunt can. 863: «Excitentur fideles, ut frequenter, etiam quotidie, pane eucharistico reficiantur, *ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas.*»

4. In frequentanda s. Communione utendum esse consilio confessarii; quem cavere debere, ne recte dispositos a Communione frequenti vel quotidiana avertat.

Unde patet confessarium male agere, si a frequenti Communione repellat eamve dissuadeat iis, qui spiritu debiles sunt, frequenter peccata venialia committunt, si modo *seriam* habeant voluntatem proficiendi in spiritu seseque emendandi; de eorum autem recta dispositione confessarium suspicari debere, qui semper eodem modo tepidi venialia peccata non curant, sed post multas etiam s. Communiones eadem, vel plene deliberata, eademque frequentia committant. Id quod ex reg. 3 plane sequitur. Illos sane confessarius exstimulare debet, ut demum maiorem assumant fervorem atque ad maiorem puritatem aspirent conenturque; alioquin tandem a frequentiore Communione eos ad tempus arceat, rariorem vero cum meliore dispositione sumere doceat, atque paulatim aucto fervore vel restaurata recta mente ad frequentiorem vel etiam quotidianam Communionem resumendam reddat idoneos.

Decretum laudatum in parte sua dispositiva est hoc:

«1. Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christi fidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad sacram mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

«2. Recta autem mens in eo est, ut, qui ad sacram mensam accedit, non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

«3. Etsi quam maxime expediat, ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus, ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se numquam in posterum peccaturos: quo sincero animi proposito fieri non

potest, quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus ab eorumque affectu sensim se expediant.

«4. Cum vero sacramenta Novae Legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum, quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est, ut sedula ad sacram Communionem praeparatio accedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

«5. Ut frequens et quotidiana Communio maiore prudentia fiat uberioreque merito augeatur, oportet, ut confessarii consilium intercedat. Caveant tamen confessarii, ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

«6. Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana s. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco parochi, confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (Part. II, c. 4, n. 60), christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

«7. Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* d. d. 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

«8. Si quae sint instituta, sive votorum sollemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere directivae, non tamquam praeceptivae putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus

ad eucharisticam mensam libere iisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. . . .[1]

«9. Denique post promulgatum hoc decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam Communionem abstineant.»

Cum decretum *Pii X* quoad Communionem *religiosorum* remittat ad decretum *Leonis XIII* d. d. 17 Dec. 1890, iuvat verba huius decreti, quatenus s. Communionem spectat, hic referre:

«Quod attinet ad permissionem vel prohibitionem ad sacram Synaxim accedendi, eadem Sanctitas Sua decernit huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, quin Superiores ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam sacramentalem confessionem communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patraverit, donec ad poenitentiae sacramentum denuo accesserit[2].

«Monentur hinc omnes, ut ad sacram Synaxim curent diligenter se praeparare et accedere diebus in propriis regulis statutis; et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum confessarius expedire iudicaverit, ut frequentius accedat, id ei ab ipso confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a confessario obtinuerit frequentioris ac etiam quotidianae Communionis, de hoc certiorem reddere superiorem teneatur; quodsi hic iustas gravesque causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas confessario manifestare teneatur, cuius iudicio acquiescendum omnino erit.»

Confessarii igitur officium circa eos, qui frequenter s. Communionem sumant, praecipuum est hoc, ut ad fervidam prae-

[1] Praescriptum hoc loco singularum religiosarum domorum moderatoribus impositum curandi, ut hoc decretum quotannis vernacula lingua communitatibus intra octavam Corporis Christi praelegatur, sublatum est can. 509, § 2.

[2] Idem statuitur can. 595, § 3.

parationem et gratiarum actionem quam optimam peragendam eos exhortetur et instruat. Quae *praeparatio* est proxima et remota. Proxima in piis devotisque affectibus excitandis consistit, imprimis viva fide, profunda humilitate suique abiectione cum plena firmissimaque spe et fiducia in Christum Iesum, in completa erga Dei voluntatem resignatione, inflammato Christi intimaeque cum eo unionis desiderio, perfectaque erga eum caritate. — Remota autem praeparatio in eo est, ut habitualiter anima conservetur in puritate, immo in dies magis ab omni macula atque defectu sese expediat; ut continuo foveatur Christi eucharistici desiderium per frequentiorem in die Communionem spiritualem, et ut conformitas cum Christo, eoque paupere, abiecto, passo, semper magis in votis habeatur.

Similiter dicendum est de *gratiarum actione*. Quae immediate post sumptam s. Eucharistiam in affectibus, similiter ut supra dictum est, quam ferventissimis eliciendis exerceri debet: iique, saltem initio gratiarum actionis, potius ex intimo corde propriaque mente ope divinae gratiae hauriendi sunt, quam ex solis libris precatoriis. Et quamquam, sicut praeparatio, ita etiam gratiarum actio potius ex fervore quam ex temporis diuturnitate est aestimanda: tamen generatim neque immediata praeparatio, neque gratiarum actio infra spatium horae quadrantis deprimenda est, immo quando alia negotia non urgent, conversatio cum Christo eucharistico ut longius producatur, certe est consulendum.

Omnes autem magistri vitae spiritualis id solent inculcare, ne cum brevi illa gratiarum actione recordatio sumpti Christi eucharistici cesset, sed ut frequenter cum grato animo magnaque in bonis spiritualibus efflagitandis fiducia per diem renovetur, quo maiores sumantur vires contra peccata defectusque dimicandi atque in omnium virtutum exercitio crescendi. In quem finem praeclarum S. Aloysii exemplum ad imitandum sumi potest, qui totum tempus inter s. Communionem peractam et proxime peragendam ita dividebat, ut omnes vel minimas actiones quotidianas partim gratiarum actione pro sumpta

Eucharistia, partim desiderio et praeparatione sumptionis mox futurae sanctificaret atque in eos fines specialiter dirigeret.

*Ceterum, etsi in *suadendis* iis, quae ad devotam et fervidam Communionem iuvent, non facile nimis multi simus — quamquam etiam in hac re prudenti sobrietate opus est —, ne in iis *exigendis* excedatur, opportunum est animum advertere ad ea, quae decreto Pii X circa Communionem puerorum statuta sunt. Exhibeo integrum textum partis dispositivae decreti d. d. 8 Aug. 1910 (Act. Ap. Sed. II 582 sq):

«1. Aetas discretionis tum ad Confessionem tum ad Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive *supra* sive etiam infra. Ex hoc tempore incipit obligatio satisfaciendi utrique praecepto Confessionis et Communionis.

«2. Ad primam Confessionem et primam Communionem necessaria non est plena et perfecta doctrinae christianae cognitio. Puer tamen postea debebit integrum catechismum pro modo suae intelligentiae gradatim addiscere.

«3. Cognitio religionis, quae in puero requiritur, ut ipse ad primam Communionem convenienter se praeparet, ea est, qua ipse fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione, quam ipsius fert aetas, ad ss. Eucharistiam accedat.

«4. Obligatio praecepti Confessionis et Communionis, quae puerum gravat, in eos praecipue recidit, qui ipsius curam habere debent, hoc est in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum. Ad patrem vero aut ad illos, qui vices eius gerunt, et ad confessarium, secundum Catechismum Romanum, pertinet admittere puerum ad primam Communionem.

«5. Semel aut pluries in anno curent parochi indicere atque habere Communionem generalem puerorum, ad eamque non modo novensiles admittere, sed etiam alios, qui parentum confessionariive consensu, ut supra dictum est, iam antea pri-

mitus de altari sancta libarunt. Pro utrisque dies aliquot instructionis et praeprationis praemittantur.

«6. Puerorum curam habentibus omni studio curandum est, ut post primam Communionem iidem pueri ad sacram mensam saepius accedant, et, si fieri possit, etiam quotidie, prout Christus Iesus et mater Ecclesia desiderant, utque id agant ea animi devotione, quam talis fert aetas. Meminerint praeterea quibus ea cura est, gravissimum quo tenentur officium providendi, ut publicis catechesis praeceptionibus pueri ipsi interesse pergant, sin minus, eorundem religiosae institutioni alio modo suppleant.

«7. Consuetudo non admittendi ad confessionem pueros, aut numquam eos absolvendi, quum ad usum rationis pervenerint, est omnino improbanda. Quare Ordinarii locorum, adhibitis etiam remediis iuris, curabunt, ut penitus de medio tollatur.

«8. Detestabilis omnino est abusus non ministrandi Viaticum et Extremam Unctionem pueris post usum rationis eosque sepeliendi ritu parvulorum. In eos, qui ab huiusmodi more non recedant, Ordinarii locorum severe animadvertant.» *

† Hae normae brevi compendio comprehenduntur can. 854 supra n. 101 relato. †

CAPUT XIII.

De confessario hominis scrupulosi.

255. Scrupulus, sic dictus a parvis lapillis seu scrupis, qui calceis viatorum se ingerentes pedibus molestiam creant, est inanis apprehensio malitiae vel obligationis in opere vel omissione, coniunctum habens metum et anxietatem in voluntate. Dicitur «apprehensio inanis», quia levi aut nullo fundamento nititur; estque aliquando de rebus praeteritis, aliquando de praesentibus et obviis, aliquando de futuris. Ut autem confessarius recte dirigat poenitentem tamquam scrupulosum, debet discernere, num vere scrupulosus sit, et, ut felicius eum curet, scire debet scrupulorum causas et incommoda.

QUAESTIO I.

Ex quibus indiciis cognoscatur aliquis esse scrupulosus.

256. Resp. Ex sequentibus: 1. Si quis passim in rebus agendis dubitet, sintne bonae an malae; vel si id, quod agit, peccatum esse suspicatur sine ullo aut certe ex vano et futili fundamento. 2. Si quis frequenter mutat iudicium ob levissimam quamque apparentiam, et modo licitum modo illicitum iudicat, quod factum aut faciendum est. 3. Si format sibi multas erraticas reflexiones circa circumstantias minutiores actionum. 4. Si operatur cum caeca quadam perturbatione. 5. Si, re aliqua forte peracta perperam aut cum levi etiam peccato, mens magno tumultu involvitur, angitur cor et praeter meritum aestuat. 6. Si, ubi plures consuluit, maiores etiam angores experitur. 7. Si, quae cunctis patent, anxie examinat et velut rem obstrusam proponit, idque etiam saepius, neque uni soli, sed pluribus. 8. Si ex ratiocinio, quod nemini sano incideret, de peccato commisso certi quid statuit firmumque iudicium fert. 9. Si peccata esse existimat, quae a viris optimis sine criminis suspicione agi promiscue conspicit. 10. Si, dum conscientiae examen instituit, maioribus tenebris mentem videt obscurari. 11. Si, confessione saepius peracta, accrescunt dubia, et aliud ex alio pullulat. — Ex his signis confessarius poenitentem, et hic se ipsum iudicare poterit scrupulosum esse. Quodsi confessarius poenitenti dicat ipsum scrupulis agitari, id tamquam indubitatum teneat. At difficile est saepe id scrupuloso persuadere, fortasse, ne aliis videatur insanire aut minus prudens. Sed haec diaboli stropha est, qui una cum scrupulis insignem solet mentibus turbatis arrogantiam ingerere iudiciique pervicaciam, ut sibi soli videantur sapere et post complures consultos nemini nisi sibi credant; qui perniciosissimus est error insignisque et intolerabilis superbia, qua fit, ut omnem medicinam respuant.

QUAESTIO II.

Quae sint causae scrupulorum.

257. Resp. Causae sunt potissimum tres: Deus, hominis complexio, daemon.

1. Scrupuli quandoque proveniunt *a Deo;* non quod Deus immittat falsas apprehensiones, sed quod iustissimis de causis luminis vigorem non largiatur, nempe ut homo per tolerantiam scrupulorum satisfaciat pro peccatis praeteritis, ut retrahatur a dissoluto vivendi genere et ad meliorem frugem reducatur, ut ob peccata commissa anxius ea saepe detestetur et a peccatis longius recedat assuescatque vel eorum umbram perhorrescere, denique ut discat magna cum fiducia ad Deum recurrere, eius auxilium pro evitandis peccatis implorare.

2. Saepe proveniunt *ex hominis complexione*. Certum enim est apud omnes theologos scrupulos saepe nasci ex corporis, cerebri sanguinisque temperie, aut inde iis occasionem subministrari; ac 1) quidem indoles melancholica perquam apta est scrupulis generandis et fovendis. Nam ut passim melancholici sunt ingenio acuti et natura suspicaces tenacesque rerum, quas apprehendunt, ita proni sunt ad omnem mali suspicionem, minima quaeque volunt perscrutari, aliis aegre acquiescunt, suis etiam ratiocinationibus non fidunt nec ab iis facile recedunt. Eorum phantasmata cerebro insculpuntur, vivacius et tenacius inhaerent, atque etiam hinc perturbata mens a phantasmate semel concepto se non facile patitur amoveri. Et haec ratio est, cur melancholicus fere uno tantum alterove scrupulorum genere divexetur; cum enim phantasma eius sit lentum et pertinax, idque fere semper menti oberret, hanc non libet ad alia divertere; hinc scrupuli ex melancholica indole orti sunt aliis longe deteriores et tetriores, crescuntque et decrescunt pro diversis anni temporibus. 2) Scrupulorum origo quoque est phlegmatica temperies in humano corpore; haec enim cum sit frigidior, homo timori et pusillanimitati

est plerumque magis obnoxius, terreturque ad primam mali speciem, ut res longe aliter appareant, quam vere sint. Phlegmaticorum scrupuli varii sunt et minus pertinaces; iis obnoxiae sunt feminae, crescunt in morbis, quia aegritudinis acrimonia moventur humores, idem fit tempore verno et autumnali. 3) Causa interna scrupulorum est quandoque laesio aliqua cerebri, contracta per attentionem nimiam et applicationem, per studium aut per abstinentiam. Qui sic affecti sunt, saepe laborant uno scrupulorum genere, v. gr. circa mysteria fidei, vel iustitiam, vel confessionem, vel correctionem fraternam, ad cetera autem diiudicanda sunt satis expediti. Quorum status, si ceteroqui sanum habent cerebrum, ita explicari potest, ut timore incitante varia peccatorum simulacra phantasiam permearint, at unum fortius inhaeserit et ibi sedem fixerit. Ad hoc autem vel eius similia mens facile respicit cum trepidatione; unde qui graviter passus est semel in aliqua materia, v. gr. restitutionis, eadem recurrente trepidat et turbatur. 4) Ea quae ex his complexionibus oritur imbecillitas iudicii, occulta superbia, nimius peccandi timor, pusillanimitas animi nescientis timores contemnere inanes, causae sunt proximiores scrupulorum.

3. Proveniunt scrupuli non raro *a daemone,* qui dextere eos fabricare novit. Hic in hominis perniciem semper intentus solet observare conscientias, ut, si laxae sint, eas magis laxet; si autem angustae, eas magis constringat, hominemque in praeceps agat. Non vexat autem scrupulis magnos peccatores, quia aut in his metus exstinctus est ex abundante malitia, aut daemoni sufficit, ut eos in sua iniquitate detineat magisque in profundum agat. Neque vexare adeo solet magnos sanctos, quia in iis timor a perfecta caritate devictus est; sed prae aliis eos, qui incipiunt Deo se dare, praesertim qui a magnis peccatis conversi sunt in viam rectam. Hos ut perturbet, involvat et a profectu in spiritu impediat, circumspectat omnia. Cum totam corporis temperiem, quod ipsi facile est, perspexerit, novit movere sanguinem, alterare hu-

mores, et varia, quae in cerebri ventriculis latent, simulacra phantasiae obicere, species diversas combinare et quasi consuere, imaginemque tetricam peccati seu commissi seu committendi falsam ad cerebri quasi valvas vi detinet, ut sic ipsa sola menti obversetur, atque ita terret; dein illud phantasma quandoque effingit in figuram deteriorem, vel alia addit scelerum simulacra, quibus percellat animum et in desperationem adigat. Versutia sua maxime utitur, quando animus aliunde casu aliquo sinistro perculsus est, aut corpus peius se aliquando habet, vel moerore tenetur animus, atque ita in turbido piscatur.

Dixi in responsione: tres causas esse potissimas; nam causa scrupulorum quoque esse potest confessarii scrupulosi directio, conversatio cum scrupuloso, si eius scrupuli audiuntur et tamquam veritates recipiuntur etc.

QUAESTIO III.

Unde cognoscatur scrupulos esse a Deo, a naturali complexione vel a daemone.

258. Resp. I. *A Deo* scrupulos esse, signa sunt sequentia: 1. Si inducunt horrorem peccati sincerum fugamque sollicitam et morum mutationem. 2. Si sunt a Deo, diu durare non solent, sed magna mentis malacia terminari; cum enim Deus non immittat scrupulos, nisi ut magis purgetur animus, horror peccati concipiatur, animus inflammetur amore virtutis et satisfaciendi pro peccatis commissis, atque ut ad se fiducialiter recurratur; his obtentis Deus solatur animam et scrupulos disicit, ne homo succumbat. Per hominem tamen stat scrupulos fovere. Si enim per orationem ad Deum non recurrat, suo nitens cerebro, oboedire directori suo detractet, fieri potest, ut contrahat habitum fiatque difficulter curabilis. 3. Si oriuntur ex horrore peccati, probabile indicium est eos esse a Deo; hic enim horror ex radice bona est, etsi ex corde timore constricto vitium trahere potest.

Contra, si durant diu et nusquam finem habent de repetendis confessionibus, manifestum signum est eos non esse a Deo. Utrum autem tunc a natura an a daemone ducant originem, ad rem non facit, dummodo constet a Deo eos non esse; a quacumque enim alia causa profluant, aequale damnum inferunt animae et corpori. Certum est ex una parte daemonem per scrupulos nihil posse agere in animam nisi mediante corpore, ex altera parte autem, cum primum animadverterit corporis dispositionem, cerebrum laesum, malos humores excitatos, eum, quantum per ipsum steterit, ilico solere adesse, ut imposturis suis hominem fallat. Similiter indicium est scrupulos a Deo non esse, si quis suspiret ad Dei obsequium perfectum, peccata caveat omnia, et tamen circa nugas angatur; item si scrupuli inter se pugnent et collidantur.

259. Resp. II. Si nulla praecedente causa cor angitur, cerebrum obnubilatur, horrore subito membra corripiuntur, atque inde mens agitatur scrupulis; non ex vano dices, *ex natura* illos initium ducere; idque longe certius est, si undique et omni actione scrupulis angaris, v. gr. sive comedis, sive abstines, sive loqueris, sive taces, sive domi manes, sive egrederis etc. Item si quis constanter quidem agit, sed cum perturbatione et timore; si est genii tetrici, cavillatorii et heterocliti.

260. Resp. III. Scrupulos esse *a daemone,* indicia sunt haec: 1. Si quis se sentit iis ad teporem adduci et sensim de mentis constantia deici, avocari nimia fatigatione a virtutis studio; praecipue si sentit se inclinari in desperationem de salute. Notavit hoc S. Ignatius in libello Exercitiorum (in reg. de discr. spirituum pro *secunda* hebd. 5): «Sin autem per discursum mentis aliquid offertur vel sequitur, quod ex se malum sit vel avocet a bono vel ad minus bonum impellat, quam anima prius quaerendo sequi decrevisset, vel animam ipsam defatiget, angat ac perturbet, sublata quae prius aderat quiete, pace ac tranquillitate, evidens tunc erit indicium,

auctorem esse cogitationis eiusmodi spiritum malignum, utpote utilitati nostrae semper adversantem.» 2. Si in sanctissimis actionibus intercurrunt, praesertim si iis alias non soleat homo admodum perturbari. 3. Si sunt circa unam tantum alteramve peccati speciem, neque alia tantopere exhorrescas; Deus enim omnia prorsus scelera aversatur. 4. Evidentius erit iudicium, si ad cetera proiectus sis et parvi pendas, quod Deus dissolutis tuis moribus offendatur, et interim in minoribus mirum angaris.

QUAESTIO IV.

Quae damna sint scrupulorum.

Scrupuli quatenus a Deo sunt, utilitatem afferunt; quatenus ex naturali complexione vel a daemone oriuntur, omnino nocent.

261. Resp. I. Scrupuli, si sunt *a Deo* nec vitio hominis nimis diu durant, sunt admodum utiles; nam purgant animum, horrorem peccati ingerunt et ad virtutis studium impellunt.

Resp. II. Si *a naturali complexione* oriuntur, sunt admodum perniciosi, maxime si sinantur invalescere. 1. Quia nocent animae; nam spem, fortitudinem, oboedientiam, orationem debilitant aut plane evertunt: spem quidem, quia, cum natura timere semper refugiat, fiet, ut homo aut ad laxitatem declinet aut confidentiam erga Deum vel amittat vel multum infirmet. Quomodo enim Deo fidat debite, qui illum ut severissimum exactorem semper intuetur? Verum fiducia clavis est ad coelestes thesauros; hos igitur quomodo obtinebit, qui clavem abiecit? Fortitudinem infringunt; quid enim magni audeat, qui exiguae est erga Deum fiduciae, qui ab imaginario hoste occupatur et sternitur, neglecta de passionibus suis victoria, similis Heliogabalo, qui, dum hostes provincias diripiebant, curabat Romae telas aranearum colligendas et ponderandas? Deinde debilitant aut eliminant oboedientiam, cum faciant scrupulosum suis nugis obtemperare, simulque eum inducant, ut agat contra voluntatem Dei, quae illi per

patrem spiritualem vel directorem indicatur. Denique orationem evertunt aut saltem debilitant, quia vim mentis enervant, ad nugas distrahunt, inquietant, animum ineptum reddunt ad coniunctionem cum Deo etc. 2. Ineptum reddunt ad fructuose agendum cum proximo et pro eo; sunt enim eiusmodi homines plerumque tetrici, morosi, domesticis graves. 3. Nocent corpori; per continuos enim angores cor constringunt, sanguinem corrumpunt, spiritus vitales consumunt, caput debilitant. Hi scrupuli, nisi in principio iis obsistatur, difficiles sunt curatu, quia radix eorum circumfertur ubique; facilius tamen ab his curantur, qui intellectum habent, ut rationabili discursu possint informari, quam qui meris ducuntur apprehensionibus.

Resp. III. Scrupuli, qui *a daemone* ortum habent, pessimi sunt, quia directe in ruinam excitantur; inferunt damna iam relata, faciuntque tandem, nisi occurratur, ut qui iis vexatur in desperationem agatur et cupiditatibus suis frena laxet; id quod daemon intendit. Sunt tamen hi scrupuli curatu faciliores, nisi daemoni in subsidium veniat melancholica aut phlegmatica complexio corporis, aut habitus validus iam sit contractus, vel nisi alia causa, v. gr. superbia, pertinacia vel iudicii debilitas, curationem efficiant difficiliorem.

Facit nihilominus Deus pro benignitate sua, ut et hi et qui a naturali complexione orti fuerint scrupuli cedant in utilitatem hominum, eos consolans et confortans, ut patienter illam afflictionem ferant, ut fiant cautiores et solliciti, ut ad Deum omnia referant, ut se humilient et videntes suam infirmitatem aliorum iudicium exquirant, ut apti reddantur ad alios aliquando iuvandos; nam vix quisquam scrupulosum diriget recte, qui scrupulos ipse expertus non est. Immo Deus hac afflictione aliquos facit sibi martyres, solentque in vita scrupulis cruciati in mortis articulo maximis abundare consolationibus, etiam ex eo, quod semper conati sint conscientiam servare mundam Deumque non offendere.

QUAESTIO V.

Quomodo agendum sit confessario cum scrupuloso.

Confessarius expendere debet, num poenitens sit vere scrupulosus; cuius curam ut suscipiat, postulet oboedientiam; cognoscere studeat scrupulorum causas. — Reliquus agendi modus.

262. Resp. 1. Antequam confessarius poenitentem tractet tamquam scrupulosum, magna circumspectione dispiciat, num vere sit scrupulosus; saepe enim apparent scrupulosi, qui non sunt. E contrario aliqui sunt scrupulosi, qui tales non apparent. Sunt qui circa multa sint anxii, sed non sine iusta et rationabili causa, v. gr. circa restitutionem, quia laxe processerunt, circa confessiones vitae praeteritae, quia non accesserunt cum praeparatione debita. Hi non ideo censendi sunt scrupulosi; neque illi, qui solliciti sunt, immo et moderate anxii, ne Deum vel levissime offendant, utque peccata sua apud sacerdotem quamprimum deponant; haec enim est cura prudens. Alii, quia diu vixerunt in magnis peccatis, per aliquot menses adhuc anguntur, voluntque magis magisque peccata sua confiteri et expiare; potest etiam haec esse cura prudens, ut maiorem concipiant horrorem peccati et consuetudinem vincant, securiores sint de integritate confessionis, quae ab eiusmodi saepe instituitur negligenter. Alii etiam nunc consentiunt in gravia peccata, postea anguntur, sollicite se examinant, anxie confitentur, se ipsos aliquo modo turbant; nec ideo statim censendi sunt scrupulosi, quia iusta adest causa anxietatis, quae oritur a gratia conscientiam stimulante. Unde ex signis supra datis colligendum est, num aliquis sit scrupulosus; quae cum non statim semper appareant, non potest quis, dum prima vice aut secunda confessario se sistit, ilico iudicari scrupulosus. Ceterum contingit, ut aliquis sit scrupulosus in una materia, non in altera, ut supra memini. Scrupulosus tamen dici non debet, qui in uno tantum casu transeunter scrupulo angitur; quia scrupulositas frequentiam indicat. Unde talis in suis actionibus scrupulosorum privilegiis uti non poterit. Utrum autem, qui meticulosae conscientiae

est, sit scrupulosus, ipse plerumque iudicare non potest; quia anxietates impediunt, quominus recte iudicare possit, praesertim in rebus propriis, in quibus homo maxime caecutit. Quare iudicium relinquendum est viro prudenti, in tractandis conscientiis versato, cui credere debet poenitens, quando conscientiam suam sincere ei aperuit. Si quis tamen, dum angitur, se ipsum interrogans, quae sit causa suae anxietatis, nullam inveniat, aut quod alias prudenter iudicavit non esse peccatum, iam reputet peccatum esse vel operando formidet ne sit, signum habet, ex quo concludat se esse scrupulosum, nisi iam occurrant rationes, quae prius iudicium elidant.

2. Ubi confessarius poenitentem esse scrupulosum cognoverit, interroget eum: Credisne et confidis, me iuvare te posse? Si affirmet, interroget, utrum sibi velit constanter confiteri promittatque, se velle in omnibus oboedire, seposito etiam proprio iudicio, et sincere omnia aperire? Si renuat, ipsum ne admittat, sed remittat, ut exquirat sibi confessarium, quem sequatur in omnibus, dicatque, eum secus perpetuo vexandum. Si annuat, ostendat se benignum, consoletur, animet.

3. Cognoscere conetur causam scrupulorum, ut eam amoveat instar medici, qui prius morbum eiusque causam explorat, quam medicamenta adhibeat.

4. Ne afflictum magis affligat, plerumque sit benignus; opus tamen quandoque est severitate, praesertim ubi iudicii apparet pertinacia, aut scrupulosus urget contra confessarii consilium confessionis repetitionem. Quocumque praetextu, etsi iuratus assereret hanc fore ultimam, ne sinat se flecti etiam lacrimis; haec severitas summa est clementia, temperata tamen sit suavitate.

5. Respondeat scrupuloso sine haesitatione, nec multum distinguat, sed simpliciter enuntiet, quid faciendum sit, semper propendens in partem benigniorem, eiusque dubitationes in meliorem partem interpretans. Responsi autem sui nullam det rationem, quia poenitens scrupulos tunc putabit minus

contemnendos, rationes examinabit reddetque dubias, inanes rationes opponendo; hoc conflictu invalescent scrupuli, aut novi orientur.

6. Ne ostendat confessarius scrupulos referenti se sollicite attendere, quasi sint res alicuius momenti, ne exquirat circumstantias neve exaggeret, ne clarius sibi res exponi iubeat; sed sinat scrupulosum dubia sua explicare prima vice, ne animum despondeat; ne tangat quae scrupulosus non tangit; unum enim si tangat, movebuntur etiam alia, ut in congerie lapillorum uno ruente ruunt et alii. Si saepius ad eandem rem interrogandam scrupulosus redeat, eum ne audiat; sed satis actum esse serio edicat; quia frequentes interrogationes et recursus sunt velut frictio scabiei, quae placet quidem, attamen nocet.

7. Quandoque suaviter irrideat poenitenti, dum proponit dubia non fundata, iubeatque cogitare, quid vellet respondere, si ab alio de eiusmodi re ipse interrogaretur; dicatque, ut id ipsum faciat. Praeter haec confessarius suggerat ipsi ex mediis iam referendis ea, quae huic poenitenti videbuntur magis necessaria vel utilia, praesertim, ut numquam cedat scrupulo, sed directe contra illum agat.

QUAESTIO VI.

Quae media generatim praescribenda scrupuloso.

Oratio humilis; oboedientia exacta eidem confessario exhibenda; persuasio de malis ex scrupulositate oriundis; agnitio propriae scrupulositatis; medicinae corporales; fuga conversationis cum scrupulosis; directa contra scrupulum actio; facilis conscientiae dictaminis formatio; consideratio Dei ut patris benignissimi; fiducia et reverentia erga confessarium eiusque dicta; fuga peccatorum venialium sincera sed non anxia.

263. Resp. *Remedium primum.* Magna humilitate, fiducia, resignatione in voluntatem Dei petat a Deo lumen se dirigendi prudenter et vivendi ex lege eius, contemptis illis noxiis anxietatibus; hoc si faciat constanter, pacato tamen et resignato animo, aderit Deus, cui non placet habitare in

animo perturbato: «Non in commotione Dominus» (3 Rg 19, 11).

Remedium secundum. Maneat constanter apud eundem confessarium, quem putat doctum et probum, ita ut possit et velit bene dirigere secundum beneplacitum Dei et salutem ipsius. Hunc sequatur in omnibus abnegato proprio iudicio instar infantis, qui nescit, quid sibi expediat. Hoc ut a se obtineat (horrent namque scrupulosi caecam illam oboedientiam, sicut morsi a cane rabido aquam fluvialem, etsi sit remedium praesentissimum): 1. tamquam certum teneat numquam se anxietatibus suis impedimentisque in via virtutis liberatum iri nisi per oboedientiam, quae Deo gratissima est, quia per eam homo suum intellectum et voluntatem Deo immolat contra inclinationem naturae vitiatae. 2. Tamquam indubitatum apud omnes viros spirituales habeat perfectionem nostram sitam esse in exsequenda Dei voluntate; hanc autem securiore via non agnosci quam per Dei ministros et superiores; ideoque secure se procedere oboediendo in omnibus, ubi manifestum non appareat peccatum, atque sub hoc praesidio pericula cessare esse pericula, at sine hoc nihil prodesse cetera, eo quod recedat a voluntate Dei, ipsiusque sacrificia esse velut sacrilegia; nam, ut ait Salvator noster: «Qui vos spernit, me spernit» (Lc 10, 16); «quasi peccatum ariolandi est, repugnare: et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere» (1 Reg 15, 23). Si daemon aut inordinatus timor suggerat periculum esse pereundi sic caece sequendo alienum arbitrium, opponat: «Quis periit ductum sequendo oboedientiae, quae recta est ad coelum via?» Sancti securiorem viam non agnoverunt. S. Theresia, quamquam certo sciebat se a Christo ipso in quibusdam rebus esse edoctam, nihil tamen voluit exsequi sine sui confessarii consilio. Ecce fanaticus error! Sancti credendum censuerunt voci patris spiritualis, et ego plus credam proprio iudicio quam Sanctorum placitis; arundini fractae, opinioni propriae innitar potius quam Christo, infallibili veritati, de suis vicariis dicenti: «Qui vos audit, me

audit; qui vos spernit, me spernit»? — Ex his secure sic concludet scrupulosus: Quamvis ego iudicem hoc esse peccatum, tamen quia meum iudicium fallibile est, et confessarius mihi dicit hoc mihi licere, possum et volo facere, quod ille mihi dicit faciendum esse, certusque sum, me bene facere, quia Deus vult, ut illi obsequar. Sic enim corrigit suum iudicium. Quodsi non acquiescens uni eat ad alium, non tantum perdet meritum oboedientiae, ostendetque se proprio stare iudicio, sed magis se implicabit, quia alii eius conscientiam nec scire statim possunt nec eum tractare ut scrupulosum, atque ita inibunt diversas respondendi vias; unde ipse magis involvetur. Maneat igitur apud unum eundemque confessarium, eum divinae misericordiae et providentiae confidens sequatur, et sciat certo sibi non imputandum esse, etsi contingeret, ut aliquando erraret; quod tamen numquam praesumat.

Remedium tertium. Persuadeat sibi, ut iam ex dictis facile poterit, si sapit, tamquam verissimum, scrupulos ad sanctitatem per se non ducere, sed animam a vera pietate et virtute multum abducere aut retardare. Nulla enim virtus insipiens est, nulla inanibus nititur phantasmatis vel ridiculis fundamentis; his autem vitam suam superstruit scrupulosus. Neminem prudentem habet imitatorem, sed ab omnibus, qui norunt eius phantasmata, ridetur aut ut stultus aut ut a stultitia non procul distans. Fideles, hilares, prudentes servos vult habere Deus. «Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum» (Ps 118, 32). Ad id inepta est anima metu constricta.

Remedium quartum. Discat ex signis supra relatis, aut si haec ei non sufficiant, ex ore sui directoris, firmiterque sibi persuadeat se scrupulosum esse et nugas curare. Persuadere quidem nititur satan aut ingenita superbia, scrupulos non esse sed rationes solidissimas, quae se offerunt, immo esse inspirationes sanctas; at nugae sunt et illusiones. Putat se divinis illustrari visionibus, sed ignis fatui sunt et inania phan-

tasiae aberrantis simulacra; adeat medicum, ei credat et acquiescat; si renuit, signum evidens est laesum illi esse cerebrum, quod in iudicii pervicaciam indurescit, et tum demum supervacanea omnis erit medicina. Scrupulosus, qui sibi persuadet scrupulosum se non esse, incurabilis est.

Remedium quintum. † Saepe scrupulosus iuvandus est arte medici, qui speciali in curandis nervorum morbis versatus sit. Constat enim scrupulositatem persaepe oriri ex nervorum morbo. †[1] Frustra laborat confessarius, nisi corpus fuerit antea curatum. Scrupulosus moderate vivat, nec subtrahat vires corpori per longa crebraque ieiunia aliasve afflictationes; evacuatur enim nimia defatigatione vivacior sanguis, vacuus nimium stomachus exhaurit cerebrum, sensus reddit torpidos, mentem turbidam, phantasiam sibi male cohaerentem.

Remedium sextum. Ne agat cum scrupulosis, eorum consilia ne audiat, nisi forte media, quae probata norunt experientia, contra scrupulos afferant.

Remedium septimum. Ubi sollicitat scrupulus, caveat, ne illi obsequatur, sed illum contemnat et directe contra eum operetur. V. gr. angitur, ne aspiciens homines aut imagines Sanctorum, Beatae Virginis, Christi Crucifixi peccet, eo quod expertus sit, eiusmodi aspectu subortas sibi esse cogitationes turpes, iamque timet, ne sit illarum causa: de industria ista, ut dictum supra n. 244, aspiciat, homines quidem obiter et more piis et prudentibus consueto, imagines autem etiam fixo obtutu, et certus sit, quaecumque cogitatio occurrat, se non peccare, quamdiu consensus in illam absit. Hoc medium omnino necessarium et optimum est. Si enim cedit, acquiret habitum postea difficulter curabilem; et si sibi vult satisfacere in uno, angetur circa alterum, ut experientia docet, neque erit scrupulorum finis. Immo cedendo peccat, quia suum iudicium praeponit iudicio confessarii, theologorum, ascetarum;

[1] Cf. Capellmann-Bergmann, Pastoralmedizin [17] p. 156.

ineptum se reddit paulatim ad suum officium debite obeundum, ad orationem Deique obsequium, Deumque tandem apprehendit ut tyrannum, qui delectetur interitu hominis. Ex adverso si contemnat et operetur contra, fugiet diabolus, qui sui contemptum ferre non potest: ipse sibi acquiret animos et habitum recte operandi; oborietur menti lumen, quo agnoscat nugas esse quibus angitur. Proinde de scrupulis secum ne multum agat, ne disputet, ne deliberet, ne inquirat, utrum bene an male fundata sint, quae animo obiciuntur; utrum sint iudicia an ludicrae rerum species, quae formentur; utrum apprehensiones an incohata iudicia; utrum rationes occurrentes sint certae an saltem probabiles; sed abrumpat penitus eiusmodi cogitationes, et contemnat, quasi sit iam imbellis hostis, qui conatum contra se non mereatur. «Resistite diabolo, et fugiet a vobis» (Iac 4, 7). Huic ne ulla in re obsequatur, molestiam sibi ab illo fieri ne ostendat, frontem ne contrahat, oculos ne occludat neve detorqueat, caput ne agitet, non ore, non nutibus consensum deneget, sed sola mente agat omnia, animum obfirmans sic, ut nihil eorum, quae intus aguntur, diabolus persentiscat; rationibus, quibus daemon scrupulorum conatur fulcire veritatem, ne respondeat; multo minus de iis disputet, sed plane negligat, et contra operetur quando scrupulus ad aliquid agendum vel omittendum impellat. Solet daemon suadere scrupulosis solitudinem, ut secum multum agant, multa cogitent, multa expendant; huic si obsequantur, undique irruunt rationes falsae de praeteritis, praesentibus, futuris. Hanc diaboli stropham ut elidant, vitent otium et solitudinem, ne tacita secum de scrupulis trahant colloquia, praesertim non nocturna; longe enim facilius ista ipsos perdent quam colloquia aliena; sic enim excrescent phantasmata, quae timores vanos concitabunt, quos ne vanos credant, rationes undique congerent efficientque, ut nemini facilius credant quam sibi.

Opponet scrupulosus: Libenter contemnerem scrupulos et agerem contra, at 1) non videor mihi formare posse conscien-

tiam certam, immo 2) apparet mihi tamquam certum quandoque, me esse peccaturum. *Respondeatur* ita:

Ad 1: In recte formanda conscientia nulla est difficultas aut periculum. Tantummodo cogita: ut contemnam scrupulos, est Dei voluntas; hanc indicant mihi theologi, viri sapientissimi, ascetae spiritu Dei pleni, meus confessarius, qui vices gerit Dei; sequendo autem voluntatem Dei peccare non possum; et si accideret, ut errarem materialiter, imputari mihi id non potest: quos enim sequar, nisi quos directores mihi dedit Deus? Praeterea obsequendo scrupulis noceo corpori et animae, reddo me ineptum ad Dei obsequium et proximo fio gravis; vivam in perpetua tortura, vitam cogar ducere nimis difficilem: ad haec Deus me non obligat; quod enim nimiam affert difficultatem, est moraliter impossibile, neque ad id Deus obligat, saltem quando non evidenter agitur de peccato: quod hic non est evidens. Potest etiam conscientia hoc modo formari: non scio exsistere legem hoc faciendi; si scirem eam esse, obsequerer; nunc autem non obsequar, quia certus non sum de eiusmodi lege. Denique hoc modo: quod video prudentes et probos facere aut tamquam nugas contemnere, hoc licet etiam mihi; video prudentes et probos homines hoc facere aut tamquam nugas contemnere, ergo etc.; in dubiis enim vita et communis sensus hominum proborum et prudentum bona est vivendi regula. — Atque hac ratione etiam scrupulosus rudis recte formare potest conscientiam sine recursu ad virum doctum vel confessarium. Deus enim cuique dedit rationem, ex qua sibi formet dictamina agendi, nec obligat, ut toties recurratur ad alios cum tanta molestia et perturbatione; unde si bona fide procedens forte erret, ipsi non imputabitur ad culpam.

Ad 2: Reflectat scrupulosus ille ad sequentia: 1. Num verum non sit, id, quod saepe certum putabat, comperisse se postea esse vanum simulacrum? 2. Num verum non sit, agi se variis erroribus et inanibus apprehensionibus, testibus confessario suo aliisque prudentibus? 3. Num alii prudentes talia

non agant, et quae contraria occurrunt, num non contemnant tamquam vana? 4. Quid responderet alteri interroganti, num hoc agere vel omittere sit peccatum? Fateatur humiliter coram Deo se ineptum esse ad iudicandum de plerisque rebus moralibus, et si confessarius dicat illas certitudines esse phantasmata et illusiones, eas animose contemnat; quod similiter faciat nondum audito confessario, si sua certitudo sit contra sensum prudentum, vel si deprehendat se errasse antea similibus quasi-iudiciis; aut si putet se interrogatum ab altero non posse illum ad id, de quo scrupulus est, obligare. — Quodsi dubitet, an, quod occurrit, sit ratio prudens, sine examine contemnat; cum enim dubia eius plerumque sint inania, prudenter praesumit ita etiam nunc esse, quia ex communiter contingentibus prudens est praesumptio; si vero in eiusmodi circumstantia cedat, acquiret habitum dubitandi in plerisque et intricabitur; cui periculo non tenetur se exponere, ut vitet hic et nunc peccatum forte materiale. Unde si apprehendit obligari se ad aliquid statim faciendum, v. gr. ad corrigendum proximum, neque est certus se teneri, bene facit contemnendo. Fit ipsi per iudicium reflexum probabilius se non teneri; ex quo connaturaliter oritur conscientia certa, se non peccare.

Remedium octavum. Si, ubi statuit agere contra scrupulum, quo v. gr. urgetur ad repetendum aliquid ex Horis aut ad peccatum ex praeteritis adhuc confitendum, scrupulus perseverat et angit, suscipiat hanc anxietatem de manu Dei et patienter ferat in satisfactionem pro peccatis suis, offerat se Deo ad exsequendum in omnibus eius voluntatem, ubi eam agnoverit, et rebus aliis mentem applicet. Si cor adhuc angitur, cogitet: si huic anxietati cedam, orietur alia, neque finis erit; hanc ergo feram, quamdiu Deo placuerit. Si a daemone aut aliunde suggeratur: quid, si in hoc statu contingeret, ut morereris, vellesne sic mori? obiter hoc tractet et dicat: confido in Domino, eius voluntatem mihi per sapientes indicatam sequor; ipsi erit de me cura; si alias mihi indicaverit obligationem, obsequar; ad salutem non est ne-

cesse me omnia confessum esse, sed sufficit, ut moralem diligentiam, velut in aliis magni momenti negotiis fieri solet, impenderim; reliqua peccata simul remissa sunt et in confessione comprehensa censentur, et sic praecepto est satisfactum, ut certum est ex Concilio Tridentino, donec mihi constiterit aliquod mortale me rite confessum non esse. Si instet scrupulus: in agone circa hoc anxiaberis, respondeat: confido in Domino, cuius voluntatem nunc exsequor; ipse mecum erit, neque me tribulari permittet ultra quod possum, qui dixit per Psalmistam: «Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum» (Ps 90, 15). Pater est, non tyrannus; salutem meam desiderat et curat, non interitum et damnationem; quando mens mea serena erit, si quid mihi ultra faciendum scivero, faciam, modo non scio, nec facere mihi expedit nec licet. Et his acquiescat nec scrupulo cedat.

Remedium nonum. Assuescat repraesentare sibi Deum ut patrem et benignissimum, scientem infirmitatem nostram; ipse cognovit figmentum nostrum et scit, quia caro sumus: recurrat ad Salvatorem Iesum summa cum fiducia, qui non vult pretium sanguinis sui nobis frustra impensum. Huius in nos caritatem immensam frequenter meditetur, de ea legat et loquatur.

Remedium decimum. Magna cum sinceritate, fiducia et reverentia agat cum confessario suo velut vices Dei gerente, eius dicta accipiat velut de ore Dei, eius directioni se subiciat, eius sententiae acquiescat, iussis obtemperet: ita secure procedet; quia, cum alius ab insania et mille periculis se tuendi modus non suppetat, plus ab homine Deus non potest exigere. At fortassis sibi videbitur doctior ipso confessario. Esto, ita sit speculative; practice tamen longe est illo inferior in hoc negotio ob cerebri perturbationem, metus superfluos, animi angorem. Cedat proinde, si sapit, quamvis sibi videatur sapiens: hac ratione mentis pervicaciam expugnabit, superbiam retundet, ingentes a Deo gratias merebitur. Ut

autem hoc tanti momenti remedio debite utatur: 1. petat simpliciter a confessario determinationem rei agendae vel omittendae; rationes vero, cur ita statuat, minime exposcat; alias suum, quod minime expedit, non confessarii sequetur iudicium. 2. Ubi confessarius semel respondit, caveat, ne eiusdem rei gratia alium consulat aut in libro rationem aut resolutionem inquirat. Facile enim involvetur magis, cum confessarii auctoritatem minoris faciat, eidem non fidat; et idem valebit de aliis. Si plures velit consulere, id arrogantiae et pervicaciae signum est; quam Deus ut puniat ac retundat, magis eum cruciari permittet. 3. Non multum agat etiam cum confessario de scrupulis, quia sic hi figuntur tenacius. 4. Si semel a confessario resolutionem habeat, v. gr. non repetendam esse confessionem, se non obligari ad ieiunium, ne adeat iterum confessarium, quando adest occasio exsecutionis, sed contra scrupulum agat; numquam scrupulos superabit, nisi discat suis solis viribus eos oppugnare. Nec dicat aliquid forte se oblitum esse, aliqua confessarium fortassis non intellexisse, circumstantias forsan esse mutatas. Scrupulorum hic praetextus et velamenta ludicra sunt. Egit, quod sibi agendum esse putavit; agat modo, quod agendum est, et certo sibi persuadeat se non peccare, quia Deus plus ab ipso non exigit, ne perpetuo haerendi contrahat habitum. Poterit postea confessario exponere reliqua.

Remedium undecimum. Prudenti et vigili cura vitet venialia, sed sine perturbatione; curam gerat salutis suae, sed non nimis sollicite aut perturbate. Prudens cura laudanda est, immoderata in vitium abit, mentem implicat, vires enervat, taedium ingerit, languidum hominem reddit et tandem fatigatum nimis a coeptis avocat et in desperationem agit. Deus nihil exigit prudentiae contrarium, iugum eius suave est et onus leve; viam eius currunt, quorum cor dilatatur. Viator nimium sollicitus de via facilius aberrat; nimis sollicitus in via salutis in alios impingit saepius, quam is, cui cura prudens est.

QUAESTIO VII.

Quomodo dirigendus sit, qui scrupulose semper timet, ne cum dubio operetur.

Quod non certo appareat peccatum, id sibi licere statuat; neve hanc regulam relinquat propter errorem, qui aliquando acciderit; deponat anxietatem, quasi cum dubia conscientia agens peccaverit.

264. Resp. Hic scrupulus multis molestus est, quia certum est peccare mortaliter eum, qui cum dubio practico de gravi malitia operatur. Sunt autem scrupulosi, qui ad omnia fere haerent, attamen saepe operantur et postea nesciunt, utrum cum dubio processerint an recte se determinaverint. Talibus prosunt, quae dixi quaestione praecedente, quomodo formanda sit conscientia et facile formari possit. Quibus adde sequentia:

Primum. Si quid primo statim intuitu et sine formidine non appareat esse peccatum, prudenter statuit scrupulosus id, quod aggreditur, non esse peccatum; nec opus est postea examinare rationes in utramque partem; sed certo teneat licere sibi hoc ipso, quod primo intuitu non appareat certo et tamquam indubitanter illicitum. Ita *Castropalao*[1], *Laymann*[2], *Stoz*[3], *Sanchez*[4], alii. Ex quo iam nascitur dictamen hoc conscientiae certum: Viri docti et sapientes tenent sic procedendo me licite operari; ergo sine peccato procedo. Hoc maiore etiam cum solatio fiet, si ab alio suae conditionis homine interrogatus respondere debeat esse licitum, aut si sciat in talibus alios homines prudentes procedere sine formidine peccati.

Secundum. Si talis homo postea inveniat se iudicio suo aliquando aberrasse et licitum iudicasse, quod re ipsa illicitum erat, pergat nihilominus uti dicto principio; nam experientia didicit timores ipsius esse plerumque vanos, estque nimis

[1] Op. mor. t. 1, tract. 1, d. 4, p. 1, n. 2.
[2] Theol. mor. l. 1, tract. 1, c. 6, n. 2.
[3] Trib. poenit. l. 1, p. 5, n. 200.
[4] Decal. l. 1, c. 10, n. 80 sq.

difficile, immo moraliter impossibile, examinare omnes, ideoque Deus ad id non obligat. Unde prudenter contemnet omnia pergetque bona fide; erit autem per accidens, si quandoque materialiter erret. Neque obstat, si forte videatur sibi non posse contra timorem illum formare dictamen conscientiae practicum de licentia actionis; quia timor ille non est conscientia dubia, sed trepidatio quaedam cum apprehensione mali, cum qua stat iudicium *virtuale* de licentia actionis, etsi homo id non advertat ob impetum timoris, qui intellectum perturbat. Sicut cum iudicio ultimo practico fundato in opinione vere practice probabili stare potest formido de malitia materiali actionis, ita stat hic dictamen conscientiae cum timore illo, qui non est in ipso iudicio practico, sed illud comitatur vel antecedit. Si cui hoc non sit ad plenum solatium, formet conscientiam, ut iam dixi, considerando doctrinam prudentum et agendi consuetudinem timoratorum.

Tertium. Si scrupulosus certo putat se processisse cum dubio, ne ideo iudicet se certo peccasse, quia dubium potuit esse tantum speculativum, et certitudines eius revera saepe sunt phantasmata; quare summum erit dubium, num peccaverit. Cum autem scrupulosus dubia non teneatur confiteri ob gravia mala, quae sequuntur, si obtemperet suis anxietatibus, uti docent passim theologi: consultius est, peccati illius mentionem non facere in confessione, nec se hac de re examinare, utrum peccaverit necne; sed doleat in genere, quod Deum umquam offenderit, atque firmiter statuat se nunc aut non peccasse aut saltem non teneri ad confitendum, paratus id confiteri, si quando timores suos superaverit et obligationem confitendi agnoverit. *Haec quidem verissima sunt, etiam quando acciderit, ut fundatum dubium exsistat, atque probabile sit hominem re ipsa graviter peccasse.

*Verum si ad haec causa scrupulosi hominis deducenda esset, eius tranquillitati atque consolationi parum consule-

retur. Re ipsa autem ex eo, quod homo scrupulosus, maxime qui regulas suas edoctus est, cum actuali timore peccandi egerit, nulla ratio fundata habetur, non dico iudicandi, sed ne putandi quidem eum peccasse. Regularum enim sibi datarum actu meminisse atque ex iis actuale dictamen liceitatis actionis sibi efformare est res moraliter impossibilis pro homine istiusmodi scrupulis laborante. Neque hoc necesse est, ut absit peccatum; sed sufficit dictamen virtuale, ut supra dictum est, quod cum timoribus oppositis plane potest consistere, et quod non contraria *apprehensione* aliqua conscientiae dubitantis, sed claro dubio conscientiae firmiter *iudicantis* in illo homine destruitur. Audiatur *S. Alphonsus* (l. 1, n. 18 et 19): «Nec refert, quod ipse cum conscientia scrupulosa seu *cum actuali timore peccandi* operetur; nam ex communi et vera sententia, quam docent *Concina*[1], *Roncaglia*[2], *Anacletus* [*Reiffenstuel*[3]], *S. Antoninus*[4] . . . et alii plurimi, scrupulosus ita agens minime peccat. . . . Hinc pro praxi concludendum, scupuloso prae oculis semper oboedientiam habendam esse, ut scrupulorum suorum timorem fortiter abigens libere operetur. Nec opus est, ut in quolibet particulari actu hoc udicium efformet, nempe quod contemnere scrupulos debeat ex praecepto confessarii; satis enim est, quod ex iudicio prius formato contra scrupulum agat; quia propter experientiam praeteritam in eius conscientia iudicium illud virtualiter sive habitualiter exsistit, licet tenebris obscuratum. Tanto magis, quod, cum scrupulosus in illa confusione operatur, non certe operatur cum conscientia formata et deliberata, quae requiritur quidem ad constituendum peccatum.» *

---

[1] Apparat. l. 2, de consc. disp. 1, c. 8, n. 15 sq.
[2] Univ. theol. mor. tract. 1, q. 1, c. 4, 2.
[3] Theol. mor. tract. 1, dist. 3, q. 5, n. 72.
[4] Summa P. 1, tit. 3, c. 10, § 10 id non clare docet.

QUAESTIO VIII.

Quomodo dirigendus sit, qui scrupulose angitur, ne internis tentationibus consentiat.

265. Resp. Huic servient sequentia:

Primum. Numquam iudicet se consensisse in peccatum mortale, nisi certo sciat, immo, si valde scrupulosus sit, nisi iurare possit se plane advertisse ad malitiam gravem et plene in eam consensisse. Alium non licet condemnare peccati mortalis, nisi adsit certitudo; cur quis se ipsum condemnet, ubi illa certitudo non adest? Hoc valet, etsi nihil aliud accedat; valet autem maxime, si quid accedat ex sequentibus.

Secundum. Si serio saepe statuit numquam peccare mortaliter atque potius mori, teneat se non peccasse, ubi de eo certus non est; quia, si quae saepius odio habita sunt, dein amantur, id facile advertitur. Quare non inhaereat examinandis cogitationibus, si de consensu quasi in illas praestito angatur. Non possunt exsistere simul magnus horror peccati et libera eius volitio neque credendum est benignum Deum ita facile permittere labi in peccatum mortale hominem, qui eius offensam horret.

Tertium. Si tentatus terreatur et obiectum tentationis statim repudiet, quando magis advertit, plene non consensit; quia, si plenus adfuisset consensus, non tam facile mutaretur, nec tam facile ad Deum rediret, si ab eo plane recessisset.

Quartum. Si postea advertat se timide processisse, vel nesciat utrum vigilans an dormiens, sobrius an ebrius[1] fuerit, vel si statim post factum dubitet, num consenserit, signum est abfuisse plenum consensum, quia plenus consensus in peccatum mortale timoratae conscientiae facile apparet, et si fuisset plena libertas, homo sciret se fuisse vigilem vel sobrium.

---

[1] Hic in quaestionem venire posse solam ebrietatem accidentalem vel involuntariam legenti patet. Agitur enim *de homine timoratae conscientiae*; timoratae conscientiae autem nemo dixerit aliquando esse hominem ebriosum.*

Quintum. Si statim, ubi angitur, adhuc reperit se ita habitualiter constitutum, ut malit mori quam Deum graviter offendere, tenendum est ipsum non consensisse saltem plene; quia per consensum plenum in peccatum mortale status ille habitualis esset destructus.

Haec valent etiam pro non scrupulosis, tenentque theologi communiter eum, qui timoratae est conscientiae nec solet plene advertens consentire, posse in dubio censere plenum consensum non adfuisse, quia ex communiter contingentibus prudens est praesumptio.

QUAESTIO IX.

Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa vitam praeteritam et factas confessiones.

266. Resp. 1. *Si quis vixit in peccandi consuetudinibus*, permittat confessarius aliquamdiu scrupulos, ut conscientia recte expurgetur, ante omnia autem disponat eum per actus fidei, spei, caritatis, doloris et propositi ad confessionem generalem (si hanc numquam fecit); iuvet eum in examine conscientiae percurrendo praecepta decalogi, Ecclesiae, occasiones, in quibus fuit, et peccata praecipua. Hac confessione rite facta non permittatur amplius, ut generaliter confiteatur; permittatur tamen, ut ter vel quater addat, quae adhuc in memoriam redeunt et quae nescit se rite confessum esse. His peractis iubeatur tacere de praeteritis, de iis amplius se non examinare, etsi non recordetur se hoc vel illud confessum esse; non-recordatio enim causa non est rationabilis dubitandi. Quodsi scit poenitens se solitum esse reticere peccata in confessione, detur illi tempus paulo longius, ut peccata, quae adhuc in mentem venient, confiteatur post confessionem generalem, et dein iubeatur non examinare se de praeteritis; omnia enim saltem indirecte sunt remissa, nec tenetur cum tanto incommodo scrutari praeterita, ut omnia remittantur directe. Si nihilominus postea nondum acquiescat, sed dicat se certo scire aliqua determinata peccata se fecisse

neque esse confessum, iubeat eum confessarius iurare se istis peccasse mortaliter neque ea esse confessum; si prompte iuret, audiat ipsum, quia non est scrupulus; si timeat iurare, ne audiat, quia non est certus; scrupulosus autem non tenetur quidquam repetere in confessione aut confiteri, nisi sit certus se peccasse graviter et numquam id esse confessum.

2. *Si angatur circa praeparationem ad confessionem*, doceatur non requiri nisi diligentiam et praeparationem mediocrem, qualis in negotiis magni momenti adhiberi solet, nec repetendas esse praeteritas confessiones, si probabiliter validae fuerint.

3. Si confessarius advertit, scrupulosum se suae curae committentem *antea alteri fecisse confessionem* generalem, ne permittat ipsi, ut quidquam ex vita praeterita repetat, sed dirigat eum secundum iam dicta.

QUAESTIO X.

Quomodo dirigendus sit scrupulosus, qui variis tentationibus agitatur.

Quid agendum, si tentatio oritur contra fidem, contra spem, contra Dei caritatem; si iudicia oriuntur temeraria, si imaginatio consensus peccaminosi dati, si tentatio de conditionate futuris, si tentatio et importunae cogitationes venereae.

267. Resp. Praeter dicta n. 244 docendus est sequentia:

Primum. Si tentatur *contra fidem*, ne eliciat actum fidei circa mysterium contra quod tentatur, sed contemnat aut negligat tentatorem, mentem convertendo ad alia, vel si sine perturbatione possit, mentem convertat ad Deum animae suae intime praesentem et mente dicat: Credo, Domine, apud te maneo; et dein alia agat. Si instet tentatio: Ergo non credis iam v. gr. Deum unum simul et trinum; nihil respondeat, sed pergat in iis, quibus occupatur, aut etiam dicat: Iam nolo elicere actum fidei, eliciam, ubi opus fuerit et mihi placuerit. Proinde caveat, ne disputet et luctetur cum tentatione; sic enim se involvet, diabolo dabit saltem hanc victoriam, quod permiserit se turbari; contemptu iste optime vincitur. Ne

putet, hanc tentationem esse grandem miseriam, sed tamquam phatasma nullius momenti reputet. Sic animus melius a perturbatione servabitur immunis.

Secundum. Si tentatur *contra spem* putatque se non posse actum fiduciae erga Deum elicere, hoc ipsum contemnat et animo dicat: Trado me in manus Dei; ipse pater est bonitatis infinitae; Filium suum unigenitum pro me dedit, ipse Dominus meus est, ego opus manuum eius; statuat ipse de me, quod ipsi placuerit. Et ita aderit actus fiduciae et caritatis. Si urget tentatio: Nescis tamen, utrum salvandus sis; aut enim praedestinatus es, aut non; si es, salvaberis; si non es, damnaberis, quoquo te vertas — opponat mente: Scire, utrum salvandus sim, ad me non pertinet; habeo benignum Dominum; Filius Dei salutem animae meae emit pretio sanguinis sui, illud non vult frustra esse impensum. Utrum praedestinatus sim necne, meum non est examinare. Creatus sum, ut Deo meo in hac mortali vita serviam, hoc fideliter cupio facere, curam de futuris permitto Deo. Si opponat tentatio: Pro omnibus sanguinem dedit Filius Dei et unus est omnium Deus, et tamen multi damnantur — respondeat: Sit ita; ego Deo obsequar et faciam eius voluntatem. Servi non est scrutari omnia consilia domini sui, nec filii novisse omnia secreta patris. Si in his difficultatem sentiat, *tentationem statim in principio contemnat* tamquam stropham diaboli et mentem aliis occupet.

Tertium. Si scrupulosus tentatur *contra caritatem* Dei, v. gr. cogitationibus, quasi Deum blasphemaret, vellet destruere etc.: pariter intrepide contemnat, se vertens ad alia. Si videantur tales cogitationes ad cor venisse, ne credat se consensisse, nisi certus sit possitque iurare; certum enim est, non tantum in aliis aliquando, sed in scrupulosis saepe ob vehementiam phantasiae et perturbationem intellectus impediri libertatem, quia anxia formido tollit indifferentiam iudicii et voluntatis. Quodsi se serio interrogans etiam non scrupulosus videatur velle omnino opposita, censeri debet nullo modo se

peccasse, quia duae dispositiones contrariae in voluntate non consistunt simul.

Quartum. Si tentatur *contra proximum*, v. gr. videtur ipsi bonum, si illi hoc vel illud malum eveniret, aut putat etiam se velle ipsi illud malum, contemnat ista, aut respondeat: Volo, quod velle me vult Deus. Dein quiescat nec quidquam examinet.

Quintum. Si *circa iudicia temeraria* est scrupulosus, v. gr. audit aliquem liberius iocantem et incidit cogitatio: Is est luxuriosus; nullum formet iudicium, sitne talis necne, sed habeat se permissive et dicat: Qualis ille sit, ad me non pertinet; Deus iudex est omnium. Si tentatio ingerat: Ergo non iudicas eum esse innocentem?, respondeat mente: Esto, non sit innocens, quid ad me? Sed haec tentatio facilius vincitur eam omnino tamquam rem impertinentem negligendo.

Sextum. Si incidit cogitatio: *vellem hoc vel illud facere, volo facere, videaturque ipse consentire* — ne turbetur. Haec saepe in phantasia et imaginatione aguntur, non in voluntate; coniungit enim daemon species, ut consensus repraesentetur, qui in voluntate non est: quod ex eo patet, quia sic tentati statim mallent mori quam peccare; horrent et contremiscunt, ubi advertunt ad talem imaginarium consensum.

Septimum. Si tentatio est *de futuris sub conditione*, v. gr.: Quid ageres in casu, si aut peccandum esset aut infernum deberes subire, vel tale aut tale malum tolerare? servet, quae dixi n. 244 et talem cogitationem plane negligat nihil respondendo: est enim impertinens. Deus infernum condidit, ut eius horrore a peccatis avertamur, non ut in illum detrudamur, si non peccemus. Si negligendo non liberetur molestia, eam patienter ferat se interne convertendo ad Deum, aut dicat: Nunc nolo offendere Deum; si casus is eveniat, aderit mihi gratia, ut Dei faciam voluntatem, dabit is cum tentatione proventum.

Octavum. Si tentatur *in materia venerea*, agat, ut dictum est supra, et siquidem tentatio consistat in phantasmatis im-

puris, nullo signo externe dato contemnat placide; agat quod agit, aut si nihil habet quod agat, occupet se loquendo cum aliis, aut cogitet iam de coelo, iam de inferno, iam de suis laboribus; vel numeret vitra in fenestris vel lapides in muro, mente invocet Beatam Virginem, Angelum custodem, S. Iosephum; vel dicat Deo in corde suo: Domine, amo te; animo amplectatur Iesum crucifixum. Quodsi tentatio pergat infestare, nihil refert; non nocet, nisi accedat consensus, cuius periculum non est in homine timorato. Si tentatio a rebellione carnis fit cum motu turpi, cedat loco si possit, imprimat sibi dolorem, invocet auxilium gratiae, firmet se in proposito moriendi potius quam Deum offendendi, et se occupet aliis. Si occasio est, recurrat cum fiducia et humilitate ad Beatam Virginem, Angelum custodem etc. Cessante tentatione ne inquirat, num consenserit, aut quis fuerit successus tentationis. Solet hoc fraudulenter suadere daemon, cui si morem geras, resuscitatur tentatio et periculum. Si consensisses plene, hoc te non lateret. Iuvat etiam haec regula: Quando materia actionis vel omissionis vel rei menti obiectae est de se grata appetitui, neque causavit specialem delectationem in voluntate, signum est, defuisse vel plenam advertentiam vel plenum consensum; alias et voluntas suam percepisset delectationem. Ita *Lacroix* l. 1, n. 550. Contingit non raro, ut homo, qui ante assueverat peccatis in materia venerea aut cuius phantasia ex diuturnis tentationibus infecta est speciebus venereis, ilico abripiatur in delectationem veneream putetque se consentire, at mox se retrahat et horreat, ne consenserit; sed ne iudicet se consensisse. Licet enim appetitus sensitivus delectationem conceperit, et aliqua etiam connaturaliter voluntatis complacentia consecuta fuerit, ea libera non erat; habitus enim antiqui connaturaliter producunt primum motum, nec potest homo eum reprimere prius quam adsit; quis enim debellet hostem, ubi non est? Ex eadem ratione notant auctores, saepe fieri, ut homo, qui coepit serio converti, diu inhaereat cogitationi nec tamen consentiat; quia habitus ac-

quisiti operantur, nec potest homo aliis intentus animum tam cito advertere ad resistendum. Concors quoque est multorum sententia, rationem importunis cogitationibus saepe etiam in delectationem pervenire, idque satis longa mora, antequam sui ipsius per maturam deliberationem plene compos fiat; in tali re boni homines peccatum mortale metuere non debent, inquit *Henricus Suso* teste *Lacroix* l. 1, n. 548 et 553. Si huiusmodi homines postea se examinant, et primo videntur sibi non consensisse, aut tantum dubitant vel timent de consensu: praesumant se non consensisse, nec recedant ab hac resolutione; numquam enim certitudinem assequentur, sed frustra se vexabunt. Tenendum autem est ab omnibus, qui timoratae sunt conscientiae, ut in aestu tentationis numquam se examinent, utrum consenserint; quia eo tempore ob mentis turbationem apti non sunt ad se examinandum, sed exspectent, dum quieti sint, et tum prius implorato lumine examinent se, adhibentes etiam signa consensus supra allata.

QUAESTIO XI.

Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa horas canonicas recitandas.

Dubium de intentione orandi et de debita pronuntiatione quomodo solvendum; de attentione necessaria: non haerendum in recitatione, non repetendum. — Nimis scrupulosus a recitandi officio immunis est.

268. Resp. Hunc iuvare possunt sequentes regulae:

Regula prima. Scrupulum quo angitur, ne desit *intentio orandi,* tamquam insaniam reputet neminique dicat, nisi velit videri insanire. Intentio enim adest hoc ipso, quod dicat officium et non habeat aliam intentionem, quam illud dicendi quod debet. Adest debita intentio, si velit satisfacere suae obligationi, quod censetur semper velle, si sumit breviarium et officium incipit, nisi positive gerat aliam intentionem, v. gr. studendi. Immo non requiritur intentio satisfaciendi, sed sufficit intentio dicendi officii. Nec requiritur intentio explicita, sed sufficit implicita et virtualis orandi, quae habetur, eo, quod quis vult dicere officium, vel colere Deum, vel suae

obligationi satisfacere; unde ne sit sollicitus, maxime in decursu, de intentione; haec enim perseverat, quamdiu pergit recitare, statque cum distractione etiam voluntaria, immo si per hanc amissa esset, rediret tamen sufficienter distractione exclusa et prosequendo coeptum opus. Ipse metus, ne intentio amissa sit vel non renovata, signum certum est intentionem adesse.

Signa intentionis praesentis orandi sunt, si quis sumpto breviario ivit ad locum quietiorem, vel in quo orare solet, si in initio caput detexit, crucem formavit, si timet ne desit, si distractiones excludit, si attendat ad ea, quae recitat etc. Opus non est intentione distincta recitandi devote, quia haec includitur in intentione orandi etc.

Regula secunda. Si dubitat, *an bene expresserit omnia,* an mutilarit properando, an sensum corruperit aliquid omittendo vel mutando, an voluntarie et cum plena advertentia fuerit distractus: nihil repetat; tum quia libertas est in possessione, et cum voluerit sine dolo procedere, tenere debet, omnia recte peracta esse, nisi certo constet de opposito; tum quia Ecclesia, utpote benigna mater, non vult filios suos esse meticulosos et anxios servos Dei, sed hilares et quietos. Hinc censetur non obligare ad repetendum ea, de quibus tantum dubitatur, ut habent auctores communiter cum *Illsung* tr. 5, n. 40. Si enim esset obligatio repetendi dubia, anxietatibus lata aperiretur via, immo officium misere truncaretur et confunderentur omnia. Atque haec regula suadenda est etiam non scrupulosis. Si hac ratione non exstinguatur scrupulosi anxietas, nihil tamen repetat, feratque patienter anxietatem, certus, se sequi iudicium prudentum. Si certum sibi videtur, se plene voluntarie fuisse distractum, etiam nihil repetat, tum quia illius certitudines vacillant et saepe illusiones sunt, tum quia sententia probabilis est multorum apud *Lacroix* l. 4, n. 1341, nullam attentionem internam requiri sub gravi praeter intentionem orandi, a qua verba procedant ordinate, quae attentio superficialis dicitur; cui sententiae se accommodare

potest, ne se implicet et gravem molestiam subire dein cogatur[1]. *Cf. etiam *S. Alph.* IV, 177, qui sententiam negantem obligationem gravem attentionis internae *satis probabilem* esse dicit, atque etiam eos, qui eam non teneant, id docere refert, quod exhibet his verbis: «Ut dicatur aliquis officio non satisfacere, non solum requiritur, ut voluntarie se distrahat, sed etiam ut plene advertat, se distrahi», quod postea aliis verbis explicat: «quando ex contemptu vel industria se diverteret». Haec non ad fovendam negligentiam in officio divino recitando dicta sunt, sed ut ostendatur, quomodo homo scrupulosus in recitando iuvari eiusque dubia compesci possint.*

Regula tertia. Inter recitandum ne haereat, sed praemissa intentione sine haesitatione pensum decurrat, sine contentione capitis, sine praecipitatione (haec enim fatigat), sine anxia sollicitudine, ne distrahatur vel verba non debite exprimat etc. Ne examinet, quomodo processerit; nullum verbum repetat, certus, Deum moderata cura magis honorari quam anxia sollicitudine; per hanc enim indicaret, se Deum respicere non tamquam benignum patrem, sed tamquam exactorem severissimum, cui vix possit satisfieri; immo anxia sollicitudo distractiones causat, unde *tenetur* hanc vitare.

Regula quarta. Attentio requisita nulla actione impeditur, quae ex natura sua stare potest cum attentione interna. Quare scrupulosus, qui per aliquam actionem distrahitur, accedente praesertim timore distractionis eventurae, si tamen actio de se talis non sit, quam probi et prudentes homines inter orandum omnino caveant, non tenetur eam cavere, sed distractio tum oritura censebitur involuntaria.

Regula quinta. Expleto officio vel hora, scrupulosus *nihil repetat,* etsi timeat, ne male recitaverit, immo etsi videatur

[1] Accedit ratio gravissima, quia, cum officium sit oratio non tam nomine proprio, quam Ecclesiae Deo facta, in eo non maior ad valorem requiritur attentio quam ad valide administranda sacramenta, quae sunt actiones Christi atque ut tales valide fiunt absque illa attentione interna.

male recitasse. Ratio est, quia Ecclesia non obligat cum tanto gravamine, nec plus requirit. Unde certae obligationi hic non respondet solutio dubia, sed certa. Ita tenent auctores communiter. Immo si recitatio horarum ob anxietates et scrupulos esset admodum difficilis, non teneretur ad eam; quia ab Ecclesiae praecepto excusat magnum incommodum. Unde talis posset omittere recitationem, donec videretur sibi posse sine tanto incommodo praecepto satisfacere; aut posset, persuasum habens se non teneri, recitare ex devotione id, quod potest commode; apprehensio enim obligationis anxietatem producit, illaque sublata discet imperturbate recitare, uti experientia docet. Pleraque dicta servari possunt a quocumque, qui timoratae est conscientiae.

Regula sexta. Si ob anxietatem nimium temporis debet consumere, determinet sibi tempus ordinarie requisitum et a probis impendi solitum, et quod intra illud recitare non potest, omittat; plus enim Ecclesia ab ipso non requirit. Atque hoc superior aut confessarius scrupuloso potest etiam iniungere.

QUAESTIO XII.

Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa Missam legendam.

Peccat qui dat locum scrupulis; scrupulus de intentione omnino contemnendus; consecrationis verba quomodo pronuntianda, non repetenda; quid in perplexitate faciendum.

269. Resp. Scrupulosus teneat sequentes regulas:

Regula prima. Tamquam certum teneat, *se peccare, si* in sacrificio peragendo *det locum scrupulis* aut perturbationi mentis, quia, cum nomine et in persona Christi agat, valde dedecet ministrum scrupulis cedere. Inhonorant enim hanc divinissimam actionem, pariunt populo scandalum, et devotionem maxime impediunt.

Regula secunda. Scrupulum, ne desit intentio consecrandi, tamquam insaniam contemnat, quia fieri non potest, ut sacerdoti ratione utenti, dum ante Sacrum lavat manus, apponit hostiam, induit vestes, accedit ad altare, explicat corporale,

inquirit Missam etc., desit intentio celebrandi; vult enim aliquid facere, et quid aliud nisi Sacrum? Neque intentio ista revocatur aut impeditur per distractionem, sed cum hac consistit, cum ab intentione illa procedant actiones, quae alias non ponerentur.

Regula tertia. Recte faciet, si *ante Missam formet intentionem* faciendi istis actionibus, quod facit Ecclesia etc., vel dicat orationem: «Ego volo celebrare Missam» etc., qua lucrabitur 50 dierum indulgentias ex concessione *Gregorii XIII.* Dein in Missa ne cogitet de renovanda intentione (etsi ab aliis laudabiliter mente ante consecrationem excitetur intentio formalis), nec dicat, ne interne quidem: Volo celebrare, consecrare etc.; sed certus sit, se intentionem habere sufficientissimam hoc ipso, quod timeat ne desit; cum enim timet carentiam eius tamquam malam, vult eam adesse, ideoque vult consecrare. Quodsi laboret de resumenda intentione formali explicita, timor turbabit cerebrum, videbiturque sibi non habere, aut menti obversabuntur haec verba: «non vis celebrare» etc.: ita committet irreverentiam, haerebit etc., male sustinebit personam Christi.

Regula quarta. Verba consecrationis ne dicat altius quam alia secrete dicenda. Si ob strepitum vel perturbationem forte non audierit verba, moverit tamen linguam et organa vocis, uti solet, quando audibiliter loquitur, ut audiri possit, nihil repetat, quia tunc timor de verbis expressis imprudens est. Dein mutatio alicuius syllabae raro mutat sensum substantialem, ut si quis diceret: «oc est corpus meum, ic est calix sanguinis mei»; satis enim est, ut verba ex modo et circumstantiis, quibus hic et nunc proferuntur, in audientibus pariant sensum a Christo intentum, etsi corrupta per se sumpta in rigore eum non haberent. Potest servire haec regula: Quando voces corruptae non sunt aptae hic et nunc sic coniuncta ad ingenerandum alium sensum, quam qui a Christo est intentus, mutatio non est substantialis; hinc vel ideo non licet quidquam repetere.

Regula quinta. Verba consecrationis proferat *sine metu, sine vi, sine anhelatione* in hostiam vel calicem, *sine nutu capitis,* sed immotus, sicut alia verba profert; quia nimia sollicitudo recte proferendi faciet, ut non recte neque cum debita reverentia proferantur.

Regula sexta. Caveat, *ne ullum verbum repetat,* quamvis timeat, ne non bene expresserit. Si enim verbum vel una syllaba formae sacramenti sine rationabili causa repetitur, est saltem veniale peccatum, quia irreverenter sustinetur persona Christi. Qui vero iudicare debet, se confecisse sacramentum, v. gr. recte pronuntiasse formam quoad substantiam, per se loquendo peccat mortaliter, si repetit formam, quia esset illudere institutioni Christi; nam iudicare debet, se nihil effecturum esse, et nihilominus tentat aliquid efficere; nec potest serio conditionem apponere. Ille autem iudicare debet, se confecisse sacramentum, qui solum leviter dubitat aut suspicatur et timet, nescitque ipse, cur timeat, eo quod non occurrat motivum prudens, sed hoc tantum vel simile: «Forte male pronuntiavi; potuit esse, ut male pronuntiarem.» Unde his contemptis debet pergere, ut monent auctores. Dixi: «per se loquendo», quia *Tamburini*[1], *Gobat*[2], *Sporer*[3], alii putant, eum, qui repetit formam, ut molesto se scrupulo liberet, peccaturum tantum esse venialiter, quia, cum ex anxio metu offendendi Deum agat, videtur tantum legem irreverentiam ex imprudentia committere; immo secundum *Gobat*[4] multi excusantur ab omni peccato, quia saepe non apprehendunt inanitatem sui scrupuli, et perplexi timent, ne magis peccent non repetendo, et cum non habeant tempus examinandi sine suo rubore et aliorum taedio, putant minus malum esse repetere; neque intervenit temeritatis praesumptio, ubi est diligentia pietatis. At, sicut timorati omnes tenentur antea sibi formare conscientiam, opus non esse repetere, illamque dein

---

[1] De sacr. l. 1, c. 1, § 3. [2] Opp. mor. t. 1, tract. 7, n. 172.
[3] Theol. mor. tract. 7, n. 99. [4] Ib.

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY

sequi contempto omni metu: ita multo magis tenetur ad id scrupulosus, quia, si anxietati suae cedat, invalescente habitu, causa erit multiplicis et forte gravis irreverentiae. *Ita sane est, quod ad obligationem generatim sumptam attinet. At si quis, non obstante tali proposito talique conatu spernendi timores orituros, occurrentibus casibus timori cedat atque formam eiusve verbulum repetat, non ilico damnari potest peccati eiusque gravis; sed sententiam *Tamburini* et *Gobat* prudenter applicabis.*

Regula septima. Si quis *prolata iam forma advertat, se fuisse sub illa distractum,* et nesciat, num forte erraverit, non ideo licebit repetere etiam non scrupuloso, qui formam solet bene proferre; sed debet supponere, se bene eam protulisse, tum quia ex communiter contingentibus est prudens praesumptio nec possumus recordari omnia, tum quia attentio et intentio virtualis sufficienter adfuit, cum continuata fuerit actio ex priore formali intentione incohata. Idem ob eandem rationem faciendum est, si quis iam longius progressus dubitare incipiat, an formam protulerit, eo quod de eo iudicandi speciale fundamentum non habeat aut prolatae non recordetur. In his casibus, et quandocumque non est prudens causa dubitandi aut formidandi, sed leves tantum oriuntur scrupuli de valore sacramenti, ne conditionate quidem forma est repetenda. Docent tamen *Gobat*[1] et *Sporer*[2], in dubio, si minister non est scrupulosus, potius inclinandum esse ad repetendum; id quod verum est in dubio de valore baptismi, ordinis, et alterius sacramenti hic et nunc necessarii ad iustificationem peccatoris.

Regula octava. Si incidat sacerdoti apprehensio, utrum per verbum *meum* non velit aut voluerit significare *suum* corpus, aut illud *hic* pronuntiare adverbialiter: hanc apprehensionem, sibi sub ipsa consecratione vivacem, contemnat et velut nugacem negligat nec tentet formare intentionem

[1] Tract. 2, n. 381. [2] Tract. 7, n. 95.

contrariam, quia certo adest intentio generalis praevalens faciendi, quod faciendum est, nec ipse opinari potest, se velle peccare mortaliter, sicuti revera peccaret, si in alieno sensu sumeret verba illa.

Regula nona. Si circa aliquid *fiat quasi perplexus* et nesciat, hocne an illud faciendum sit, ne haereat, sed statim agat, quod primo intuitu ipsi videtur melius, neve ab ista resolutione recedat vel examinet, utrum bene hoc amplexus sit, sed pergat neque turbetur, si postea advertat se errasse; nam excusat bona fides, quam habet sequendo prudentum consilium, immo debet se ostendere in sacrificio irreprehensibilem et in populo vitare scandalum et admirationem.

Regula decima. Timorem, ne sit in statu peccati mortalis, excutiat; nec iudicet, se in eo esse, nisi certo sciat et iuratus possit affirmare.

QUAESTIO XIII.

Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa Missam rite audiendam.

Inanis timor de intentionis defectu abigendus: qualis attentio; ex scrupulo ne altera Missa audiatur.

270. Resp. Accipiantur sequentes regulae:

Regula prima. Ne sit anxie sollicitus *de intentione* Missae audiendae; sufficit enim implicita intentio assistendi Missae tamquam rei sacrae. Hanc autem habet, qui adit templum volens facere officium hominis christiani, vel quod alii fideles faciunt. Item, qui adit, ut sua praesentia per sacrificium Deum honoret, vel per illud beneficia impetret, aut gratias agat, pro peccatis satisfaciat, impleat praeceptum. Item, qui adiit templum ex nulla alia causa etc., adiit enim ex aliqua. Unde insaniae species est scrupulis agitari de intentione, si non constat de contraria.

Regula secunda. Etsi moderata sollicitudo adhibenda sit, ut habeatur *attentio tum externa tum interna aliqua,* haec

tamen anxie quaerenda non est; externa enim habetur ab eo, qui modeste se gerit et omittit omnem actionem incompossibilem cum attentione interna, seu qua durante non possit attendere ad ea, quae in altari aguntur, qualis est scriptio, pictio, confabulatio de re seria, lectio attenta libri profani etc. Attentio autem interna habetur, si quis externe religiose se gerendo sit ita constitutus, ut possit rationem reddere eorum, quae geruntur in altari; haec ordinarie stat cum distractione involuntaria, immo stare potest cum voluntaria. Docet enim experientia, nos simul ad plura posse attendere. Praeterea docent non pauci auctores, attentionem internam non requiri aliam, quam quae habeatur ex ipsa intentione v. gr. orandi, colendi Deum, ex qua procedat oratio vel cultus Dei externus, et vi cuius quis dicatur speciem habere eius, qui cultu externo religiose colat Deum per sacrificium.

Regula tertia. Si *parte Missae vel Missa tota peracta angitur,* ne forte *attentio* requisita defuerit, ne audiat aliud Sacrum, ut scrupulo satisfaciat, sed certo teneat, se satisfecisse; nam legi satisfacere difficile non est, si sit moderate sollicitus, neque plus ab eo requirit Ecclesia. Docetque experientia, eos, qui isti scrupulo cedant, post secundum et tertium Sacrum auditum non esse ab angore liberos; immo eos minus putare se satisfecisse audiendo ultimum, quam primum. Quodsi etiam timeat, ne in pueritia attentio requisita in Missa defuerit, sciat, pueros et rudes non teneri ad tantam attentionem, ad quantam alii, quia moraliter est illis impossibilis, ideoque ab iis non exigitur. Consultum tamen est pro maiore animi quiete, si dubium sit prudens, de eo semel, prout conscientia dictat, in confessione se accusare. In quo loco Missa sit audienda, qualis requiratur praesentia corporalis, doceat confessarius poenitentem, si dubitat; atque etiam, cuius partis omissio constituat peccatum grave et inducat obligationem audiendi aliud Sacrum.

QUAESTIO XIV.

Quomodo dirigendus sit scrupulosus circa fraternam correctionem seu monitionem, qua proximus revocatur a peccato.

Conditiones legis de fraterna correctione; saepe melius differtur quam fit ilico; scrupulosus rarissime statim tenetur corrigere.

271. Resp. Dirigi poterit his regulis:

Regula prima. Per se loquendo non est obligatio hominis privati corrigendi peccatum veniale proximi, nisi facile possit; esset enim onus nimis grave obligatio corrigendi venialia singula passim occurrentia, vergeretque potius in perturbationem pacis quam in fructum caritatis.

Regula secunda. Ut sit obligatio corrigendi vel impediendi peccatum mortale proximi, facturus correctionem debet esse idoneus, ut possit id facere sine gravi suo incommodo iuxta ordinem caritatis. Hinc scrupulosus raro tenetur statim corrigere; si enim sciatur esse nimis anxius, ridebitur; dein nimia sollicitudine sua impinget ipse et fatigabitur.

Regula tertia. Debet esse spes fructus; desperato enim fine cessant media.

Regula quarta. Peccatum proximi regulariter debet esse moraliter certum, ut teneatur privatus corrigere; unde errant scrupulosi, qui, ubi audiunt alios loquentes, statim suspicantur, fore ut proferantur turpia aut detractoria, putantque debere se abire vel monere: haec enim suspicio saepe temeraria est. Et quamvis referantur defectus et peccata proximi, tamen saepe aut detractiones leves sunt aut delicta sunt publica, quod nescit ille meticulosus. Unde non raro imprudenter neque sine iniuria loquentis corriget.

Regula quinta. Si peccatum sit praeteritum, ut sit obligatio corrigendi, proximus debet esse in gravi indigentia, qualis esset certum vel probabile periculum relabendi aut moriendi in peccato, nisi per alterum ei succurratur. Quare si adest alius, qui prudenter credatur correcturus, aut si peccans lapsum merito iudicatur emendaturus, monitione opus non est, nisi aliud exigat bonum commune.

Regula sexta. Si revera sit obligatio corrigendi, correctio non ideo statim facienda est, quia saepe in praesenti non est spes fructus; sed differri potest in tempus opportunum, ubi speratur fructus maior. Unde iterum errant meticulosi, existimantes simul atque audiunt aliquid contra proximum, id sibi refutandum esse: tum quia saepe melius consulitur proximo, si coepta detractio sinatur absolvi, quam si abrumpatur, cum non raro in fine delictum proximi minus appareat quam in principio et relatae circumstantiae id imminuant; tum quia detrahentes saepe nolunt videri errasse et magis exaggerant et confirmant delictum. Hinc aequalis raro, inferior rarissime tenetur corrigere detrahentem.

QUAESTIO XV.

Quae sint regulae praecipuae, quibus se ipsum dirigat scrupulosus.

272. Resp. Colliguntur ex dictis regulae sequentes:

Regula prima. Frequenter a Deo magna cum humilitate et plena resignatione petat lumen et gratiam se dirigendi et obsequendi suo confessario.

Regula secunda. Uno eodemque docto et prudente utatur confessario constanter, eius ductum humiliter sequatur exacte in omnibus, ne petat neve inquirat dictorum rationes, certoque sibi persuadeat se oboediendo non peccaturum, etsi (quod non praesumat), ut erraret, contingeret. Hoc est medium praecipuum, sine quo non liberabitur.

Regula tertia. Quando confessarius edixit, intelligere se statum poenitentis iam satis, et ipsum scrupulis angi, id indubitate credat; alias confessarium mendacii aut temeritatis vel ignorantiae temere arguet, neque dictis eius reliquis obsequetur. Ita autem laborabitur frustra.

Regula quarta. Scrupulis numquam cedat, sed eos velut inania phantasmata contemnat et contra operetur; alias habitum acquiret et de uno labetur in alium. Unde

Regula quinta. Nullius peccati dubii, ut satisfiat scrupulo, apud confessarium mentionem faciat; si scrupulus pergat sol-

licitare, ferat aequo animo molestiam sibique persuadeat, si huic cedat, alium secuturum, ut experientia docet. Si ergo non potest esse liber ab omni inquietudine, ferat hanc lubens pro expiatione peccatorum suorum cum firma spe quietis tandem futurae.

Regula sexta. Discat se ipsum dirigere ex principiis a confessario datis, neve ad eum recurrat, nisi quando confessio peragenda est.

Regula septima. Sit brevis in examinanda conscientia. Si occurrat cogitatio de examinando aliquo peccato, eam reiciat ad tempus ordinarii examinis, neve iudicet, se peccasse graviter, nisi sine ullo examine iuramento, si necesse foret, id affirmare possit. Si timeat, ne iam peccaverit, dicat cum fiducia: «Domine, ne irascaris, si cadant pupilli tui. Scis, quam miserabilis sim; adiuva me, ne umquam offendam te.» Durante anxietate ne se examinet, sed reiciat in aliud tempus, quo mens erit serena; in quo, si prudens sit dubium, examinare paucis poterit, sed petito prius a Deo lumine, qui suis deesse non solet: durante enim anxietate aptus non est ad ferendum iudicium prudens.

Regula octava. Diligenter studeat mortificare iudicium proprium, cuius si amator est, non curabitur, nisi accedat specialis gratia, quam exspectare non potest.

Regula nona. Vitet otium et tristem solitudinem: unde semper habeat, quo occupetur; excitetque animum ad gaudium spirituale de Dei Domini nostri bonitate, clementia, misericordia, omnipotentia; et serviat Deo in laetitia. «Hilarem enim datorem diligit Deus» (2 Cor 9, 7).

QUAESTIO XVI.

Quibus poenitens ad perfectionem tendens, inordinate tamen anxius de statu gratiae, sit erigendus.

273. Resp. Erigendus est signis seu effectibus praesentis gratiae. Quamvis enim Deus, ut in humilitate nos conservaret, noluerit nos esse certos de statu gratiae certitudine fidei, dicente Eccle 9, 1—2: «Sunt iusti atque sapientes, et opera

eorum in manu Dei: et tamen nescit homo, utrum amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta»; sic tamen nos voluit esse humiles, ut non simus diffidentes, signaque praesentis gratiae nobis exhibere dignatus est, ex quibus de eius statu moralis certitudo haberi possit. Signa autem sunt sequentia:

274. *Primum.* Magnum peccati commissi odium et horror admittendi iuxta illud Ps 96, 10: «Qui diligitis Dominum, odite malum»; si †ex caritate† abominaris quaecumque peccata, morique potius sis paratus, quam Deum gravi peccato offendere, sine dubio crede, te liberum esse a peccatis.

Secundum. Observatio mandatorum, secundum illud Christi Io 14, 21: «Qui habet mandata mea, et servat ea, ille est, qui diligit me.» Certiorem te reddet hoc indicium, si accedat observatio consiliorum, vel si serventur mandata ex puro Deo placendi desiderio etiam in iis, quae naturae contraria sunt. Hoc argumento Christus instante passione testatus est amorem suum erga Patrem dicendo: «Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem . . , surgite, eamus hinc» (Io 14, 31).

Tertium est proximi propter Deum dilectio non otiosa, sed laboriosa, secundum illud: «Hoc mandatum habemus a Deo: ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum» (1 Io 4, 21). Itaque si proximo propter Deum benefacis, si compateris et succurris in miseriis, si bona reddis pro malis, noli diffidere de statu gratiae; ignis pictus non urit, caritas ficta talia non operatur.

Quartum. Sincera cum vero dolore firmoque proposito peccatorum omnium confessio, ita ut nullius peccati gravis te conscientia accuset, secundum illud 1 Io 3, 21: «Carissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum»; et illud Eccli 13, 30: «Bona est substantia, cui non est peccatum in conscientia.» Certius redditur hoc indicium, si accedat vita diu nullo peccato gravi contaminata; nam secundum communem theologorum sententiam homo etiam fidelis in praesenti naturae statu cum ordinariis gratiae auxiliis

non potest potentia morali per longum tempus sine gratia habituali abstinere ab omni peccato mortali, ita ut etiam hoc sensu dicere liceat: «Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, et arescet» (Io 15, 6). Unde qui lapsus est in peccatum mortale, ordinarie per notabile tempus non abstinebit a pluribus, quia cor habet a Deo aversum et creaturis addictum, et deest specialis Dei protectio et gratia. Quare, qui Deo serviens diu non peccavit graviter, confidere merito potest, se in Dei gratia esse.

Quintum. Horror culparum venialium et amor Dei singularis; qui enim raro plene deliberate peccat venialiter, et si per subreptionem vel fragilitatem veniale admiserit, ilico dolet, non acquiescens, donec illud poenitentia deleverit; qui Deum singulari amore complectitur, de eius perfectionibus gaudet, de eius cultu sollicitus est, deque illo Deo gratulatur: is dubitare non potest, se a Deo amari et in gratia esse. «Confidit amari», ait *S. Bernardus* (Ep. 107, n. 7; ML CLXXXII 246), «quoniam se sentit amare.»

Haec moralem faciunt certitudinem de statu gratiae, quam non parum auget desiderium, quod quis in se sentit magis et magis in spiritu proficiendi, plura et plura pro Christo patiendi: «Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei» (Rom 8, 14), et: «Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei» (Rom 8, 16). Nec obstat, quod dicitur Eccli 5, 5: «De propitiato peccato noli esse sine metu»; nam, ut ex contextu patet, sensus est: noli ideo licentius vivere et addere peccata peccatis.

INDEX ALPHABETICUS,

qui remittit lectorem ad numeros marginales.

Abominatio distinguitur ab odio inimicitiae 78.

Absentia quae et quanta parocho permittatur 154.

Absolutio sacramentalis 21; verba essentialia et accidentalia 22; quo sensu proferenda 23; nequit sine causa denegari 25; conditionate danda 26; dari nequit sub conditione futura 24; dari debet etiam venialia tantum peccata confesso 32; num dari possit dimidiate confesso 30, relapsum timenti 33, ei quem peccatum tacuisse confessarius aliunde sciat 36; quando differenda 34, vel neganda 35; numquam neganda cum asperitate 37; repetenda post novum peccatum grave accusatum 27; dari nequit nisi moraliter praesenti 31; danda est etiam post horas a confessione elapsas 48; moribundis dari potest a quolibet sacerdote 211, cum quo onere ib. *in fine;* quomodo et quando moribundis danda 216, pueris 105, saepe relapsis in venialia 187, iis qui nullum peccatum in specie confitentur 117; num dari possit a confessario qui nullius peccati accusati in specie memor sit 28; a censuris an et quando sacramentali absolutioni praemittenda 29; a censuris reservatis quando dari possit cum onere recurrendi 34; complicis 29 *nota* 34 211.

Acatholicus moribundus quomodo sit tractandus 203; qui vult disputare de religione 204 sq.; qui vult in Ecclesiam recipi 197 sqq.

Acceptio personarum cavenda est a magistris 155.

Acedia quid sit 95; ut peccatum speciale et mortale in quo consistat 96; generat alia peccata 97; quibus remediis curanda 98. Cf. Tepor.

Actus virtutum theologicarum cum aegroto eliciendi 210 212 215 223.

Administratio bonorum quam maritus habeat 125.

Adulescentes qui dicantur 99; quomodo examinandi in confessione 106; de quibus sint monendi 107; quomodo excitandi ad dolorem de peccatis 12 104; quales poenitentiae sacramentales iis imponendae 108; quomodo sint dirigendi circa electionem status 109.

Adulteratio rerum 160.

Adulterium non privat iure petendi debiti coniugalis 120.

Adversa tolerare quam sit meritorium 214.

Advocatus: eius obligationes et peccata specialia 167 a.

Aegrotus v. Infirmus.

Aemulatio bona et mala 77.

Aetas discretionis 101; pro s. Communione 101 *cum nota*.

Affectio venditoris ad rem auget pretium 158.
Alere prolem quomodo parentes obligentur 129.
Alloquium, num et quando inimico debitum 229.
Ambitio 58.
Amens qui incapax absolutionis sacramentalis 192; quoad s. Viaticum 221; quoad debitum coniugale 120. Eum inducere ad blasphemias non licet 185.
Amor filiis a parentibus debitus 128; parentibus a filiis debitus 137; quibus modis laedatur 138; coniugum mutuus 119. Cf. Caritas.
Apostolica benedictio in articulo mortis eiusque conditiones 211.
Arrha quid sit 126.
Arrogantia signum spiritus mali 248.
Assecuratio operariis debita 156a.
Associationes adulescentibus commendandae 107; pro familia et parentibus 136; viris commendandae 118b.
Attentio in recitandis horis canonicis necessaria 268; in audienda Missa 270; interna et externa 270.
Avaritia 62 sqq. Remedia 65.

Bellum gerere quamdiu liceat militi gregario 165 sq.; b. iniustum ad quid obliget milites 166.
Benedictio apostolica v. Apostolica benedictio.
Beneficia Dei ut motivum doloris de peccatis 12.
Benignitas confessarii 188m; cum iis qui in statu perfectionis graviter lapsi fuerint 246.
Bernardus, S., de agendi modo cum peccatore recidivo 188k.
Blasphemia 90 92; gravi poenitentia punienda 94; remedia 94. Cogitationes blasphemae quomodo vincendae 267; consuetudinarius in blasphemia ad quid teneatur 185; ad blasphemiam inducere puerum, amentem, ebrium num liceat 185.
Bona *coniugum* 122 sqq.; dotalia 122; contradotalia 123; praeterdotalia 124; quis ea administret 122.
— *ecclesiastica* quomodo praescribantur 232.
— *filiorum* 139; libera et non-libera 139 *nota;* castrensia et quasi-castrensia eorumque iura 139 140; adventitia 141; profectitia 142; quorum habeant administrationem et usumfructum 141 sq. 143.
Bona fides quando non sit turbanda 7.

Can. 6: 154 — 306: 154 — 339: 154 — 401: 34 — 451 sq.: 154 — 461: 154 — 465—467: 154 — 468: 154 211 — 472 sq.: 154 — 509: 254 — 518: 34 — 519: 34 — 595: 254 — 731: 203 — 734: 226 — 743: 167 — 747 sq.: 167 — 752: 203 — 770: 154 — 773: 154 — 804: 222 — 847: 221 — 849 sq.: 221 — 854: 101 221 222 254 — 858: 221 — 863: 154 222 254 — 864: 221 — 882: 211 — 884: 29 — 885: 22 — 886: 25 34 173 178 234 — 889: 196 — 892: 154 — 894 sqq.: 34 — 899 sq.: 34 — 902: 32 — 903: 196 — 932: 16 — 936: 226 — 940—942: 225 — 944 sq.: 226 — 947: 226 — 984: 243 — 986: 101 — 1033: 113 — 1111: 119 — 1113: 113 128 — 1148: 226 — 1325: 204 — 1329 ad 1332: 154 — 1335: 149 — 1344: 154 — 1372: 128 — 1374: 129 — 1379: 129 — 1395—1405: 118b — 1508 sq.: 232 — 1510—1512: 232 — 2170—2172: 154 — 2217: 29 — 2230: 101 — 2245: 29 — 2247: 29 — 2250: 202 — 2252—2254: 34 — 2314: 202 — 2319: 129 — 2320: 29 — 2342 sq.: 101 — 2343: 29 — 2352: 129 — 2367: 29 34 — 2369: 29 — 2381: 154 — 2403: 154.
Capitis damnati s. Viatico donandi sunt 221; non s. Unctione 225.

Caritas: caritatis actus 215, cum aegroto eliciendus 210—215 223; erga proximum activa signum boni status animi 274; erga inimicum quaenam debeatur 229 231.
Castratio puerorum illicita 129.
Caupo vinum subministrans iis, qui se inebriaturi sunt 87 163.
Causa efficax et inefficax pravi motus 70; per se et per accidens ib.; quaelibet, si ponatur ex prava intentione, grave peccatum constituit 71; per se efficax etiam sine prava intentione poni nequit nisi ex gravi causa et secluso periculo consensus 71; leviter influens non est graviter peccaminosa contra castitatem, etiamsi aliunde graviter peccaminosa est 71.
Censurae: absolutio 29 34 211.
Choreae: pericula et abusus 112.
Christi exemplar patientiae 214.
— imitatio perfectionis medium 42.
Cibus: excessus in cibo ex se peccatum veniale 84 85; quando grave peccatum 84.
Circumstantiae peccatorum, quae non interrogandae 4.
Codex iuris canonici: v. Can.
Cogitatio speculativa et practica 66; quando et quale peccatum 68; quomodo circa haec examinandus sit poenitens 68; quae specifica distinctio observanda 68. C. mala peccaminosa fit per consensum ib. 265; timor consensus nimius deponendus 267.
Cohabitatio coniugum 119; cum persona male amata quomodo removenda sit vel in necessitate periculum imminuendum 173.
Comedere ad satietatem sitne peccatum 82; comedere ex mera voluptate 83.
Communio medium perfectionis christianae 47; danda moribundo quoties 221; etiam non ieiuno ib.; num cum periculo vomitus ib.; num amenti ib.; vel puero 101 222; frequens et quotidiana, decretum Pii X 254; decr. Leonis XIII de Congreg. religiosis ib. Cf. Viaticum.
Compensatio occulta operariorum 163; licitane sit famulis 152.
Complexio diversa attendenda in dirigendis et tractandis poenitentibus 245.
Conditio in absolutione sacramentali quando 26; in Extrema Unctione quae et qualis adhibenda 225.
Confessarius: muneris excellentia 1, meritum ib.; complectitur diversa opera misericordiae ib.; quae observare debeat aditurus confessionale 2; quae in confessione 3; ad quae eius munus extendatur 188a sqq.; cavere debet tum a nimia benignitate tum a nimia severitate 188m et n; sibi diffidens confidat Deo 2; ut intermedius in causa restitutionis 235; unus idemque retinendus a scrupulosis 263; recursus ad confessarium frequens scrupuloso interdicendus 263.
Confessio frequens medium perfectionis christianae 47; consuetudinario omnino suadenda 179 188i; epistolaris vel per testes 31 *cum nota*; aegroti eiusque ad eam dispositio 210; interrogatione supplenda 3 4 114 211; generalis quomodo peragenda 189, quando suadenda 182 190, quando necessaria 189, quando interdicenda 190, ab homine scrupuloso 266.
Coniugale *debitum* 119; negare quale peccatum 119; excusatio 120; usus rectus et peccaminosus 121; reddere liceatne petenti cum peccato 120 121.
Coniugalis *castitas* 121.
Coniuges: mutua obligatio 119 sqq.; quando peccent mutuis tactibus 121, tactibus solitariis 121, cogitationibus 121. Eorum bona 122 sqq.; querelae eorum mutuae 130 sqq.

Conscientia: cum qua c. actio posita sit, num interrogare confessarius debeat 4. Contra eam agere possitne homo scrupulosus 263 264.
Consecratio in Missa quomodo facienda 269; ne facile repetatur ib.
Consensus in peccatum quando censeri debeat adfuisse 265 267.
Consolatio quid sit 251: cur detur a Deo 252. Modus agendi in ea 251. Cf. Pauperes.
Conspectus: alterius conspectui se offerre, quando illicitum 112.
Consuetudinarius quis dicatur 175 188 b; quibus signis probet dispositionem bonam 177; quando absolvendus 178. In eo absolvendo vitanda duo extrema 179 180; non absolvendus qui non serio conetur emendationem 178; obligandus ad consuetudinem exstirpandam 188 d; quando ad tempus dimittendus 178; inducendus ad confessionem quam frequentissimam 179; frequenter relapsus inducendus est ad confessionem generalem 182; pusillanimus erigendus 181; dolore perculsus ab eo non retrahendus 180; in rebus compluribus prava consuetudine affectus, quomodo tractandus 183; luxuriae consuetudine affectus 184, qui serio conversus diu inhaerere potest cogitationibus pravis, quin plena sit advertentia 267; assuetus blasphemiis 185; assuetus diris imprecationibus 186; periuriis assuetus 186; si sit scrupulosus, quomodo tractandus 266. Remedia generalia 188.
Consuetudo peccati non aufert libertatem 188 b; creat tamen peccandi periculum 188 c; est causa multorum peccatorum saltem materialiter consideratorum 188 c.
Contentio e superbia nascitur 56.
Contritio cum aegroto elicienda 210 215. Cf. Dolor.
Contumelia quale peccatum 60; quibus modis committatur 76; ex superbia oriunda 59; oriunda ex invidia 76, ex ira 90; illata qualem inducat obligationem reparationis 93.
Convertendus a Iudaismo quomodo tractari debeat 205.
— ab haeresi, quomodo tractandus 197 sqq.; cum caritate, at etiam caute tractandus est 197 201; benigne examinandus in confessione 202. Eius professio fidei 201; absolutio et reconciliatio requirit recursum ad episcopum 202.
Convicium quid sit 76; apud rudes non facile est grave 93; in inferiores saepe etiam excusatur a peccato gravi 93.
Cooperatio famulorum cum heri peccatis 152.
Correctio quam debeant parentes filiis 129; quam debeant sibi coniuges invicem 119; fraterna erga proximum quando obliget 271, non semper statim facienda 271.
Curator: eius munus 156.
Curiositas cavenda a confessario 4.

Damnati capitis s. Viatico donandi 221, non Extrema Unctione 225. Eorum cura ex parte confessarii 240 sqq.
Damnum illatum qualem secum ferat obligationem restitutionis 232.
Debita viri num uxor solvere debeat 127.
Debitum coniugale v. Coniugale debitum.
Defectus filiorum parentes sibi invicem revelare quomodo possint 129.
— a confessario commissi quomodo corrigendi sint 48 sqq.; ex iustitia an ex caritate tantum 51 *cum nota*; generatim nonnisi post acceptam veniam a poenitente 54. — De cetero cf. Correctio, Vitia.
Delectatio spiritualis, sensitiva, venerea 66.

Depositum ad quid obliget coram lege, ad quid in conscientia 163.
Desiderium pium non quodlibet executioni dandum 245; perfectionis christianae, optimum medium eius acquirendae 42.
Desolatio 252; eius causae ib.; regulae in ea tenendae 253; quomodo curanda 253.
Desperatio: tentatio ad eam quomodo superanda 267; quomodo erigendus qui ad desperationem proclivis est 238—239.
Detractio ex superbia nascitur 59, vel ex invidia 76.
Devotio vera in quo consistat 251; sensibilis ib. Devotionem qui profitentur quomodo dirigendi 245 sqq. Cf. Perfectio.
Diabolum saepe nominare sitne peccatum 91. Se ei devovere 92.
Diffidentia poenitentis ob peccatorum gravitatem et numerum quomodo vincenda 237; propter relapsum 238; propter tentationes 239.
Dilatio absolutionis quando necessaria 34.
— conversionis quomodo a confessario impugnanda 207.
Dimidiare confessionem num liceat 36.
Directio in vita christiana perfecte instituenda 38 sqq.
Discipuli: obligationes erga magistros 155.
Discretio spirituum 247.
Discretionis aetas 101.
Dispositio ad poenitentiae sacramentum 11. Poenitentes iuvandi 10 sqq.
Distractio in exercitiis spiritualibus 97; in horis canonicis 268; in celebranda Missa 269; in Missa audienda 270.
Dolor de peccatis: motiva 12 13 40; in eo eliciendo iuvandi poenitentes 10 sqq. Doloris eiusve defectus signa 11 34; in consuetudinariis 177; quando parum appareat, quid a confessario agendum 208; aliquando aut fovendus aut moderandus 246; debeatne praecedere confessionem 11; sitne renovandus, si post factam confessionem novum peccatum declaratur 27.
Domicilium figendi ius est mariti 119.
Dominicalis requies v. Requies.
Dominus v. Herus, Patronus.
Dona a venditoribus famulo data num possint retineri 152.
Dormiens confessarius quomodo se expediat 28.
Dubia conscientia quomodo deponenda a scrupuloso 264.
— dispositio poenitentis num admittat absolutionem conditionatam 26 216 218.
— mors secuta quando est, quid agendum confessario 219.
— peccata scrupulosus ne confiteatur 264.
Dubius rationis usus, in quo absolutio conditionate danda sit 26, num Extrema Unctio 225.
Duritia in pauperes quale peccatum 63.
Dux militum: obligationes 164.

Ebrietas, ebrius: in quo consistat 85; imperfecta et perfecta 86: eius signa 86; num semper peccatum mortale 86; licitane sit evitandae mortis causa 87. Occasio proxima 87. Remedia 88 133. Ad ebrietatem inducere 87, amentem vel puerum inducere ib.; num liceat cauponi subministrando vinum cooperari 87 163. Ebrium inducere ad blasphemias non licet 185. Ebrio coniugale debitum reddere num uxor teneatur 120; quomodo uxor virum ebriosum tractare debeat 131. Quomodo agat vir cum uxore ebriosa 133.
Educatio filiis a parentibus debita 128; corporalis et spiritualis ib. 129.
Eleemosynas dare, quomodo liceat uxori 127; num famulis 152.
Emptio v. Venditio.

Errores a confessario commissi quomodo corrigendi 48 sqq. Error in absolutionis forma 48; in interrogando numero et specie peccatorum 49; in monitione facienda 50; in restitutione imponenda aut deneganda 51—53; num corrigi possit sine licentia poenitentis 54.
Esculenta a famulis surripi et consumi quale peccatum 152; extraneis dari ib.
Examen confessarii post exceptas confessiones 55; e. conscientiae frequens medium perfectionis christianae 46; tempore desolationis 253; in ordine ad confessionem qualis obligatio 4, a confessario supplendum 3, quomodo 4, in quibus poenitentibus 4, idque caute et moderate ib.; in confessione a multis annis facienda 189 *cum nota;* a scrupuloso homine sit breve 272.
Excommunicationes specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatae 29; absolutio ab iis in periculo mortis 211, in casibus urgentioribus 34.
Exponere prolem num liceat 129.

Familiaritas num inimico debita 229.
Famuli: obligationes 151 sqq.; discedentes habeantne ius ad salarium 152; fidem hero servare debent 153. Eorum iniustitiae frequentiores 152; possintne servitium suum addicere haereticis, qua conditione 152.
Fatuus v. Amens.
Feminae cum gravitate tractandae a confessario 110.
Fervor imprudens reprimendus 246: facile convertitur in laxitatem ib.
Fidentia nimia reprimenda 246.
Fides necessaria in motivis doloris 13; quomodo elicienda 215, cum aegroto 210 215; professio a convertendo exigenda 201; tentatio contra f. quomodo vincenda 267.
Filius familias: obligationes erga parentes 137 sq.; bona fortunae diversi generis 139 sqq.; furtum quando a gravi peccato immune 144; retinens ex lucro quod fecit 145; propter labores domi praestitos compensationis titulo sibi aliquid assumens 145; hereditatem cum aliis adiens quae debeat ut iam accepta computare 146; querens de vitiis parentum apud confessarium 147; quomodo generatim instruendus sit a confessario 147.
Finis supernaturalis quantopere aestimandus 39.
Foedus post bellum initum quomodo servandum 167.
Fraus quid sit 63.
Fructus rei alienae qui restituendi 232.
Furta minuta famulorum 152; filiorum familias 144.

Gaudium de proximi bonis concipiendum est, cur 80; de proximi malis, quale peccatum 76; de pollutione quando peccaminosum 73.
Generalis confessio necessaria, quomodo peragenda 189; quando libera 191; modo suadenda, modo interdicenda 190 266.
Gratiae status quibus indiciis cognoscatur 274.
Gula 81; ex se est peccatum veniale 84; quando fiat mortale peccatum 84.

Haereticus formalis et materialis tantum unde dignoscatur 198; modus agendi cum eo, qui vult cum Ecclesia reconciliari 197 sqq.; qui vult disputare de religione 204 sq.; quoad sacramenta 203; quomodo instruendus 199 sq.; quomodo recipiendus in Ecclesiam 202; moribundus quomodo tractandus 203.
Hasta: venditio sub hasta, quale pretium in ea sit iustum 158; quae praxes permitti possint ib.
Hebetudo mentis quomodo tractanda, prout oritur ex vitio aut ex naturali infirmitate 117.

Hereditas quae debeatur filiis 129.
Herus: eius obligationes erga famulos 148 sqq.; quoad salarium 149; quoad bonos mores famulorum 149; erga famulos aegrotantes 149; de quibus sit monendus 150.
Horae canonicae: modus recitandi et scrupulos abigendi 268.
Humilitas necessaria ad perfectionem christianam assequendam 44; signum spiritus boni 248 250; a scrupuloso maxime exercenda 263.
Hypocrisis 58.

Iactantia 58; peccaminositas eaque multiplex 60.
Ieiunium ante sanctam Communionem eiusque dispensatio 221.
Ignorantia circa scitu necessaria quomodo tractanda 117; circa obligationes modo auferenda, modo non 7.
Illusio quid vocetur 76.
Imagines lascivae destruendae 188 e.
Imitatio Christi perfectionis christianae medium 42.
Impatientia ne ostendatur a confessario 3.
Impedimenta matrimonii quomodo in casu necessitatis evadant dispensabilia 211 *cum nota*.
Impedire damna teneaturne famulus ex iustitia 152.
Improperium quid sit 76.
Incestus quomodo specie distinguantur 4.
Indignatio nascitur ex invidia 77, ex ira 90; contra eum, qui excitet ad virtutem 97.
Indoles spectanda in directione hominum piorum 245.
Indulgentiae acquiri possunt etiam per satisfactionem sacramentalem 16.
Industriae a famulis factae cedantne in lucrum proprium an in domini lucrum 152.
Infantes usque ad quam aetatem dicantur 99; eos inducere ad blasphemias non licet 185.
Infirmus quomodo tractandus 209 sqq. 227; quid circa eum agendum ante accessum 209, in primo congressu 209; iuvandus ad praeparandam confessionem 210, in examine conscientiae 211, in concipiendo dolore ib.; urgendus ad implendas obligationes 211; in casu restitutionis 235; in casu inimicitiarum 211; adiuvandus in actibus virtutum eliciendis 212 sqq.; quomodo absolvendus 211. Cura rationabilis contra infectionem 227. Cf. Moribundus.
Inimicitiae 78; quibus signis deprehendantur 228—230; obligatio deponendi 229; quibus mediis deponendae 231; motiva reconciliationis 230; modus inducendi ad reconciliationem 230; in casu moribundi 211.
Insolita: nisus ad ea facile oritur a spiritu malo 248; aliquando tamen a bono spiritu ib.
Inspiratio spiritus boni unde dignoscatur 248.
Instructio poenitentis quando sit necessaria 5; num ilico 6; ad vitam perfecte christianam 8; quam paro chus paroecianis debeat 154.
Intentio bona medium necessarium perfectionis christianae 45; orandi in horis canonicis 268; celebrandi in Missa 269.
Interpres in confessione facienda est res consilii, non praecepti 196; modus agendi sine laesione secreti ib.
Interrogatio in confessione audienda quando et quomodo 3; eius defectus num et quando supplendus 49; modus et ordo interrogandi de peccatis luxuriae 68 *cum nota* sqq.
Invalide confessus quomodo iuvandus 189.
Invidia 75; distinguenda a similibus affectibus 77; eius soboles 76; remedia 80. Invidus quomodo examinandus 78.

Ira 89; quando peccatum mortale 89; eius soboles 90 sqq.; remedia 94.
Irregularitas ex defectu lenitatis an et quando confessario immineat 243.
Irrisio quid sit 76.
Iudaeus convertendus quomodo tractari debeat 203.
Iudex: obligationes et peccata specialia 167a.
Iuramentum: quae verba requirantur 186; consuetudinarius in proferendo iuramento 186; defectus veritatis in iuramento peccatum mortale ib.; defectus iustitiae modo mortale, modo veniale peccatum ib.

Labores serviles diebus festivis qui peccatum grave 163; licitine sint famulis 152.
Lactare prolem quae sit obligatio matris 129.
Lenitatis defectus: v. Irregularitas.
Leo XII reprehendit nimiam confessarii severitatem 188m.
Libri, boni et mali, monitio ad adulescentes 107; pro viris catholicis 118b.
Literas alienas legere 64; dilaceratas legere ib.
Lucrum ex industria in venditione et emptione factum possitne famulus retinere 152.
Ludimagistri: obligationes 155.
Luxuria 66 sqq.; remedia 74; luxuriosus quomodo in confessione examinandus 68.

Magistri: obligationes erga discipulos et peccata specialia 155.
Maledictio 90; assueti quomodo examinandi 91; in res inanimatas 92; parentum in filios 92; sine animo prolata quando peccatum mortale 92; apud rudes 93; remedia 94.
Malum optare 76 79 90 92; quomodo examinandum 91; filiis 92; parentibus ib.
Maritus: obligationes 119 sqq.; eius bona 122; facultas administrandi bona uxoris 122 125; si bona dilapidat 127 *cum nota*; si contraxit debita 127.
Matrimonium ineundum in mortis periculum dispensatione ab impedimentis 211 *cum nota*.
Matutinum donum quoad uxores 126.
Medicus: obligationes et peccata specialia 167a.
Memoria peccatorum qualis sit necessaria confessario, ut absolvat 28.
Mendacium aut restrictio apud famulos 153.
Mercatores: eorum obligationes et peccata specialia 157 sqq.
Merces v. Salarium.
Milites, Militia: obligationes 165 166; peccata frequentiora 166; desertores 166; a militia fraudulenter eximi 164.
Minores qui dicantur 99; qualem oboedientiam debeant curatori 156.
Missa celebranda cum decore sine scrupulositate 269; applicanda pro populo 154; audienda quomodo 270; a famulis si negligitur, quomodo peccetur 152.
Moniales circa sanctam Communionem pendent a confessariis 254.
Monitio poenitentis quando necessaria 7; sit benigna 9.
Morbum sanare liceatne per ebrietatem 87; morbus qui excuset a debito coniugali praestando 120; morbi tempore non licet parocho absentem esse 154.
Mores: bonis moribus operariorum patroni invigilare debent 156a.
Moribundus quoad confessionem 211; a quolibet peccato absolvendus 211; quando conditionate absolvendus 26 216; iuvandus in actibus virtutum eliciendis 212 sqq. 215; sensibus destitutus quando absolvendus 216sqq.; an absolvendus saepius 220; dubie iam mortuus 219; acatholicus 203; restitutioni obnoxius 235; quoad Viaticum 221; Extrema Unctione donandus 224 sq.

Morphium: eius usus licitus et illicitus 87.
Mortem optare sibi aut alteri quando liceat 79; ex ira 92; filios parentibus ib. 138.
Motiva doloris etc. v. Dolor etc.
Motus interiores: discrimen inter bonos et malos saepe difficile 247; signa discriminis 248 249 250 251.
Munera fomentum amoris illiciti 112; quae per puellam accipiuntur ib.
Munus confessarii etc. v. Confessarius etc.
Mutari bona proposita tempore desolationis non debent 253.
Mutilatio in recitandis horis canonicis 268, in Missa 269.
Mutus, non surdus, quomodo tractandus quoad confessionem 194; mutus idemque surdus (et caecus) quoad sacramenta 195 221.

Nummos cum lucro commutare liceatne famulo 152.
Nutrix in necessitate qualis esse debeat 129.

Obduratus peccator quomodo tractandus 206 208.
Oboedientia marito debita ab uxore 119.
— parentibus debita 137; quomodo laedatur 138; quomodo diiudicanda 147; num debeatur in electione status vel matrimonii 138.
— erga confessarium exigenda est ab iis, qui ad perfectionem tendunt 245; scrupulosis maxime necessaria 262 263.
Occasio peccandi 168 188e; proxima et remota, absolute et relative proxima, continua et non continua, voluntaria et involuntaria 168; remota non obstat absolutioni 169; omnino necessaria per se absolutioni non obstat 170 188e, sed ex proxima reddi debet remota, quomodo 188e; proxima et libera vitari debet, sive est continua sive non 171 172; continua et libera plerumque deseri debet ante absolutionem 173 (exceptiones ib. et 188f.), maxime si poenitens aliquoties confessarium fefellit 173; non ita libera quousque permitti possit 174 188l; a moribundo quomodo removenda 211.
Odium inimicitiae et abominationis 78; quomodo deprehendatur 228; odii signa dare 230; quomodo tractandus, qui nolit odium deponere 230; tentatio quomodo vincenda 267. Cf. Inimicitiae.
— rerum spiritualium ex acedia oriundum 97.
Oleum benedictum si deficiat 226; catechumenorum aut chrismatis sitne materia apta Extremae Unctionis 226.
Onanismus possitne silentio praeteriri a confessario 121; quid uxori in eo casu liceat 121.
Operarii: eorum iura et obligationes 156a 156b 162 sq.; ad quam diligentiam teneantur 156b.
Operistitium generatim dissuadendum 156b; quando licitum, quando illicitum 156b.
Opifices: obligationes 162 sq.; fraudes frequentiores 163.
Opium: eius usus ex quo capite malus 87.
Optare malum alteri 76 79 90 92.
Oratio ad acquirendam virtutem christianam medium efficax 42. Cf. Attentio.
Ornatus muliebris qui permissus 112.
Oscula dare vel accipere quando illicitum 112; inter coniuges 121.

Parentes: obligationes eorum 128 sqq.; querelae 134; quomodo instruendi sint a confessario 136; mittentes filios ad magistrum haereticum 129.
Parochus: obligationes 154.
Passio Christi motivum doloris de peccatis 12; patientiae motivum 214.

Patientia: motiva ad eam exercendam 214.
Patronus quid debeat operariis conductis 156a; ad quae opera bona exhortandus ib.
Pauperes consolandi 115 135.
Peccator obduratus quomodo tractandus 206 208; differens conversionem 207.
Peccatum summo odio persequendum 40; alienum si narratur in confessione 3.
Percussio parentum peccatum mortale 138.
Perfectio christiana 38 sqq.; in quo sita sit 245; media generalia 42 sqq.; tentationes speciales 246; illusiones 247 sqq.; agendi modus in probationibus spiritualibus 251 sqq.
Periculum peccandi proximum 168. Cf. Occasio.
Pertinacia soboles superbiae 59.
Philippus Neri, S.: eius agendi modus cum recidivo 188k.
Poenae aeternae ut motivum doloris de peccatis 12.
Poenitens quomodo excipiendus 3; luxuriosus quomodo tractandus 68 sqq.; differre volens conversionem 207; dolorem exiguum prae se ferens quomodo tractandus 208; induratus 206; linguae ignotae 196; offensam condonare nolens 230; pudibundus et pusillanimus 236 237; semifatuus 192; surdus et mutus 193 sqq.
Poenitentia sacramentalis iniungi debet 14; num ei, qui statim redit novumque peccatum accusat 19; inconveniens 18; quae utiliter iniungatur 16; pueris iniungenda 105; pro adulescentibus 108; pro blasphemis et diris imprecationibus assuetis 118; pro luxuriosis 16 74 188; proportionata quae sit 15; ex qua causa imponi possit iusto minor 17; quae moribundo imponi possit 211.
Pollutio naturalis et innaturalis 73; eam non impedire ib.; de ea gaudere ib.; eamque promovere ib.
Practica cogitatio 66.
Praeda: in praedam dare locum in bello captum liceatne 166; in capiendo loco quid observare debeat miles 166.
Praescriptio bonorum et iurium quae liberet a restitutione 232.
Praesentia Dei medium perfectionis 42.
— poenitentis qualis requiratur ad absolutionem 31.
Praesumptio 58 246.
Pretium in emptione et venditione iustum eiusque limites 156a; ex qua causa crescat vel decrescat 158; iustum indicandum est ementi vel vendenti qui ignorat 158; legale, vulgare, conventionale 157; currens, etsi brevi diminuendum, non est iniustum 158, aliquando tamen contra caritatem ib.; specietenus tantum diminutum 160.
Probatio eorum, qui ad perfectionem tendunt, ne sit aperta 245.
Profanatio ss. specierum punitur excommunicatione specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata 29 *nota*; ab eadem absolutio 34 211.
Professio fidei a convertendo exigenda 201.
Prolem evitare num et quomodo coniugibus liceat 120 121.
Provectiores in vita spirituali: eorum pericula et lapsus 246; conversio ib.
Provocatio ad malum quoad amentes 185; quoad ebrios ib.; quoad pueros ib. et 87 *cum nota*.
Publica negotia a viris non negligenda 118b.
Pudor poenitentis in sui accusatione quomodo vincendus 236.
Puellae: agendi modus confessarii cum iis 110; specialia earum peccata 111. De cetero v. Pueri.
Pueri qui dicantur 99; quando peccati capaces 100; facilius capaces

venialis peccati quam mortalis 100; quando legi naturali et divinae obnoxii 101, quando legi humanae ib., censuris eccles. ib.; legi confessionis et Communionis ib. et 222; quomodo examinandi 102; caute examinandi de rebus turpibus 102; iuvandi et disponendi ad dolorem de peccatis 10 11 104; quomodo dignoscantur graviter peccasse 102; quibus peccatis communius obnoxii sint ib.; cum qua poenitentia sacramentali dimittendi 105; dubie rationis capaces vel dubie dispositi num absolvendi 26 105; quando sancto Viatico muniendi 101 222; quoad Extremam Unctionem 225; eos provocare ad mala 87 *cum nota*; inducere ad usum potus alcoolici ib.

Pupilli qui dicantur 99; eorum obligatio erga tutorem 156.

Purgatorium ut motivum doloris de peccatis 12.

Pusillanimitas poenitentis quomodo vincenda 237 sq.; propter tentationes orituras 239; quando oriatur ex acedia 97.

Querelae parentum contra filios 134; pauperum benigne audiendae 135; uxoris contra virum 130; viri contra uxorem 133.

Quotidiana opera bene peragenda 38; primus gressus in perfectione christiana 245.

Rationis usus: aetas 101; ad graviter peccandum 100; signa ib.; pro confessione sacramentali et sancta Communione ib. et 222.

Recidivus qui dicatur 175 188g; quomodo suspicionem ingerat insufficientis doloris et propositi 188g; ex occasione externa quando inducendus sit ad occasionem abscindendam 188h 188l; ex interna fragilitate facilius absolvendus 188i (agendi modus S. Bernardi et S. Philippi Neri 188k); quomodo erigendus, si despondet animum 238; recid. in peccata venialia 187.

Reconvalescentia: quando in ea obligatio imponenda sit standi mandatis Ecclesiae 211.

Requies dominicalis operariis concedenda 156a.

Reservata peccata a quo absolvi possint 34; reservata Ordinariis locorum ib., Superioribus regularibus ib., Sedi Apostolicae ib. et 211.

Residentia parochi 154.

Resignatio in voluntatem divinam: motiva 213 sq.

Restitutio: generalia principia 232; poenitenti declaranda 234; causae excusantes 233; ordo inter plures cooperantes 232; quando facienda ante absolutionem 234; ab aegroto vel moribundo facienda 211 235; quando erga pauperes loco domini laesi fieri possit 234; a confessario non imposita 50; falso imposita 51; positive negata 52; temere pauperibus applicata 53.

Restitutio clericorum propter neglectam residentiam 154.

Reus, interrogatus a iudice, quomodo debeat fateri 240; quomodo tractandus a confessario 241 sqq.

Reverentia erga parentes ad quae obliget 137 138; num graviter laedatur, multum pendet a conditione personarum 138.

Ridere ad turpiloquia quale peccatum 72.

Rigor confessarii damnorum causa 188m 246.

Rudes iuvandi a confessario in examine 3, quomodo 114; si nihil particulare accusant 26 117; consolandi 115; disponendi ad dolorem de peccatis 10 116; dubie dispositi 118; quando aliena peccata narrant 3; quae poenitentia iis imponenda 118.

Sacramenta administrare obligatio parochi 154.
Salarium famulorum 152; operariorum 156 a; familiale ib.
Salutare inimicum num et quando obligatio 229.
Satietas: ad satietatem edere sitne peccatum 82.
Satisfactio sacramentalis ex obligatione imponenda 14; num, quando peracta confessione novum peccatum accusatur 19; qualis imponenda 15; proportionata quomodo ib. et 20; num apta sint opera indulgentiis ditata 16, actus mere interni 16; quando possit diminui 17; a quo commutari possit 19; quae sit inconveniens et excessiva 18. Cf. Poenitentia.
Scandalum verbis et sermonibus pravis datum 72; a parocho datum est aliis gravius 154.
Scholae haereticae: liceatne filios ad eas mittere 129.
Scripta confessio sitne imponenda aut consulenda 194 *cum nota*.
Scrupulus: scrupulosus quis sit 255; contraria actione contemnendus 263; quibus indiciis cognoscatur 256; causae 257; a Deo, ab hominis natura, a daemone ortus quomodo dignoscatur 258 sqq.; damna 261; utilitates per accidens ib.; agendi modus confessarii 262; remedia 263.
Scrupulosus, qui timet ne cum dubio operetur 264; qui timet consensum in tentationes 265 267; circa confessiones praeteritas 266; circa correctionem fraternam 271; circa horas canonicas recitandas 268; circa Missam celebrandam 269, vel audiendam 270.
Secretum diversi generis 63; causae revelandi secreti 63.
Securitas operariis procuranda 156 a.
Semifatuus quando et quoties admittendus ad absolutionem sacramentalem 192; ad sanctum Viaticum 221.
Senes qui dicantur 99.
Sensitiva delectatio 66; quaenam volita vel admissa sit peccatum 67.
Sigilli sacramentalis laesio directa punitur excommunicatione modo specialissimo Sedi Apostolicae reservata 29 *nota*; ab eadem absolutio 34 211.
Signa aetatis discretionis 100; doloris in moribundo quae sufficiant ad absolutionem conferendam 216, aliis ac sacerdoti data 217, si nulla dantur 218; scrupulositatis 256; spiritus boni in motibus spiritualibus 248 250 251; spiritus mali 248 249 251.
Socii: adulescentes cum bonis sociis coadunandi 107; mali arcendi ib.
Spes: spei actus 215; cum aegroto elicienda 210 215; tentationes contra spem quomodo vincendae 267.
Spiritualis delectatio 66.
Spiritus bonus et malus quibus signis dignoscantur 248 249 250 251.
Sponsa de quibus rebus sit instruenda 113.
Sponsalitia largitas quid vocetur 126.
Status electio 109; a parentibus non est impedienda 129 138.
Stupiditas ex variis causis oriunda 117.
Superbia quid sit 56; perfecta et imperfecta 57; quae peccata gignat 58 sqq.; quae pericula 61; quomodo oriatur 60; et se prodat 61; quibus remediis curetur 61.
Surdaster quomodo tractandus in confessione 193.
Surdus idemque mutus quomodo tractandus in confessione 195; quoad sanctum Viaticum 221; qui simul sit caecus a nativitate 195 221.
Sustentatio parentum vel filiorum: unde uxor secundo matrimonio iuncta eam procurare possit 127.
Susurratio 76.

Tactus inter coniuges 121.
Temerarium iudicium ex superbia oriundum 59, ex invidia 76; quomodo depellendum 267.
Tentationes: signa consensus et dis-

sensus 265; necessariae sunt et utiles 239 244; non oportet gignant pusillanimitatem ib.; variae eorum, qui ad perfectionem tendunt 246; captiosae quomodo vincendae 244 267; venereae fugiendae ib.; ex externa circumstantia oriundae, si graves sunt, ostendunt occasionem esse peccandi proximam 168.
Tepor ex acedia oriundus 97; eius periculum 98; ortus et progressus 246; quomodo curandus ib.
Testis: confessio per testem interdicta 31 *cum nota;* in casu moribundi quomodo admittatur 217.
Theologicae virtutes: earum exercitium medium perfectionis christianae 43.
Thesaurus latens num augere debeat pretium agri 161.
Timor circa statum gratiae 273; t. scrupulosi quomodo vincendus 263 264.
Tristitia de bono proximi quando sit invidia 75, quando non sit 77.
Turpiloquium ex quibus titulis sit peccatum grave et quot peccata constituat 72; ei ansam dare 72.
Turpitudo peccati motivum doloris de peccatis 12.
Tutor: eius munus 156.

Unctio Extrema: effectus 224; quibus danda 225; quo modo et ritu conferenda 226, formula brevi in casu necessitatis ib.; conditionate danda ib.; obligatio dandae unctionis et suscipiendae 226.
Utilitas emptoris num augere possit pretium rei vendendae 158.
Uxor: obligationes 119 sqq.; specialia peccata 119 121; eius bona fortunae 122 sqq.; quid possit in praecavendis damnis a familia 127; quoad dandas eleemosynas et sustentandos parentes 127; subducens aliquid e bonis mariti 127; querelas faciens de marito quomodo excipienda a confessario 130 sq.; quomodo corrigere possit maritum 131, eumque ebriosum 133; ebrietati dedita quomodo a viro tractanda 132.

Vana gloria: vanitas quid sit 58; est signum spiritus mali in illustrationibus extraordinariis 248; defectus feminis imprimis proprius 111.
Venditio, emptio: fraudes vitandae 159; defectus qui sint manifestandi 159; apud veteramentarios 161. Cf. Hasta, Pretium.
Venerea delectatio 66; deliberate volita non admittit parvitatem materiae 67; indirecte seu in causa tantum voluntaria 67 70 sq.
Veniae petitio ne facilius imponatur a confessario 108.
Venialia peccata sunt obiectum absolutionis sacramentalis 32; relapsus in ea num obstet absolutioni dandae 187; motiva doloris de iis 187; ea multum horrere est signum status gratiae 274.
Viaticum quando et quoties dandum 221; quando pueris 222; praeparatio infirmi 223. Cf. Communio.
Viri: quae eorum pericula 118 a; quomodo in confessione tractandi 118 b; non facile dimittendi vel differendi quoad absolutionem 118 b; circa negotia publica et associationes 118 b; circa libros et scripta legenda ib. Cf. Maritus.
Vita christiana perfecta: quomodo confessarius in ea gerenda poenitentes instituat 38 sqq. 245 sqq.
Vitia in venditione rerum manifestanda 159; occultata quale ius conferant emptori 159; substantialia quae sint 160.
Vomitus: eius periculum quando impediat Communionem 221; si accidat, quid cum s. speciebus agendum ib.
Votum castitatis quomodo impediat debitum coniugale 120.

[illegible]

ST. ALBERT'S C -- LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

3382 Reuter 2501.1 R27

AUTHOR

TITLE

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709